This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

14.?

BIBLIOTHÈQUE CANTONALE ET UNIVERSITAIRE DE LAUSANNE

EX DONO

JEAN HERBETTE

ancien ambassadeur

1878-1960

1972

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.

DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

Digitized by Google

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

TITUS LIVIUS

PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS COMMENTARIIS

ITEM SUPPLEMENTA J. FREINSHEMII

CURANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEXTUM

AZ 5540

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
LAUSANNE
ET UNIVERSITAIRE
D
51436

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXX.

BREVIARIUM.

Cap. I; Imperia nova et prorogata. — II; Naves legionesque decretæ, et prodigia procurata. — III; Scipio, vestium, commeatus armorumque copia auctus, Uticam obsidet, et spem facit pacis, a Syphace petitæ, ut probabilis causa suis commeandi sit in castra hostium; quæ, quod lignea ferme tota sunt, per occasionem incendendi consilia agitat. — IV; Legatos alios atque alios ad regem mittit, et satis omnibus exploratis tollit inducias. — V; Media nocte castra tum Syphacis a Lælio ac Masinissa, — VI; tum Hasdrubalis, illis propinqua, a Scipione incenduntur, et flamma ferroque absumuntur multi homines, equi et elephanti. — VII; Hasdrubal et Syphax summa ope reparant bellum et copias jungunt. — VIII; Paulo post in aciem descendunt, et a Romanis vincuntur. — IX; Scipio multas urbes expugnat; et Carthaginienses legatos ad Hannibalem arcessendum classemque ad levandam Uticæ obsidionem mittunt. — X; Hostes frustra aggrediuntur naves Romanorum, ad muros Uticæ appulsas. — XI; Lælius et Masinissa in Numidiam perveniunt, novumque exercitum, a Syphace in regno suo conscriptum, profligant. — XII; Rex ipse vivus capitur, et Cirta, caput regni ejus, a Masinissa occupatur. Is Sophonisbam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, amore captus pollicitusque se prohibiturum, quo minus Romanis traderetur, matrimonio sibi jungit: quod Lælius, factis nuptiis superveniens, valde improbat. — XIII; Syphax, sermonibus circumstantium celebratus, in castra ad Sci-

Digitized by Google

pionem perducitur, omnemque perfidiæ et belli causam confert in uxorem. — XIV; Masinissa, castigatus a duce rom. propter nuptias festinatas, — XV; venenum mittit Sophonisbæ, et eximiis a Scipione ornatur laudibus honoribusque. — XVI; Carthaginienses legatos mittunt Romam et ad Scipionem, qui pacis conditiones dicit datque inducias. — XVII; Multis ante diebus Lælius cum Syphace aliisque captivis et legatis Masinissæ Romam venit, et ingenti urbem lætitia complet. Senatus supplicationem decernit, et confirmat regium nomen, regnum paternum aliaque munera, Masinissæ a Scipione data. — XVIII; Interea Mago a P. Quintilio Varo prætore et M. Cornelio proc. in agro Insubrium Gallorum vincitur, et graviter vulneratus ex prælio aufertur prope exsanguis. — XIX; Inde ad mare in Ligures Ingaunos pervenit, et imperio senatus carthaginiensis, a legatis perlato, periculoque et patriæ et suo motus in Africam trajicit: sed, vixdum superata Sardinia, ex vulnere moritur, et naves aliquot disjectæ a classe rom. capiuntur. C. Servilius cos. patrem Catulumque, a Boiis olim captos, Romam reducit. Ad Cn. Servilium cos. multa Bruttiorum deficiunt oppida; idemque in agro crotoniensi acie confligit cum Hannibale. — XX; Mox summus hic Pœnorum dux a legatis in patriam revocatur, et inutili militum turba præsidii specie in oppida bruttii agri dimissa multisque italici generis in templo Junonis Laciniæ fœde interfectis, quod roboris in exercitu est, in Africam transvehit, mœstissimo animo detractus ex diutina possessione Italiæ, et deos, homines seque ipsum accusans. — XXI; Legati saguntini Pœnos, ad conducenda auxilia in Hispaniam missos comprehensosque cum pecunia, Romam adducunt: et quinque ibi dies circa omnia pulvinaria supplicatur ex senatusconsulto. — XXII; Carthaginiensium legati, pacem petentes, punica fraude electi videntur senatui romano, — XXIII; et pace infecta ac prope sine responso dimittuntur. — XXIV; Cn. Servilius in Siciliam, inde in Africam discessurus, trajicit, sed a P. Sulpicio dictatore ad id ipsum creato in Italiam revocatur. Onerariæ Cn. Octavii naves, in conspectu Carthaginis tempestate per litora portusque dispersæ, a Pœnis per induciarum tempus capiuntur. — XXV; Legati de injuria hac questum a Scipione missi Carthaginem prope violantur, et in reditu ex insidiis Pœnorum, ex alto repente eos aggredientium, vix incolumes ipsi evadunt. Scipio contra legatos Carthaginiensium, cum Lælio Fulvioque ab Roma

Digitized by Google

supervenientes, dimittit salvos : et Hannibal mox ad Leptim appellit classem. — XXVI; In Macedoniam legati mittuntur ad Philippum, qui adversus fœdus quædam facta videri Patribus nuntient. Romæ est incendium ingens et inundatio, sed annonæ vilitas. Mors, honores laudesque Q. Fabii Maximi. Ludi Romani ac plebeii. Comitia.—XXVII; Consules insequentis anni Ti. Claudius Africam (quæ provincia ex senatus decreto in sortem conjecta erat), et M. Servilius Etruriam sortiuntur. Prætorum comitia ac provinciæ. Ludi quinquennales. — XXVIII; Curæ metusque Romanorum Pœnorumque, imminente supremo certamine. — XXIX; Hannibal Adrumetum et inde Zamam venit : Scipio haud procul Naraggara urbe considet, et speculatores hostium per castra sua circumduci dimittique jubet; neque abnuit colloquium ab eorum duce petitum. — XXX; Hannibal prior alloquitur Scipionem; — XXXI; isque respondet. — XXXII; Duces infecta pace arma expediri jubent, et militibus animum incendunt hortando. — XXXIII; Tum acies instruunt singulari arte, et pugnant. — XXXIV; Romani, et numero superiores et animo, ingentem hostium cladem edunt. — XXXV; Lælius ac Masinissa Pœnos fundunt, cum equitatu in aversam eorum aciem incurrentes, et Hannibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit. — XXXVI; Paulo post Scipio Numidas, duce Vermina, Syphacis filio, Pœnis auxilio venientes fundit, et Tunete de pace agit cum legatis Carthaginiensium. — XXXVII; Hi conditiones ab eo dictas domum referunt, et Hannibal Gisgonem, pacem dissuadere conantem, arreptum manu sua ex superiore loco detrahit. — XXXVIII; Induciæ Pœnis dantur, et Romam mittuntur legati. Prodigia, inundatio Tiberis, et ludi Apollinares. — XXXIX; Ti. Claudius cos., in Siciliam atque inde in Africam trajicere jussus, classem tempestate laceratam reficit Caralibus, et circumacto anni tempore privatus Romam reducit. Comitia a C. Servilio Gemino sæpe indicta perfici tempestates prohibent. Ludi Romani, plebeii, Cereales. Scribæ viatoresque ædilitii ob pecuniam ex ærario clam egestam damnantur. — XL; Legati Carthaginiensium et Philippi Romam veniunt. Supplicationes, comitia et provinciæ consulum prætorumque. Cn. Cornelius Lentulus cos. frustra cupiditate flagrat provinciæ Africæ; quæ res multis contentionibus in senatu et ad populum agitur. — XLI; Legiones classesque novis magistratibus decernuntur. — XLII; Legati Phi-

Digitized by Google

lippi dimittuntur cum tristi responso, at Carthaginiensium flectunt misericordia Patres. — XLIII; Scipio pacem cum Pœnis facere, et fetiales in Africam ad fœdus feriendum ire jubentur. Naves Carthaginiensium incenduntur, at de perfugis grave sumitur supplicium. — XLIV; Mœstitiam fletumque Pœnorum, quibus prima collatio pecuniæ difficilis videtur, tanquam intempestivum absurdumque eorum, qui privata tantum, non publica sentiant mala, ridet Hannibal et increpat. Masinissa regno Syphacis ad paternum adjecto donatur. — XLV; Scipio Romam invehitur triumpho omnium clarissimo, et primus nomine victæ ab se gentis nobilitatur.

I. Cn. Servilius Cæpio et C. Servilius Geminus consules, sextus decimus is annus belli punici erat, quum de republica belloque et provinciis ad senatum retulissent, censuerunt Patres, ut consules inter se compararent sortirenturve[1], uter Bruttios adversus Hannibalem, uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet: cui Bruttii evenissent, exercitum a P. Sempronio acciperet: P. Sempronius (ei quoque enim proconsuli imperium in annum prorogabatur) Licinio succederet: is Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad[2] cætera, quibus nemo ea tempestate instructior civis habebatur, congestis omnibus humanis a natura fortunaque bonis. Nobilis idem ac dives erat; forma viribusque corporis excellebat: facundissimus habe-

Cap. I. 1. *Inter se compararent sortirenturve;* vide ad III, 2, n. 1.

2. *Bello quoque bonus habitus ad,* super, præter *cætera* illa, quæ viro principi necessaria sunt, præter cæteras laudes et ornamenta; Crev. et Drak. Sed ita Livius ad *congestis* adjecisset *in eo:* junge potius *congestis* (cumulate additis) *omnibus humanis a natura fortunaque bonis ad cætera* bona, h. e. virtutes; Doer. Quæ vero sunt *cætera* bona præter illa? — Ne quis *ad cætera* cum *congestis* conjungeret, volebat Walch. Emend. p. 111 sic interpungi: ... *habebatur. Congestis... bonis, idem,* etc. sed vulgarem distinctionem defendit Büttner, Obs. p. 79, locum ita interpretatus: « Addiderat tum bellicam quoque gloriam ad cætera decora, quibus non alius ea tempestate civis instructior habebatur, quum omnia naturæ fortunæque munera in ipsum essent congesta. Quippe nobilis ac dives erat, etc. » Ita appa-

Digitized by Google

batur, seu causa oranda, seu in senatu, ad populum, suadendi ac dissuadendi locus esset: juris pontificii peritissimus: super hæc bellicæ quoque laudis consulatus compotem fecerat. Quod in Bruttiis provincia, idem in Etruria ac Liguribus decretum. M. Cornelius novo consuli tradere exercitum jussus: ipse, prorogato imperio, Galliam provinciam obtinere cum legionibus iis, quas prætor L. Scribonius priore anno habuisset. Sortiti deinde provincias: Cæpioni Bruttii, Servilio Gemino Etruria evenit. Tum prætorum provinciæ in sortem conjectæ[3]. Jurisdictionem urbanam Pætus Ælius, Sardiniam P. Lentulus[4], Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus (sub Lucretio Spurio eæ fuerant) Quintilius Varus est sortitus: et Lucretio prorogatum imperium, ut Genuam oppidum a Magone Pœno dirutum exædificaret. P. Scipioni, non temporis, sed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est; decretumque, ut supplicatio fieret, quod is in Africam provinciam trajecisset, ut ea res salutaris populo romano ipsique duci atque exercitui esset.

II. In Siciliam tria millia militum sunt scripta; et quia, quod roboris ea provincia habuerat, in Africam

ret explicationis causa adjectum esse *nobilis ac dives erat*. Quod si quem offendat *congestis* absolute positum nulloque subjecto casu, videat ad XXXIX, 50, *omnibus congestis honoribus*. Ed. — *Seu in senatu* et *ad populum*, elegans asyndeton; Crev.— *Consulatus* eum *compotem fecerat bellicæ laudis*, ejus consequendæ facultatem et occasionem ei dederat. — Gruterus profecto contra mentem Livii ediderat *bellicæ quoque laudes... fecerant*; nostri omnes vulgatam servant, et recte; nam auctor non vult, ut recte observat Creverius, consulem factum quod bellator esset, sed consulatum ei occasionem dedisse imperatoriæ virtutis ostendendæ. Ed.

3. *Provinciæ in sortem conjectæ*; vide ad III, 2, n. 1. — *Jurisdictionem urbanam* et peregrinam *Pætus*; vide ad XXV, 41, n. 8.

4. *Sardiniam P. Lentulus*; vide ad XXIX, 38, n. 2. — *Ariminum*; vide ad XXIV, 44, n. 2. — *Sub Lucretio*; vide ad III, 1, n. 1.

Digitized by Google

transvectum fuerat, ne qua classis ex Africa trajiceret[1], quadraginta navibus custodiri placuerat Siciliæ maritimam oram. Tredecim novas naves Villius secum in Siciliam duxit; cæteræ in Sicilia veteres refectæ: huic classi M. Pomponius, prioris anni prætor, prorogato imperio præpositus, novos milites ex Italia advectos in naves imposuit. Parem navium numerum Cn. Octavio, prætori item prioris anni[2], cum pari jure imperii ad tuendam Sardiniæ oram Patres decreverunt. Lentulus prætor duo millia militum dare in naves jussus. Et Italiæ ora, quia incertum erat, quo missuri classem Carthaginienses forent (videbantur autem, quidquid nudatum præsidiis esset, petituri), M. Marcio, prætori prioris anni, cum totidem navibus tuenda data est. Tria millia militum in eam classem ex decreto Patrum consules scripserunt, et duas legiones urbanas ad incerta belli[3]. Hispaniæ cum exercitibus imperioque veteribus imperatoribus, L. Lentulo et L. Manlio Acidino, decretæ[4]. Viginti omnino legionibus et centum sexaginta navibus longis[5] res romana

Cap. II. 1. *In Siciliam* (male *in Sicilia* vulgo legitur) *tria millia militum sunt scripta, quia, quod roboris...fuerat; et, ne qua classis ex Africa* (in Siciliam) *trajiceret*, etc. non male conj. Gron. — Quum in Putean. sit *et qui...ante qua*, Creverius inde effecit lectionem *et quia....,ne qua*, non adversante Drak. docens duplicem rationem afferri cur scripta fuerint hæc tria millia in Siciliam: una, quod insula non satis firmo tenebatur præsidio; altera ut hi novi milites imponerentur in naves quibus custodiri placebat maritimam oram: idque revera factum paulo post memoratur. Ed.

2. *Cn. Octavio, prætori item prioris anni:* Livium sui oblitum esse, ex XXVIII, 38, et XXIX, 13, colligit Periz. Anim. hist. cap. 8, p. 342. Cf. ad XXX, 24, n. 2. — *Quo missuri classem C. forent;* vide supra ad VI, 42, n. 7.

3. *Incerta belli*, ut *inc. casuum*, cap. 30; vide ad IV, 27, n. 1.

4. *Hispaniæ cum exercitibus...decretæ;* vide ad XXVIII, 38, n. 4.

5. *Centum sexaginta navibus longis;* vide ad XXI, 17, n. 5. M. Pomponius acceperat XL naves, Cn. Octavius totidem, M. Marcius parem numerum, et Scipio XL. Conf. XXIX, 25, 26; XXX, 41, 42, et Drak. — *Res romana eo anno gesta;* vide supra ad II, 64, n. 3.

Digitized by Google

eo anno gesta. Prætores in provincias ire jussi : consulibus imperatum, prius quam ab Urbe proficiscerentur, ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus[6] dictator in quintum annum vovisset, si eodem statu respublica staret. Et novas religiones excitabant in animis hominum prodigia, ex pluribus locis nuntiata : aurum in Capitolio corvi non lacerasse tantum rostris crediti, sed etiam edisse : mures Antii coronam auream arrosere : circa Capuam omnem agrum locustarum vis ingens, ita ut, unde advenissent, parum constaret, complevit : equuleus Reate cum quinque pedibus natus : Anagniæ sparsi primum ignes in cælo, dein fax ingens arsit[7] : Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est; circulum deinde ipsum major solis orbis extrinsecus inclusit : Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit : consulum alteri, primam hostiam immolanti, caput jocinoris defuit. Ea prodigia majoribus hostiis procurata : editi a collegio pontificum dii[8], quibus sacrificaretur.

III. Iis transactis, consules prætoresque in provincias profecti. Omnibus tamen, velut eam sortitis, Africæ cura erat; seu quia ibi summam rerum bellique[1] verti cernebant, seu ut Scipioni gratificarentur, in quem tum omnis versa civitas erat. Itaque non ex Sardinia tantum (sicut ante dictum est), sed ex Sicilia quoque et Hispania vestimenta frumentumque et arma etiam ex Sicilia et omne genus commeatus eo portabantur. Nec Scipio ullo tempore hiemis belli opera remiserat,

6. *Ludos magnos, quos T. Manlius Torquatus*, etc. vide ad XXVII, 33, n. 4. — *Novas religiones* (vide ad II, 5, n. 4) *excitabant prodigia*, etc. de quibus vide ad I, 31, n. 1.

7. *Fax ingens arsit;* vid. XXIX, 14, n. 2. — *Caput jocinoris defuit;* vide supra ad librum VIII, cap. 9, not. 1.

8. *Editi a collegio pont. dii;* vide ad I, 18, n. 2.

Cap. III. 1. *Ibi summam rerum bellique verti;* vide ad III, 5, n. 6, et III, 27, n. 6.

Digitized by Google

quæ multa simul undique eum circumstabant. Uticam obsidebat; castra in conspectu Hasdrubalis erant; Carthaginienses deduxerant naves[2]; classem paratam instructamque ad commeatus intercipiendos habebant. Inter hæc ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat[3]; si forte jam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset. Ab Syphace magis pacis cum Carthaginiensibus conditiones, ut Romani Africa, Pœni Italia excederent, quam, si bellaretur, spes ulla desciturum afferebatur. Hæc per nuntios magis equidem acta crediderim (et ita pars major auctores sunt[4]), quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra romana ad colloquium venisse. Primo eas conditiones imperator romanus vix auribus admisit. Postea, ut causa probabilis suis commeandi foret in castra hostium, mollius eadem illa abnuere, ac spem facere, sæpius ultro citroque agitantibus rem conventuram. Hibernacula Carthaginiensium, congesta temere ex agris materia exædificata, lignea ferme tota erant. Numidæ præcipue[5], arundine textis storeaque

2. *Carthagin. deduxerant naves;* vide ad VIII, 26, n. 1.

3. *Curam ex animo miserat*, ut apud Virg. Æn. VI, 85. Similiter *mittere* (h. e. omittere) *ambages* VI, 16 pr. XXXIV, 59, et *odium* XL, 46. *Dimiserat* reposuit Rhen. et *amiserat* conj. Perizon. — *Satias* (vide ad XXV, 23, n. 9) *amoris in uxore* (pro *uxorem*, quod et quidam libri habent; conf. ad II, 14, n. 2; VI, 22, n. 1, et Drak. ad h. l.) *ex multa copia cepisset* eum. Conf. ad Polyb. XIV, 1, οὐ γὰρ ἀπεγίνωσκε, καὶ τῆς παιδίσκης αὐτὸν ἤδη κόρον ἔχειν, δι' ἣν εἵλετο τὰ Καρχηδονίων, καὶ καθόλου τῆς πρὸς τοὺς Φοίνικας φιλίας, διά τε τὴν φυσικὴν τῶν Νομάδων ἀψικορίαν, καὶ διὰ τὴν πρός τε τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἀθεσίαν. — *Quam, si* porro, diutius *bellaretur* cum Pœnis, aut bellum ei inferretur, *desciturum* eum a Pœnis.

4. *Ita pars major auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. XIV, 1, et de Syphacis consilio Appian. Pun. 17. — *Agitantibus rem conventuram* eam. Sed forte leg. *conventurum* cum Duk. — *Hibernacula Carthaginiensium.....habitabant;* vid. Polyb. l. l. Sil. XVII, 88 sq. et Schel. ad Hygin. pag. 1110. — *Temere;* vide ad II, 46, n. 3. — *Materia;* vid. VI, 2, n. 6.

5. *Numidæ præcipue, pars maxima,* h. e. Numidarum plurimi (conf. VI,

Digitized by Google

pars maxima tectis, passim nullo ordine, quidam, ut sine imperio occupatis locis, extra fossam etiam vallumque habitabant. Hæc relata Scipioni spem fecerant castra hostium per occasionem incendendi.

IV. Cum legatis, quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordines[1] spectatæ virtutis atque prudentiæ servili habitu mittebat: qui, dum in colloquio legati essent, vagi per castra, alius alia, aditus exitusque omnes, situm formamque et universorum castrorum, et partium, qua Pœni, qua Numidæ[2] haberent, quantum intervalli inter Hasdrubalis ac regia castra esset, specularentur, moremque simul noscerent stationum vigiliarumque; nocte, an interdiu opportuniores insidianti essent. Et inter crebra colloquia alii atque alii de industria, quo pluribus omnia nota essent, mittebantur. Quum sæpius agitata res certiorem spem pacis in dies et Syphaci et Carthaginiensibus per eum faceret, legati romani *vetitos se reverti ad imperatorem*[3] aiunt, *nisi certum responsum detur*. Pro-

24, et al.) in hibernaculis *arundine textis*. — *Storea* dicta ἀπὸ τοῦ στορέννυμι· quidam scribunt *storiam*: palea vel ulva, quam extendimus super terram. Vide ad Cæs. Bell. civ. II, 9. Ed. — *Quidam, ut sine imperio o. l.* vide ad VIII, 30, n. 7. — *Habitabant*, in castris degebant, ut cap. 4, n. 2, *habere*; unde *tecta* c. 6, n. 3, tabernacula vel casæ in castris; Doer.

Cap. IV. 1. *Primos ordines*, ut XLIV, 33 et 36, sex primorum ordinum ductores seu centuriones, duos primipilos, duos primos principes, duos primos hastatos; Gron. Conf. ad II, 45, n. 14; Lips. Mil. Rom. II, 8, et Morus ad Cæs. B. G. V, 30. Rem turbat Veget. II, 7, 8. Ὁ Πόπλιος ἀεί τινας μὲν τῶν πραγματικῶν, οὓς δὲ καὶ στρατιωτικῶν, ῥυπῶντας, etc. Polyb. XIV, 1, 13.

2. *Qua Pœni, qua* (vide ad III, 70, n. 2) *Numidæ haberent*, sc. tentoria, vel se, h. e. essent, vel potius habitarent (vid. ad cap. 3, n. 5; Schmieder ad Plaut. Trin. I, 2, 158, et Schelleri lex.): nisi leg. *haberentur*, i. e. essent (ut sæpissime apud Tacitum; vide ad Tac. Ann. II, 58, n. 2), vel ex aliis libris *quas Pœni, quas Numidæ hab.* vel cum viris doctis *tenderent*, aut *habitarent*.

3. *Vetitos se reverti ad imperatorem*, etc. quo Scipio et otium præbebat officio, quod additum legatis erat, castra contemplandi, et speciem cupidi pacis præbebat; Gron. Idem et plura docet Polyb. XIV, 2. — Ἰρεῖ

inde, seu ipsi staret jam sententia, seu consulendus Hasdrubal et Carthaginienses essent, consuleret. Tempus esse, aut pacem componi, aut bellum naviter geri. Dum consulitur Hasdrubal ab Syphace, ab Hasdrubale Carthaginienses; et speculatores omnia visendi, et Scipio ad comparanda ea, quæ in rem erant[4], tempus habuit. Et ex mentione ac spe pacis negligentia, ut fit, apud Pœnos Numidamque orta cavendi, ne quid hostile interim paterentur. Tandem relatum responsum, quibusdam (quia nimis cupere Romanus pacem videbatur) iniquis per occasionem adjectis: quæ peropportune cupienti tollere inducias Scipioni causam præbuere; ac nuntio regis, quum relaturum se ad consilium[5] dixisset, postero die respondit, *Se uno frustra tendente, nulli alii pacem placuisse. Renuntiaret igitur, nullam aliam spem pacis, quam relictis Carthaginiensibus, Syphaci cum Romanis esse.* Ita tollit inducias, ut libera fide incepta exsequeretur; deductisque navibus[6] (et jam veris principium erat) machinas tormentaque, velut a mari aggressurus Uticam, imponit, et duo millia militum ad capiendum, quem antea tenuerat, tumulum super Uticam mittit; simul ut ab eo, quod parabat, in alterius rei curam converteret hostium animos, simul ne qua, quum

staret sententia; vide ad IV, 13, n. 6. — Supplendum censet Creverius: daret statim responsum, vel aliud quid simile: verbum enim *consuleret* hic locum non habet. Ed.

4. *Quæ in rem erant;* vide ad I, 27, n. 5. — *Iniquis* conditionibus *per occasionem adjectis*, ob pacis, quam Scipio præ se ferebat, cupiditatem; Doering.

5. *Relaturum se ad consilium;* vide ad VIII, 6, n. 6, et XXVI, 2, n. 3. — *Se* (Scipione) *uno frustra tendente*, sc. ut pax componeretur. Conf. ad IV, 7, n. 6. — *Nulli alii*, sc. legatorum aliorumque, qui in *consilio* affuissent. — *Libera fide*, ea liberatus, solutus. Conf. Polyb. XIV, 2 extr.

6. *Deductisque navibus* (vid. VIII, 26, n. 1), etc. Cf. Polyb. XIV, 2 pr. — *Ad... tumulum super Uticam mittit;* vide ad XXIX, 35, n. 6, et XXXI, 47, n. 3. Τὸν ὑπὲρ τὴν πόλιν κείμενον λόφον, Polyb. XIV, 2.

Digitized by Google

ipse ad Syphacem Hasdrubalemque profectus esset, eruptio ex urbe et impetus in castra sua, relicta cum levi præsidio, fieret.

V. His præparatis advocatoque consilio[1], edicere exploratoribus jussis, quæ comperta afferrent, Masinissaque, cui omnia hostium nota erant; postremo ipse, quid pararet in proximam noctem, proponit. Tribunis edicit, ut, ubi, prætorio dimisso, signa concinuissent[2], extemplo educerent castris legiones. Ita, ut imperaverat, signa sub occasum solis efferri sunt cœpta[3]: ad primam ferme vigiliam[4] agmen explicaverunt; media nocte (septem enim millia itineris erant) modico gradu ad castra hostium perventum. Ibi Scipio partem copiarum Lælio Masinissamque ac Numidas attribuit; et castra Syphacis invadere, ignesque conjicere jubet. Singulos deinde separatim, Lælium ac Masinissam, seductos obtestatur, *ut, quantum nox providentiæ adimat, tantum diligentia expleant curaque. Se Hasdrubalem punicaque castra aggressurum: cæterum non ante cœpturum, quam ignem in regiis castris conspexisset.* Neque ea res morata diu est: nam ut proximis casis[5] injectus ignis hæsit, ex-

Cap. V. 1. *Advocato consilio;* vide ad VIII, 6, n. 6. — *Edicere*, exponere, palam facere, dicere. Conf. ad XXI, 63, n. 1; Gron. et Drak. ad h. l. Cort. ad Sall. B. C. 48, et Ern. Clav. Cic.

2. *Tribunis edicit, ut, ubi, prætorio dimisso* (vide ad XXI, 54, n. 3), *signa concinuissent* (vide ad VII, 40, n. 4), *extemplo*, etc. conf. ad Tac. Ann. XV, 30, n. 3; Polyb. XIV, 3; Lips. Mil. Rom. V, 2; Schel. ad Polyb. cap. 2.

3. *Efferri sunt cœpta* signa; vide ad XXV, 41, n. 2.

4. *Ad primam ferme vigiliam* (vid. ad VII, 35, n. 2), ἄρτι ληγούσης τῆς πρώτης φυλακῆς, *media nocte*, περὶ τὴν τρίτην φυλακὴν λήγουσαν . . . *septem enim millia* (vide supra ad lib. IX, cap. 24, n. 2) *itineris erant*, περὶ ἑξήκοντα σταδίους, Polyb. XIV, 4, qui et conf. ad seqq. Tertia vigilia signum tuba datum dicit Appian. Pun. 21. — *Modico gradu;* vide ad VIII, 8, not. 6.

5. *Proximis casis*, mapalibus, tentoriis Numidarum. Conf. ad XXV, 39, n. 2; XXIX, 31, n. 3, et Sil. XVII, 88. *Proximis casis*, ut *proxima*

Digitized by Google

templo proxima quæque et deinceps continua amplexus, totis se passim dissipavit castris. Et trepidatio quidem, quanta necesse erat, in nocturno effuso tam late incendio orta est: cæterum fortuitum, non hostilem ac bellicum, ignem rati esse, sine armis ad restinguendum incendium effusi, in armatos incidere hostes, maxime Numidas, ab Masinissa notitia regiorum castrorum[6] ad exitus itinerum idoneis locis dispositos. Multos in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma: multi in præcipiti fuga, ruentes super alios alii, in angustiis portarum obtriti sunt.

VI. Relucentem flammam[1] primo vigiles Carthaginiensium, deinde excitati alii nocturno tumultu quum conspexissent, ab eodem errore credere et ipsi sua sponte incendium ortum. Et clamor inter cædem et vulnera sublatus, an ex trepidatione nocturna esset, confusus, sensum veri adimebat. Igitur pro se quisque inermes, ut quibus[2] nihil hostile suspectum esset,

tecta (tentoria Pœnorum), c. 6, n. 3. Sed Gron. jam recte, opinor, monuit, esse leg. *primis casis*, tum ob seq. *proxima quæque*, tum ob verba Polyb. XIV, 4, εἰς τὰς πρώτας σκηνὰς. — *Deinceps continua;* vide ad I, 21, n. 8, et IV, 22, n. 4. — *Quanta necesse erat*, forte *quantam;* Gron.

6. *Notitia reg. castrorum*, ob eam. Mox nemo meliorum MSS agnoscit τὸ *Multos*, non improb. Gron. ut sensus sit: qui *in cubilibus* marcebant, eos, ut erant *semisomni*, *hausit flamma*. Vulgatæ tamen lect. favet Polyb. XIV, 4 extr. ad verbum expressus fere ubivis. — Castrorum ab hoste pariter incensorum luculenta descriptio, et admodum poetica legitur apud Nostratem *Fénélon*, *Télémaque*, lib. VII. Ed.

Cap. VI. 1. *Relucentem flammam* in castris regiis seu Numidarum *vigiles Carthag.* in vicinis castris Hasdrubalis, etc. conf. Polyb. XIV, 5. — *Confusus*, incertus, h. e. qui *an ex trepidatione*, quæ nocturnum incendium comitari solet, ortus *esset*, incertum erat; Crev. *Cum trepid. noct. confusus* conj. Gron. Sed omnino cum Rhen. leg. *confusis*, hoc sensu: clamor... sublatus cæteris militibus, an ille ex trepid. noct. oriretur, incertis et ambigentibus *sensum veri adimebat*, ut *confusus atque incertus animi*, I, 7, et inf. cap. 15 pr. *confusus*, fluctuans et dubitans, quid faciat; Doer. Clamoris hujus nullam mentionem facit Polyb.; at Appian. Pun. 21, βοῇ δὲ τότε παμμιγεῖ καὶ σάλπιγξιν ἄθρόαις καὶ βυκανήμασιν ἐς κατάπληξιν χρώμενοι, sc. Ῥωμαῖοι.

2. *Pro se quisque inermes, ut quibus*, etc. vide ad I, 59, n. 3, et VIII,

Digitized by Google

omnibus portis, qua cuique proximum erat, ea modo, quæ restinguendo igni forent, portantes, in agmen romanum ruebant. Quibus cæsis omnibus, præterquam hostili odio[3], etiam ne quis nuntius effugeret, extemplo Scipio neglectas, ut in tali tumultu, portas invadit: ignibusque in proxima tecta conjectis, effusa flamma primo veluti sparsa pluribus locis reluxit, dein per continua serpens[4], uno repente omnia incendio hausit. Ambusti homines jumentaque fœda primum fuga, dein strage, obruerant itinera portarum: quos non oppresserat ignis, ferro absumpti; binaque castra clade una deleta. Duces tamen ambo et ex tot millibus armatorum duo millia peditum et quingenti equites[5] semiermes, magna pars saucii afflatique incendio, effugerunt. Cæsa aut hausta flammis quadraginta millia hominum[6] sunt, capta supra quinque millia: multi Carthaginiensium nobiles, undecim senatores, signa

VIII, 30, n. 7. — *Quæ restinguendo igni forent;* vide ad III, 35, n. 1. — *In agmen romanum,* quod Scipio ipse castris admoverat punicis seu Hasdrubalis, quæ sibi incendenda sumpserat, quum primum ignem in regiis conspexisset castris. Hunc rerum ordinem invertit Appian. Pun. 21, 22.

3. *Præterquam* quod ex *hostili odio* fieri solet, præter odium h., *etiam ne,* etc., tum odio, tum eam ob causam ne, etc. Conf. simill. loc. X, 20, et ad lib. V, cap. 14, n. 5; lib. XXII, cap. 3, n. 8. — *In proxima tecta;* vide ad cap. 3, not. 5, et ad cap. 5, not. 5.

4. *Dein per continua serpens;* vide ad IV, 22, n. 4. Paulo ante *sparso* (scil. *incendio*) optimi MSS, prob. Gronovio.

5. *Duo millia peditum et D equites,* ut ap. Polyb. XIV, 6. Equites D cum Hasdrubale effugisse tradit Appian. Pun. 24.

6. *Cæsa aut hausta flammis XL millia h.,* etc. Polybius numerum non addit, et Appian. Pun. 23, alium. Dukeri nota est: «Si his addas 2500, quos effugisse dicit, sunt in universum 47500. Sed XXIX, 35, Hasdrubalem 30000 ped. 3000 equit., et Syphacem 50000 ped. 10000 eq. habuisse scribit, quæ sunt 93000. Et sic Polyb. XIV, 1. Si jam perierunt 40000 et supra 5000 capti sunt, effugit paulo plus dimidia parte ex 93000. Polybius, XIV, 1, alio Hasdrubalem, alio Syphacem fugisse, et Hasdrubalem equites ad 500, pedites circiter 2000 secum habuisse. Hi ergo sunt, quos effugisse dicit Livius. Sed tamen, quum *ambos duces* et *ex tot millibus armatorum duo millia peditum et* 500 *equites* effugisse scribit, ita loquitur,

Digitized by Google

militaria centum septuaginta quatuor, equi numidici supra duo millia septingenti, elephanti sex capti, octo flamma ferroque absumpti, magnaque vis armorum capta. Ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit.

VII. Hasdrubal ex fuga cum paucis Afrorum urbem proximam[1] petierat; eoque omnes, qui supererant, vestigia ducis sequentes, se contulerant: metu deinde, ne dederetur Scipioni, urbe excessit. Mox eodem patentibus portis Romani accepti; nec quidquam hostile, quia voluntate concesserant in ditionem, factum: duæ subinde urbes captæ direptæque. Ea præda, et quæ castris ex incensis et igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo millium ferme inde spatio loco communito consedit[2]. Hasdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur: quo tantus primo terror est allatus, ut, omissa Utica, Carthaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum. Senatum itaque sufetes (quod velut consulare imperium[3] apud eos erat) vocaverunt. Ibi e tribus (una de pace legatos ad Scipionem decernebat: altera Hannibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocabat: tertia romanæ in adversis rebus constantiæ erat[4]; reparandum exercitum, Syphacemque hortandum, ne bello absisteret, censebat), hæc sen-

ut lector facile putare possit, hos solos ex 93000 effugisse. »

Cap. VII. 1. *Afrorum urbem proximam*, Andam teste Appiano, Pun. 24, qui solus urbis nomen memoravit. Conf. tamen ad hæc et seqq. Polyb. XIV, 6.

2. *Octo millium* passuum *inde spatio loca communito*, Abba. Conf. n. 6, et Polyb. XIV, 6, 12.

3. *Sufetes, consulare imperium;* vide ad XXVIII, 37, n. 3. — *Ibi e tribus, una de pace... vicit:* hæc edidit Drak. ex emend. Gron. pro vulg. *Ibi tribus dictis sententiis, una de pace*, etc. Optimi MSS non habent τὰ *dictis sententiis*, et scitam hanc brevitatem sermonis firmavit multis exemplis Gron. ad h. l., ad Stat. Theb. I, 112, et Obss. IV, 4. *E tribus*, sc. sententiis, quod e seqq. intell., ut passim alia, vide ad XXI, 43, n. 4.

4. *Tertia romanæ in a. r. constantiæ erat;* vide ad III, 62, n. 5. Mox

Digitized by Google

tentia, quia Hasdrubal præsens Barcinæque omnes factionis[5] bellum malebant, vicit. Inde delectus in urbe agrisque haberi cœptus, et ad Syphacem legati missi, summa ope et ipsum reparantem bellum, quum uxor non jam, ut ante, blanditiis, satis potentibus ad animum amantis, sed precibus et misericordia valuisset, plena lacrymarum obtestans, ne patrem suum patriamque proderet, iisdemque flammis Carthaginem, quibus castra conflagrassent, absumi sineret. Spem quoque opportune oblatam afferebant legati, quatuor millia Celtiberorum circa urbem nomine Abbam[6], ab conquisitoribus suis conducta in Hispania, egregiæ juventutis, sibi occurrisse, et Hasdrubalem prope diem affore cum manu haudquaquam contemnenda. Igitur non benigne modo legatis respondit, sed ostendit etiam multitudinem agrestium Numidarum, quibus per eosdem dies arma equosque dedisset, et omnem juventutem affirmat exciturum ex regno. *Scire incendio, non prælio, cladem acceptam: eum bello inferiorem esse, qui armis vincatur.* Hæc legatis responsa: et post dies paucos rursus Hasdrubal et Syphax copias junxerunt. Is omnis exercitus fuit triginta ferme millium armatorum.

VIII. Scipionem, velut jam debellato, quod ad Syphacem Carthaginiensesque attineret, Uticæ oppugnandæ intentum, jamque machinas admoventem muris, avertit fama redintegrati belli; modicisque præ-

verbum *censebat* del. forte; Crev. et Drakenb. — Quibus et ego etiam invitis codd. meis assentior. Ed.

5. *Hasdrubal præsens omnesque Barcinæ factionis;* vide ad XXI, 2, n. 5. De Hasdrubale longe alia tradit Appian. Pun. 24, 29, 30, 36, 38.

6. *Urbem nomine Abbam* e Polyb. XIV, 6, 7. *Obbam* MSS. *Olbam* edd. vett. Vox *nomine* importune ab aliquo videtur intrusa: nam *Abba* nota erat Syphaci, nec probabile est, legatos apud illum de ea, tanquam de illi ignota, loquutos esse; Duker. — Sigonius, qui legebat *Olbam*, jungebat *conducta* cum *circa Olbam*, quam pu-

Digitized by Google

sidiis ad speciem modo obsidionis terra marique relictis, ipse cum robore exercitus ire ad hostes pergit. Primo in tumulo, quatuor ferme millia distante ab castris regiis, consedit: postero die cum equitatu in Magnos (ita vocant) campos[1], subjectos ei tumulo, degressus, succedendo ad stationes hostium lacessendoque levibus præliis diem absumpsit; et per insequens biduum, tumultuosis hinc atque illinc excursionibus in vicem, nihil dictu satis dignum fecerunt: quarto die utrimque in aciem descensum est. Romanus principes post hastatorum prima signa, in subsidiis triarios constituit; equitatum italicum ab dextro cornu, ab lævo Numidas Masinissamque opposuit. Syphax Hasdrubalque, Numidicis[2] adversus italicum equitatum, Carthaginiensibus contra Masinissam locatis, Celtiberos in mediam aciem in adversa signa legionum accepere: ita instructi concurrunt. Primo impetu simul utraque cornua, et Numidæ et Carthaginienses pulsi: nam neque Numidæ, maxima pars agrestes, romanum equitatum, neque Carthaginienses, et ipse novus miles, Masinissam, recenti super cætera

tabat esse Hispaniæ urbem: male. *Abbam* in Africa victus modo Syphax se contulerat. Ed. — *Conquisitoribus;* vide tamen ad librum XXI, cap. 11, not. 10.

Cap. VIII. 1. *Primo in tumulo.... in Magnos campos*, etc. conf. Polyb. XIV, 7, 8, et intpp. Cic. de Orat. III, 42. — *Romanus principes post hastatorum prima signa, in subsidiis,* etc. conf. ad VIII, 8, et II, 20, n. 2. *Post principes hast.* perperam omnes et MSS et edd. ante Sigon. Cf. Lips. de Mil. Rom. IV, 1.

2. *Syphax Hasdrubalque Numidicis,* scil. equitibus; ita MSS: at *Numidis* edd. ante Gron. qui etiam mox ex optimis codd. malebat *Celtiberos, mediam aciem*, et pro *in adversa* conj. *adversa*, vel *adversam*, vel *adversos:* quorum tamen nihil satis aptum est. Forte leg. *Celtiberos in mediam aciem adversus signa legionum* (rom.) *accepere.* Eumdem vulgatæ lect. sensum eumque planum esse, non mihi persuasit Doer. — Vulgatam omni ope tuetur Creverius, cujus explicatio est: « Celtiberos accepere in mediam aciem *in adversa,* id est, contra adversa legionum; oppositos signis legionum, quæ proinde adversa Celtiberis erant. Sic vulgo dicunt *in adversum mon-*

Digitized by Google

victoria terribilem, sustinuere. Nudata utrimque cornibus Celtiberum acies stabat, quod nec in fuga salus ulla ostendebatur locis ignotis, neque spes veniæ ab Scipione erat; quem, bene meritum de se et gente sua, mercenariis armis in Africam oppugnatum venissent. Igitur, circumfusis undique hostibus, alii super alios cadentes, obstinati moriebantur; omnibusque in eos versis, aliquantum ad fugam temporis Syphax et Hasdrubal præceperunt. Fatigatos cæde diutius, quam pugna, victores nox oppressit.

IX. Postero die Scipio Lælium Masinissamque cum omni romano et numidico equitatu expeditisque militum[1] ad persequendos Syphacem atque Hasdrubalem mittit. Ipse cum robore exercitus urbes circa, quæ omnes Carthaginiensium ditionis erant[2], partim spe, partim metu, partim vi subegit. Carthagini quidem erat ingens terror, et circumferentem arma Scipionem, omnibus finitimis raptim perdomitis, ipsam Carthaginem repente aggressurum credebant. Itaque et muri reficiebantur propugnaculisque armabantur, et pro se quisque, quæ diutinæ obsidioni tolerandæ sunt[3], ex agris convehit. Rara mentio est pacis, frequentior legatorum ad Hannibalem arcessendum mittendorum. Pars maxima classem, quæ ad commeatus excipiendos parata erat, mittere jubent ad opprimendam stationem navium ad Uticam, incaute

tem, vel *fluvium niti.*» Attamen locutio mihi impedita videtur. Ed.

Cap. IX. 1. *Expeditisque militum;* vide ad XXII, 30, n. 2.

2. *Urbes circa, quæ omnes C. ditionis erant,...subegit;* vid. I, 4, n. 11; III, 62, n. 5; XXI, 30, n. 5. Conf. Polyb. XIV, 9. — *Carthagini;* vide ad XXVIII, 26, n. 1. — *Circumferentem arma;* vide supra ad lib. IX, cap. 41, n. 3.

3. *Quæ diutinæ obsidioni tolerandæ sunt;* vide ad III, 35, n. 1. — *Ex agris convehit* omnes MSS et edd. ante Frob. qui reposuit *convehebat:* et videtur illud festinationem trepidantium magis exprimere, quam lentum hoc verbum; Gron.

Digitized by Google

agentem; forsitan etiam navalia castra[4], relicta cum levi præsidio, oppressuros. In hoc consilium maxime inclinant: legatos tamen ad Hannibalem mittendos censent. Quippe, classi ut felicissime gerantur[5] res, parte aliqua levari Uticæ obsidionem: Carthaginem ipsam qui tueatur, neque imperatorem alium, quam Hannibalem, neque exercitum alium, quam Hannibalis, superesse. Deductæ ergo postero die naves, simul et legati in Italiam profecti, raptimque omnia, stimulante fortuna, agebantur; et, in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur[6]. Scipio, gravem jam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque præda in vetera castra ad Uticam[7] missis, jam in Carthaginem intentus, occupat relictum fuga custodum Tuneta[8]. Abest ab Carthagine quindecim millia ferme passuum locus, quum operibus, tum suapte natura tutus, et qui et ab Carthagine conspici, et præbere ipse prospectum, quum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi, posset.

X. Inde, quum maxime vallum Romani jacerent, conspecta classis hostium[1] est, Uticam Carthagine petens. Igitur, omisso opere, pronuntiatum iter,

4. *Forsitan etiam navalia castra*, stationem navium; vide ad XXIX, 35, n. 7. Distingui tamen ea h. l. videntur, et forte leg. *vetera castra*, ut mox dicuntur, vel *hiemalia castra*, ut sint ea; de quibus vide ad XXIX, 35, n. 6.

5. *Classi ut felicissime gerantur res*; vide ad II, 38, n. 3, et IV, 12, n. 8. — *Deductæ naves*; vide supra ad VIII, 26, n. 1.

6. *In quo quisque cessasset... rebatur*; vide ad II, 43, n. 5. Duk. suspicabatur, hoc sumptum esse a Thucyd. II, 8, ἐν τούτῳ τε κεκωλύσθαι ἑδόκει ἑκάστῳ τὰ πράγματα, ᾧ μή τις αὐτὸς παρέσται.

7. *Vetera castra ad Uticam*; vide ad XXIX, 35, n. 6 et 7.

8. *Occupat Tuneta* (ὁ Τύνης), etc. conf. Polyb. XIV, 10. — Hanc urbem Strabo quoque memoravit lib. ultimo: ab ea regnum Tunetanum nomen accepit, *le royaume de Tunis*. Ante Sigonium edebatur *duodecim millia pass.* primus ille ex Polybio veram restituit lectionem, assentientibus MSS. Ed.

Cap. X. 1. *Classis hostium* C navium. Conf. ad hæc et seqq. Appian. Pun. 24, 25, et Polyb. XIV, 10.

Digitized by Google

signaque raptim ferri[2] sunt cœpta; ne naves, in terram et obsidionem versæ, ac minime navali prælio aptæ, opprimerentur. Qui enim restitissent agili et nautico instrumento aptæ et armatæ classi naves, tormenta machinasque portantes, et aut in onerariarum usum versæ, aut ita appulsæ ad muros, ut pro aggere ac pontibus præbere adscensus possent? Itaque Scipio, contra quam in navali certamine solet[3], rostratis, quæ præsidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem[4] opposuit; easque ipsas, ne in tumultu pugnæ turbari ordines possent, malis antennisque de nave in navem trajectis, ac validis funibus velut uno inter se vinculo illigatis, comprendit: tabulasque superinstravit, ut pervium ordinem faceret: et sub ipsis pontibus intervalla fe-

2. *Signaque raptim ferri;* vide ad III, 54, n. 5. — *Qui* (quomodo) *enim restitissent agili et nautico instrumento aptæ classi* (Pœnorum), etc. vide ad XXI, 22, n. 2, et XXII, 14, n. 13.

3. *Itaque Scipio, contra quam* (ut cap. 19, et *advorsum quam* apud Plaut. Trin. I, 2) *in navali certamine* fieri *solet* (in quo *rostratæ* a fronte, onerariæ a tergo collocabantur), quum neque numero navium ad conserendum in aperto mari certamen par esset Pœnis, neque satis haberet temporis ad eas, quæ aderant, instruendas et educendas, *rostratas, quæ præsidio aliis esse poterant,* quæ primam impressionem in hostes facerent, si justum prælium tentandum foret, quæ tegere alias et propugnaculum onerariarum esse deberent, *in postremam aciem recepit; onerarias* in fronte collocavit, commodo inter ipsas relicto intervallo, colligatas injectis trabibus ac velut *ponte* stratas, sub quo *speculatoriæ procurrere* atque infestare oppugnantem hostem possent: unde rostratarum in prælio pæne nullus usus fuit, nisi quod servatæ sunt et fortassis inde longinqua tormentis tela missa; Gronov. Conf. Polyb. et Appian. ll. ll.; Schweigh. ad Polyb. tom. V, pag. 40, et Scheffer. de Mil. Nav. III, 5.

4. *Pro muro adversus h. opposuit,* ἵνα ἀντὶ τείχους ᾖ Appian. — *Malis antennisque de nave in navem trajectis,* etc. conf. Polyb. XIV, 10 extr. et Polyæn. Strat. II, 22, n. 1. — *Comprendit,* copulavit, conjunxit. — *Tabulasque superinstravit,* tabulata, pontes, in quibus starent propugnatores telaque in hostes mitterent. Conf. ad XXII, 19, n. 4. — *Ut ordinem,* scil. quadruplicem onerariarum *pervium faceret,* ita inter se jungeret, ut

Digitized by Google

cit, qua procurrere speculatoriæ naves[5] in hostem, ac tuto recipi possent. His raptim pro tempore instructis, mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur : telorum maxime missilium, ut, quamvis longo certamine, sufficerent, vis ingens congeritur. Ita parati atque intenti hostium adventum opperiebantur. Carthaginienses, qui, si maturassent, omnia permixta turba trepidantium primo impetu oppressissent, perculsi terrestribus cladibus, atque inde ne in mari quidem, ubi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni navigatione absumpto, sub occasum solis in portum (Rusucurona Afri vocant[6]) classe appulere. Postero die sub ortum solis instruxere ab alto naves, velut ad justum prælium navale, et tanquam exituris contra Romanis. Quum diu stetissent, postquam nihil moveri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias aggrediuntur. Erat res minime certamini navali similis, proxime speciem muros oppugnantium navium. Altitudine aliquantum onerariæ superabant : ex ro-

per tabulas superinstratas de nave in navem iri posset; Doer. — Ex Rhenano Creverius ediderat *ut pervius in totum navium ordo esset;* malebat tamen lectionem pluribus haud spernendis codd. firmatam, *ut pervium in totum ordinem esset;* ita ut *pervium* idem fuerit ac *pervius transitus*. Sed hanc lectionem impugnat Drak. eamque tuetur quam edidimus. Ed.

5. *Speculatoriæ naves;* vide supra ad lib. XXII, 19, n. 4. At τριήρεις apud Appian. — *Pro tempore;* vide ad lib. VII, c. 33, n. 2. — *Plus poterant;* vide ad V, 33, n. 3.

6. *Rusucurona Afri vocant* ex emend. Jac. Gron. recepi pro vulg. *Ruscinona*. In MSS *Rusucinona*, *Rusucinova*, *Rusicinona*, *Rusuamona*, *Rusuomona*, *Rusuemona;* in Put. Flor. et Pal. pr. *Rusucmona*. Conf. Holsten. ad librum de Patriarch. Rom. p. 94, et Hard. ad Plin. V, 2, seu 1, *colonia Augusti Rusconiæ* (in Anton. Itin. et Notit. Africæ *Rusguniæ*, apud Ptol. IV, 2, mendose Ῥουστόνιον pro Ῥουσκόνιον, hod. *Tadeles*), *Rusucurium civitate honoratum a Claudio*. (Al. *Rusicorum*, *Rusuccurum*, *Rusucurrum*, *Ruscurium:* in Antonini Itin. et Notit. Afr. *Rusuccurum;* ap. Ptol. IV, 2, Ῥουσουκόραι, nunc Carbona, non longe a Saldis, hodie *Bugie* in regno Algeriano.) Hinc suspicari licet *Rusconias* seu *Rusconium*, vel *Rusucurum* seu *Rusucurona*, ut fere in Put. Sed diversum esse Plinii *Rusucurrum* putabat Wessel. ad Anton. Itin. p. 17.

Digitized by Google

stratis Pœni vana pleraque (utpote supino jactu[7]) tela in superiorem locum mittebant: gravior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus erat. Speculatoriæ naves ac levia ipsa navigia, quæ sub constratis[8] pontium per intervalla excurrebant, primo ipso tantum impetu ac magnitudine rostratarum obruebantur: deinde et propugnatoribus quoque incommodæ erant, quod permixtæ cum hostium navibus inhibere sæpe tela cogebant, metu, ne ambiguo ictu suis inciderent: postremo asseres ferreo unco præfixi (harpagones[9] vocant) ex punicis navibus injici in romanas cœpti. Quos quum neque ipsos, neque catenas, quibus suspensi injiciebantur, incidere possent; ut quæque retro inhibita rostrata onerariam hærentem unco traheret, scindi videres vincula, quibus alia aliis innexa erat, seriem aliam simul plurium navium trahi. Hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes, et vix transiliendi in secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est. Sex ferme onerariæ puppibus abstractæ Carthaginem sunt: major quam pro re lætitia[10], sed eo gratior, quod inter as-

7. *Utpote supino jactu*, ut solent esse tela, quæ sursum jaciuntur. — *Gravior ac pondere ipso libratior superne ictus;* vide ad VII, 23, n. 4. Contrarium dicere videtur Gell. IX, 1, quæ Magius, Misc. II, 16, conciliare conatur; Duk.

8. *Speculatoriæ naves...sub constratis;* vide ad XXII, 19, n. 4. — *Ac levia ipsa navigia*, vox *ipsa* del. videbatur Crever. Potius omnes illæ quatuor voces; Doer. *Speculatoriæ naves, levia ipsæ navigia*, emend. Duker. quia Livius non de aliis levibus navigiis, quam de speculatoriis, et paulo ante loquutus sit, et nunc loquatur, quod pateat ex seqq. *propugnatoribus quoque incommodæ*, etc. *Sub constratis pontium*, sub c. pontibus. Conf. ad IX, 3, n. 1; XXII, 30, n. 2, et Cerd. ad Virg. Æn. I, 422. — *Primo ipso tantum impetu*, primum solo t. imp. *Primo ipsæ tanto impetu* Put. et Flor. prob. Crever. ut *ipsæ* opponantur *propugnatoribus*, qui in navibus onerariis erant. *Primo ipso adactæ i.* conj. Gron.

9. *Asseres ferreo unco præfixi, harpagones;* vide ad XXIV, 34, n. 6. — *Retro inhibita;* vide ad XXVI, 39, n. 8. — *Seriem aliam*, reliquam. *Seriemque* quidam MSS et edd. Asyndeton probabat Gron.

10. *Major quam pro re lætitia;*

Digitized by Google

siduas clades ac lacrymas unum quantumcumque ex insperato gaudium affulserat; cum eo[11], ut appareret, haud procul exitio fuisse romanam classem, ni cessatum a præfectis suarum navium foret, et Scipio in tempore subvenisset.

XI. Per eosdem forte dies, quum Lælius et Masinissa[1] quintodecimo ferme die in Numidiam pervenissent, Massyli, regnum paternum Masinissæ[2], læti ut ad regem diu desideratum, concessere. Syphax, pulsis inde præfectis præsidiisque suis, vetere se continebat regno, neutiquam quieturus. Stimulabant ægrum amore uxor socerque; et ita viris equisque abundabat, ut subjectæ oculis regni per multos florentis annos vires etiam minus barbaro atque impotenti animo spiritus possent facere[3]. Igitur omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis equos, arma, tela dividit: equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam ab romanis centurionibus[4] didicerat, distribuit. Exercitu haud minore, quam quem prius habuerat, cæterum omni prope novo atque incondito, ire ad hostes pergit. Et castris in propinquo positis, primo pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi; inde jaculis submoti recurrere ad suos;

vide supra ad lib. VII, cap. 33, n. 2.

11. *Cum eo, ut appareret*, etc. vide ad VIII, 14, n. 3.

Cap. XI. 1. *Lælius et Masinissa*, etc. conf. cap. 9 pr.

2. *Massyli* (al. *Massylii*), *regnum paternum Masinissæ* (per epexegesin, ut *Heraclienses regnum tyrannorum* apud Justin. XVI, 5 extr. ubi vid. Gronov.), *læti* ad Masinissam, *ut ad regem diu desideratum, concessere*, transiere. Conf. XXIX, 29-33; ad VIII, 30, n. 7, et XXIV, 48, n. 1. — *Vetere regno* Masæsylorum; vide supra ad lib. XXIV, cap. 48, not. 1.

3. *Impotenti animo* (vide ad III, 36, n. 2) *spiritus possent facere*, h. e. animum, audaciam et fiduciam, vel arrogantiam, ut passim *spiritus* alti et elati, aut *flatus, tumor, tumidior sermo* (XLV, 23), *verba tumidiora* (XLV, 24 pr.), φύσημα, φυσίωσις, ὄγκος, οἴδημα, πνοαί, οἰδαίνειν. — *Arma, tela dividit;* vide supra ad I, 43, n. 4.

4. *Ab romanis centurionibus didicerat;* vide ad XXIV, 48. — *Novo atque incondito;* vid. XXI, 57, n. 11.

Digitized by Google

inde excursiones in vicem fieri, et, quum pulsos indignatio accenderet, plures subire : quod irritamentum certaminum equestrium est, quum aut vincentibus spes, aut pulsis ira aggregat suos. Ita tum a paucis prælio accenso, omnem utrimque postremo equitatum certaminis studium effudit. Ac dum sincerum equestre prælium erat[5], multitudo Masæsylorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat : deinde, ut pedes romanus repentino per turmas suas viam dantes intercursu stabilem aciem fecit, absterruitque effuse invehentem sese hostem, primo Barbari segnius permittere equos[6]; deinde stare ac prope turbari novo genere pugnæ; postremo, non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere, peditis præsidio audentem. Jam signa quoque legionum appropinquabant. Tum vero Masæsyli non modo primum impetum, sed ne conspectum quidem signorum atque armorum, tulerunt : tantum seu memoria priorum cladium, seu præsens terror valuit!

XII. Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis, si pudore[1], si periculo suo fugam sistere posset, equo graviter icto, effusus opprimitur capiturque, et vivus, lætum ante omnes Masinissæ præbiturus spectaculum, ad Lælium pertrahitur. Cirta caput regni Syphacis erat : eo se ingens hominum contulit vis. Cædes in eo prælio minor, quam victoria, fuit, quia equestri tantummodo prælio certatum fuerat : non plus quin-

5. *Sincerum equestre prælium*, merum, equitibus tantum pugnantibus, non admixtis peditibus.

6. *Segnius permittere equos;* vide ad II, 56, n. 1. Mox *propere turbari* optimi MSS, rectius, quia statim *cessisse* dicuntur; Jac. Gron. Insolenter dictum est; Doer. — *Audentem*, audacem factum. *Pedites* h. l. sunt velites, quia opponuntur mox *signa legionum* seu legionarii; Ern. Sic et XXXIII, 7 et 14.

Cap. XII. 1. *Si pudore*, experiens num forte sensu pudoris, quem exemplo suo militibus injiceret; Doer. Cf. ad I, 57, n. 1.

Digitized by Google

que millia occisa, minus dimidium ejus hominum captum est, impetu in castra facto, quo perculsa rege amisso multitudo se contulerat. Masinissa, *sibi quidem*, dicere, *nihil esse in præsentia pulchrius, quam victorem, recuperatum tanto post intervallo, patrium invisere regnum; sed tam secundis, quam adversis, rebus non dari spatium ad cessandum. Si se Lælius cum equitatu vinctoque Syphace Cirtam præcedere sinat, trepida omnia metu se oppressurum: Lælium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse.* Assentiente Lælio, prægressus Cirtam, evocari ad colloquium principes Cirtensium jubet. Sed apud ignaros regis casus, neque quæ acta essent promendo, nec minis, nec suadendo, ante valuit, quam rex vinctus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum tam fœdum comploratio orta; et partim pavore mœnia sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud victorem quærentium patefactæ portæ. Et Masinissa, præsidio circa portas opportunaque mœnium[2] dimisso, ne cui fugæ pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit equo. Intranti vestibulum in ipso limine Sophonisba[3], uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Pœni, occurrit, et quum in medio agmine armatorum Masinissam insignem, quum armis, tum cætero habitu, conspexisset, regem esse (id quod erat) rata, genibus advoluta ejus: « Omnia quidem ut posses in « nobis, dii dederunt virtusque et felicitas tua. Sed,

2. *Opportuna mœnium* loca; vide ad I, 54, n. 4.

3. *Sophonisba, uxor Syphacis*, etc. vide ad XXIX, 23, n. 3. — *Omnia quidem ut posses in nobis*, optimi MSS, ut *in* V, 11, n. 9, et XXVI, 33, n. 8; vid. VI, 22, n. 1. *Omnia quidem, inquit, ut posses in nos, dii tibi dederunt*, edd. ante Drak. Sæpe *inquit, ait, dicit* a Livio omissa et a librariis adjecta; vid. Drak. ad XXIII, 45, n. 6. — *In nos*, pro *in nobis* tueri conatur Crever. contra Gronovium: nam ex communi usu latini sermonis statuere debemus quid rectum sit, quid probari aut rejici necesse sit. Ea,

Digitized by Google

« si captivæ apud dominum vitæ necisque suæ vocem « supplicem mittere licet, si genua, si victricem attin- « gere dextram, precor quæsoque per majestatem re- « giam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, per « gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace « commune fuit, per hujusce regiæ deos, qui te me- « lioribus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc « miserunt, hanc veniam supplici des, ut ipse, quod- « cumque fert animus, de captiva statuas, neque me « in cujusquam romani superbum ac crudele arbitrium « venire sinas. Si nihil aliud, quam Syphacis uxor, « fuissem, tamen Numidæ, atque in eadem mecum « Africa geniti, quam alienigenæ et externi, fidem « experiri mallem. Quid Carthaginiensi ab Romano, « quid filiæ Hasdrubalis timendum sit, vides : si nulla « alia re potes, morte me ut vindices ab Romanorum « arbitrio, oro obtestorque ». Forma erat insignis et florentissima ætas. Itaque quum modo, dextram amplectens, in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias oratio esset, quam preces; non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed (ut est genus Numidarum in venerem præceps[4]) amore captivæ victor captus, data dextra in id, quod petebatur, obligandæ fidei, in regiam concedit. Institit deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem præstaret : quod quum expedire non posset, ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium. Nuptias in eum ipsum diem repente parari jubet, ne quid relinqueret integri

4. *Genus Numidarum in venerem præceps;* vide ad I, 18, n. 5, et XXIX, 23, n. 4. — *Victor captus.* Eadem fere antithesis occurrit apud Horat. Epist. II, 1, v. 156 : « Græcia capta ferum victorem cepit ». Ed. — *Institit deinde reputare;* vid. XXIV, 26, n. 7. — *Promissi fidem præstaret;* vide ad XXV, 41, n. 3. — *Ab amore mutuatur consilium*, nempe

Digitized by Google

aut Lælio, aut ipsi Scipioni, consulendi velut in captivam, quæ Masinissæ jam nupta foret. Factis nuptiis supervenit Lælius, et adeo non dissimulavit improbare se factum, ut primo etiam cum Syphace et cæteris captivis detractam eam toro geniali mittere ad Scipionem conatus sit. Victus deinde precibus Masinissæ orantis, ut arbitrium, utrius regum duorum fortunæ accessio Sophonisba esset[5], ad Scipionem rejiceret; misso Syphace et captivis[6], cæteras urbes Numidiæ, quæ præsidiis regiis tenebantur, adjuvante Masinissa, recipit.

XIII. Syphacem in castra adduci, quum esset nuntiatum, omnis velut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. Præcedebat ipse vinctus; sequebatur grex nobilium Numidarum. Tum, quantum quisque plurimum posset, magnitudini Syphacis, famæ gentis, victoriam suam augendo[1], addebat: *illum esse regem, cujus tantum majestati duo potentissimi in terris tribuerint populi, romanus carthaginiensisque, ut Scipio imperator suus ad amicitiam ejus petendam, relicta provincia Hispania exercituque, duabus quinqueremibus in Africam navigaverit; Hasdrubal, Pœnorum imperator, non ipse modo ad eum in regnum venerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit. Habuisse eum uno tempore in potestate duos imperatores, pœnum romanumque. Sicut ab diis immortalibus pars utraque hostiis mactandis pacem petisset, ita ab eo utrimque pariter amicitiam petitam. Jam tantas habuisse opes,*

proprii consilii, ex re ducendi, inops, omni alio consilio destitutus; quasi interim inopiam expleturus; Bauer.

5. *Utrius regum duorum fortunæ accessio Sophonisba esset*, i. e. utrius fortunam, velut addita, adjuncta, ut capiti et principi materiæ, sequeretur condonata, ob Masinissam libera, an ob Syphacem, cum Syphace, captiva haberetur; Bauer.

6. *Misso Syphace et captivis;* vide ad III, 25, n. 4.

Cap. XIII. 1. *Victoriam suam augendo, addebat*, i. e. unde augeretur victoria, augendæ victoriæ, quo illustrior agnosceretur; volens augere

Digitized by Google

ut Masinissam regno pulsum eo redegerit, ut vita ejus fama mortis et latebris, ferarum modo in silvis rapto viventis, tegeretur. His sermonibus circumstantium celebratus rex in prætorium ad Scipionem est perductus. Movit et Scipionem quum fortuna pristina viri præsenti fortunæ collata, tum recordatio hospitii dextræque datæ et fœderis publice ac privatim juncti. Eadem hæc et Syphaci animum dederunt in alloquendo victore[2]: nam quum Scipio, *quid sibi voluisset*, quæreret, *qui non societatem solum abnuisset romanam, sed ultro bellum intulisset*; tum ille, *peccasse quidem sese atque insanisse*, fatebatur; *sed non tum demum, quum arma adversus populum romanum cepisset: exitum sui furoris fuisse*[3], *non principium. Tunc se insanisse, tunc hospitia privata et publica fœdera omnia ex animo ejecisse, quum carthaginiensem matronam domum acceperit. Illius nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam*[4]: *illam furiam pestemque omnibus delinimentis*[5] *animum suum avertisse atque alienasse; nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit. Perdito tamen atque afflicto sibi hoc in miseriis solatii esse, quod in omnium hominum inimicissimi*[6] *sibi domum ac penates eamdem pestem ac furiam transisse videat. Neque prudentiorem, neque*

victoriam: quasi inverse dictum pro *Addendo augebat victoriam;* Bauer. *Augendo* pro augens, vel ita ut simul augeret; vide supra ad I, 8, n. 4. — *Fama mortis et latebris;* vide supra ad XXIX, 32.

2. *Syphaci animum dederunt in alloquendo victore,* ad alloquendum, alloquendi, vel alloquenti; Bauer. Rectius forte: quum alloqueretur victorem. Cf. ad I, 53, n. 3.

3. *Exitum sui furoris fuisse:* post *exitum* excidisse *hunc*, vel *illum*, vel *istum*, suspicatur Bauer. Forte *eum.*

4. *Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam*, venuste pro: hoc matrimonio suum regnum in perniciem actum esse. Cf. Appian. Pun. 27.

5. *Omnibus delinimentis*, etc. vide ad IV, 51, n. 2.

6. *Omnium hominum inimicissimi sibi*, Masinissæ.

Digitized by Google

constantiorem Masinissam, quam Syphacem, esse, etiam juventa incautiorem. Certe stultius illum atque intemperantius eam, quam se, duxisse.

XIV. Hæc non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis[1], amatam apud æmulum cernens, quum dixisset, non mediocri cura Scipionis animum pepulit[2]. Et fidem criminibus raptæ prope inter arma nuptiæ[3], neque consulto, neque exspectato Lælio, faciebant, tamque præceps festinatio, ut, quo die captam hostem[4] vidisset, eodem matrimonio junctam acciperet, et ad penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. Eo fœdiora hæc videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania juvenem nullius forma pepulerat captivæ. Hæc secum volutanti Lælius ac Masinissa supervenerunt : quos quum pariter ambo et benigno vultu excepisset, et egregiis laudibus frequenti prætorio[5] celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic alloquitur : « Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in « me bona, et principio in Hispania ad jungendam me« cum amicitiam venisse, et postea in Africa te ipsum « spesque omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui

Cap. XIV. 1. *Amoris etiam stimulis*, ut κεντροῖς ἔρωτος ἐκπεπληγμένη et δμηθεῖσα apud Eurip. Hippol. 38, 1317, et Herc. fur. 21 ; Oppian. Cyn. II, 31, 32 ; Lucret. IV, 1208 al. Cf. ad hæc et sqq. Appian. Pun. 28. *Amor* h. l. invidia ex amore *Jalousie ;* Bauer.

2. *Non mediocri...pepulit*, ut mox *ipsum juvenem nullius forma pepulerat captivæ*, h. e. commoverat, tetigerat, affecerat. Nam *res pellere nos* et *impellere* dicuntur, quæ vel sensuum instrumenta vel animum suaviter aut moleste afficiunt. Cf. Ernesti Clav. Cic.

3. *Raptæ prope inter arma nuptiæ ;* vide tamen ad lib. VI, cap. 23, not. 3.

4. *Captam hostem*, Sophonisbam ; nam Prisciani regula est V : « In *is* finita nomina, si ad homines proprie solos pertinent, communia sunt, et non faciunt ex se neutra, ut hic et hæc civis, hic et hæc hostis »; Gron. Cf. Duk. et Drak. ad h. l. et Burm. ad Ovid. Her. VI, 84. — *Ad penates hostis ;* vid. X, 23, n. 12, et XXVIII, 18, n. 1. — *Juvenem nullius forma pepulerat captivæ ;* conf. not. 2.

5. *Frequenti prætorio ;* vid. XXI, 54, n. 3. — *In Hispania ad jungendam m. a. venisse*, scilic. ad me : non *in Hispaniam*, ut in multis legitur li-

Digitized by Google

« nulla earum virtus est, propter quas appetendus tibi « visus sim, qua ego æque, atque temperantia et con- « tinentia libidinum, gloriatus fuerim. Hanc te quoque « ad cæteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adjecisse « velim. Non est, non (mihi crede) tantum ab hostibus « armatis ætati nostræ periculum, quantum ab circum- « fusis undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia « frenavit ac domuit, multo majus decus majoremque « victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo ha- « bemus. Quæ, me absente, strenue ac fortiter fecisti, « libenter et commemoravi, et memini : cætera te « ipsum reputare tecum, quam, me dicente, erube- « scere malo. Syphax populi romani auspiciis[6] victus « captusque est : itaque ipse, conjux, regnum, ager, « oppida, homines, qui incolunt, quidquid denique « Syphacis fuit, præda populi romani est; et regem « conjugemque ejus, etiamsi non civis carthaginiensis « esset, etiamsi non patrem ejus imperatorem hostium « videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus popu- « lique romani de ea judicium atque arbitrium esse, quæ « regem nobis socium alienasse, atque in arma egisse « præcipitem dicatur. Vince animum : cave deformes « multa bona uno vitio, et tot meritorum gratiam ma- « jore culpa, quam causa culpæ est, corrumpas ».

XV. Masinissæ hæc audienti non rubor solum suffusus, sed lacrymæ etiam obortæ; et quum *se quidem in potestate futurum imperatoris*[1] dixisset, orassetque eum, *ut, quantum res sineret, fidei suæ temere obstrictæ consuleret; promisisse enim, sese in nullius po-*

bris. Quum in Hispania foret, eam cum Scipione firmavit; Drak.

6. *Populi romani auspiciis;* vide ad lib. V, cap. 46, not. 10. Mox *videremus*, quia de *superstite* loquitur, Gisgonis filio Hasdrubale; Bauerus.

Cap. XV. 1. *Se in potestate futurum imperatoris;* vide ad II, 56, n. 16. — *Fidei suæ temere obstrictæ*, datæ (ut XXIII, 9, et *obligata fide* XL,

testatem eam traditurum, ex prætorio in tabernaculum suum confusus concessit. Ibi, arbitris remotis, quum crebro suspiritu et gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset; ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis[2] vocat, sub cujus custodia regio more ad incerta fortunæ venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam jubet[3], ac simul nuntiare, *Masinissam libenter primam ei fidem præstaturum fuisse, quam vir uxori debuerit. Quoniam arbitrium ejus, qui possint, adimant, secundam fidem præstare, ne viva in potestatem Romanorum veniat. Memor patris imperatoris patriæque et duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret.* Hunc nuntium ac simul venenum ferens minister quum ad Sophonisbam venisset, « Accipio, inquit, nuptiale « munus, neque ingratum, si nihil majus vir uxori « præstare potuit. Hoc tamen nuntia, melius me mo- « rituram fuisse, si non in funere meo nupsissem ».

57) *consuleret*, eam præstaret, ejus exsolvendæ rationem haberet. — *Confusus;* vide ad cap. 6, n. 1. — *Suspiritu* meliores MSS, non *suspirio*. Cf. Gronov. ad h. l. et Colvius ad Apul. Met. I, p. 9. — *Quod facile*, etc. ut illud, sc. suspirare et gemere: nisi pro *quod* leg. *qui;* Doer.

2. *Fidum e servis*, ut apud Tacit. Annal. XIV, 11; Sueton. Aug. 67, et al. Gron. — *Sub cujus custodia regio more ad incerta fortunæ* (vide ad IV, 27, n. 1) *venenum erat;* conf. Lips. Manuduct. ad Philos. Stoic. III, 28, et Casaub. ad Strab. III, pag. 251.

3. *Mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam jubet*, etc. Conf. Appian. Pun. 8, qui tamen hoc venenum ab ipso Masinissa clam Sophonisbæ allatum dicit. — Similem mulieris miserrimæ et simul fortissimæ exitum in scenam gallicam protulit, et quædam ex hoc loco ad verbum fere expressit Nostras *Racine*, *Mithridate*, V, sc. 2 :

Donnez. Dites, Arcas, au roi qui me l'envoie,
Que de tous les présents que m'a faits sa bonté,
Je reçois le plus cher et le plus souhaité.

Hoc argumentum apud recentiores poeseos tragicæ principium singulari quodam fato celebratur. Primus Italorum, qui tragœdiam scripserit, Georg. Trissinus, hanc ad tres artis tragicæ regulas exegit fabulam, quæ postea in gallicum theatrum secundum hujus leges a Jo. Mairet septem annis ante Magnum Cornelium (le Cid) translata, velut tanti luminis prænuntia refulsit: eam et ipse P. Cornelius Vol-

Digitized by Google

Non loquuta est ferocius, quam acceptum poculum, nullo trepidationis signo dato, impavide hausit[4]. Quod ubi nuntiatum est Scipioni, ne quid æger animi ferox juvenis gravius consuleret, accitum eum extemplo nunc solatur; nunc, quod temeritatem temeritate alia luerit, tristioremque rem, quam necesse fuerit, fecerit, leniter castigat. Postero die, ut a præsenti motu averteret animum ejus, in tribunal escendit[5], et concionem advocari jussit. Ibi Masinissam, primum regem appellatum eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburneo, toga picta et palmata tunica donat[6]. Addit verbis honorem, *Neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse; quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus romanus ducat.* Lælium deinde et ipsum collaudatum aurea corona donat: et alii militares viri, prout a quoque navata opera erat, donati. His honoribus mollitus regis animus, erectusque in spem propinquam, sublato Syphace, omnis Numidiæ potiundæ.

XVI. Scipio, C. Lælio cum Syphace aliisque captivis Romam misso, cum quibus et Masinissæ legati profecti sunt, ipse ad Tuneta rursum castra refert, et,

tariusque vena senili parum feliciter tractarunt. Ed.

4. *Non loquuta est ferocius, quam poculum... impavide hausit;* debebat: non *magis* loquuta est *ferociter,* etc., quod et inverse intelligi convenit, ac si citra pleonasmum diceret: non *minus impavide* hausit, quam *ferociter* loquuta est; Bauer.

5. *In tribunal escendit;* v. II, 7, n. 7.

6. *Ibi Masinissam, primum regem appellatum, aurea corona... donat;* conf. Dionys. Hal. V, 35, et Tac. Ann. IV, 26 extr. Hæc aliaque a populo rom. Masinissæ dono missa fuisse, tradit Appian. Pun. 32, qui confudit hunc locum et alium inf. cap. 17. — *Aurea patera,* ut argentea phiala ap. Plut. in Æmil. p. 270. Cf. Polyb. VI, 39, 3. — *Scipione eburneo,* sceptro. Conf. simil. loc. XXXI, 11. De *toga picta,* etc. vide ad X, 7, n. 9. Mox forte leg. *Addit verborum honorem.* Conf. ad XXV, 17, n. 5.

Digitized by Google

quæ munimenta inchoaverat, permunit. Carthaginienses, non brevi solum, sed prope vano gaudio, ab satis prospera in præsens oppugnatione classis perfusi, post famam capti Syphacis, in quo plus prope, quam in Hasdrubale atque exercitu suo spei reposuerant, perculsi, jam nullo auctore belli ultra audito, oratores ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes. Id erat sanctius apud illos consilium, maximaque ad ipsum senatum regendum vis. Qui ubi in castra romana et prætorium pervenerunt, more adulantium[1] (accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt. Conveniens oratio tam humili adulationi fuit, non culpam purgantium, sed transferentium initium culpæ in Hannibalem impotentiæque ejus fautores[2]. Veniam civitati petebant, civium temeritate bis jam ante eversæ, incolumi futuræ iterum hostium beneficio. *Imperium ex victis hostibus populum romanum, non perniciem, petere: paratis obedienter servire, quæ vellet, imperaret.* Scipio, *et venisse ea spe in Africam se,* ait, *et spem suam prospero belli eventu auctam, victoriam se, non pacem, domum reportaturum esse: tamen, quum victoriam prope in manibus habeat, pacem non abnuere; ut omnes gentes sciant, populum romanum et*

Cap. XVI. 1. *More adulantium,* etc. vide ad IX, 18, n. 2, et conf. Polyb. XV, 1. — *Ex ea regione, ex qua oriundi erant* Pœni, e Tyro. Sed totius fere Orientis ritus est; vide supra ad IX, 18, n. 2.

2. *Impotentiæque ejus fautores;* vide ad III, 36, n. 2. *Potentiæque* Put. Flor. et al. — Sed notat Drak. humilitati, qua legati Carthaginiensium pacem petunt, magis convenire ut auctoritatem Hannibalis vocent *impotentiam* quam *potentiam.* Hæc enim legitima esse potest, illa semper vitio vertitur. Ed. — *Bis jam ante eversæ*, non vastatæ, dirutæ, excisæ, sed cujus potentia labefacta esset, et quæ fractis viribus non multum abesset ab interitu et eversione: sed vel ita mihi suspectum est *ante*, quod ex duabus postremis literis vocis præc. et prima sequentis oriri potuit (nam eo tempore adhuc durabat bellum secundum, nec duo alia bella ante illud

Digitized by Google

suscipere juste bella, et finire. Leges pacis se has dicere[3] *: Captivos, et perfugas, et fugitivos restituant: exercitus ex Italia et Gallia deducant; Hispania abstineant: insulis omnibus, quæ inter Italiam et Africam sunt, decedant: naves longas, præter viginti, omnes tradant; tritici quingenta, hordei trecenta millia modium.* Pecuniæ summam quantam imperaverit, parum convenit[4] : alibi quinque millia talentum, alibi quinque millia pondo argenti, alibi duplex stipendium militibus imperatum invenio. « His conditionibus, in« quit, si placeat pax, triduum ad consultandum da« bitur. Si placuerit, mecum inducias facite, Romam « ad senatum mittite legatos. » Ita dimissi Carthaginienses, nullas recusandas conditiones pacis quum censuissent (quippe qui moram temporis quærerent, dum Hannibal in Africam trajiceret), legatos alios ad Scipionem, ut inducias facerent, alios Romam ad pacem petendam mittunt, ducentes paucos in speciem captivos perfugasque et fugitivos, quo impetrabilior pax esset.

XVII. Multis ante diebus Lælius cum Syphace primoribusque Numidarum captivis Romam venit; quæque in Africa gesta essent, omnia exposuit ordine Pa-

gesta), aut leg. *bis tantum non eversæ;* Duk. Sic et Crev. delendum putabat *ante*, et exponebat: quam cives sui jam bis, quantum in se esset, evertissent; vel quæ perire meruisset. Cf. ad XXVIII, 34, n. 4. *Bis jamteversæ* Put. et Flor. at plane *bis jam eversæ* Reg. Lov. 3, et Harl. *bis jam pæne eversæ* conj. Doer. coll. Cic. Har. Resp. 4.

3. *Leges pacis se has dicere*, etc. conf. Appian. Pun. 31, 32. — *Perfugas et fugitivos;* vide ad cap. 43, n. 9. — *Naves longas, præter XX;* apud Eutrop. III, 21, et Appian. *præter XXX.*

4. *Parum convenit;* vide ad I, 3, n. 4. — *Quinque millia talentum:* ap. Appian. MDC talenta. Immane est, inquit Creverius, quantum hæc summa ab altera distet. *Quinque millia talentum* sunt marcæ argenti nostrates 468750; *quinque* vero *millia pondo* æquant marcas nostrates 7812 cum quatuor unciis. Ed. — *Si* (h. e. an) *placeat pax* ex emend. Gronov. pro vulg. *placeatne pax* recepi. *Si placeant pax* Put. *Si placet pax* Gud.

Digitized by Google

tribus, ingenti omnium et in præsens lætitia, et in futurum spe. Consulti inde Patres regem in custodiam Albam mittendum censuerunt; Lælium[1] retinendum, donec legati carthaginienses venirent. Supplicatio in quatriduum decreta est. P. Ælius prætor, senatu misso et concione inde advocata, cum C. Lælio in Rostra escendit. Ibi vero audientes, fusos Carthaginiensium exercitus, devictum et captum ingentis nominis regem, Numidiam omnem egregia victoria peragratam, tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus, quibusque aliis multitudo solet, lætitiam immodicam significarent. Itaque prætor extemplo edixit, *Uti æditui ædes sacras omnes tota urbe aperirent; circumeundi salutandique deos agendique grates per totum diem*[2] *populo potestas fieret.* Postero die legatos Masinissæ in senatum introduxit. Gratulati primum senatui sunt, *quod P. Scipio prospere res in Africa gessisset:* deinde gratias egerunt, *quod Masinissam non appellasset modo regem, sed fecisset, restituendo in paternum regnum; in quo post Syphacem sublatum, si ita Patribus visum esset, sine metu et certamine esset regnaturus.* Dein, *quod collaudatum pro concione amplissimis decorasset donis: quibus ne indignus esset, et dedisse operam Masinissam, et porro daturum esse. Petere, ut regium nomen cæ-*

Conf. supra ad librum I, cap. 57, n. 1.

Cap. XVII. 1. *Lælium retinendum*, etc. sed cap. 21 extr. dimissum ait ante adventum legatorum: quapropter vel decretum mutatum est, vel lapsus memoria diversosve sequutus auctores Livius hæc scripsit; Glar. Vide quæ notantur infra, p. 44. Ed. — *In Rostra escendit;* vide ad II, 7, n. 7, et VIII, 14.

2. *Agendique grates per totum diem*, forte *per IIII diium*, h. e. quatriduum: nam *supplicatio in quatriduum decreta* erat; Pigh. in Ann. ad an. 550, p. 224. Senatus quidem decreverat eam, sed prætor nondum edixerat: interim igitur, dum tempus commodum veniret, ut populo satis fieret, edixit, ut eo etiam die ædes sacræ tota urbe paterent; Drak. *Per totum diem* unoquoque quatuor dierum; Doer.

Digitized by Google

teraque Scipionis beneficia et munera senatus decreto confirmaret : et, nisi molestum esset, illud quoque petere Masinissam, ut Numidas captivos, qui Romæ in custodia essent, remitterent. Id sibi amplum apud populares futurum[3] *esse.* Ad ea responsum legatis : *Rerum gestarum in Africa prospere communem sibi cum rege gratulationem esse. Scipionem recte atque ordine videri fecisse*[4], *quod eum regem appellaverit; et, quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ, ea Patres comprobare atque laudare.* Munera, quæ legati ferrent regi, decreverunt : sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis et lato clavo tunicis, et equos duo phaleratos, bina equestria arma cum loricis, et tabernacula militaremque supellectilem, qualem præberi consuli mos esset. Hæc regi prætor mittere jussus. Legatis in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millium æris; et vestimenta bina legatis, singula comitibus Numidisque, qui ex custodia emissi redderentur regi. Ad hoc ædes liberæ, loca, lautia[5] legatis decreta.

XVIII. Eadem æstate, qua hæc decreta Romæ et in Africa gesta sunt, P. Quintilius Varus prætor et M. Cornelius proconsul in agro Insubrium Gallorum cum

3. *Id sibi amplum a. p. futurum;* vide ad II, 9, n. 2.

4. *Recte atque ordine videri fecisse;* vide ad XXIV, 31, n. 3. — *Quod cordi foret Masinissæ, ea,* etc. vide ad VI, 9, n. 1, et XXXIII, 24, n. 4. — *Cum fibulis aureis singulis et lato* cum *clavo tunicis;* vide ad I, 14, n. 4. *Cum fibulis aureis et singulis l. c. t.* conj. Pigh. in Ann. ad an. 550, p. 224, et tom. I, p. 66. Sed, quum Livius dicit *tunicis*, credo e præcedd. repeti posse *singulis*, et ad singula saga purpurea singulas fibulas aureas et singulas lato clavo tunicas datas esse; Duker. — *Legatis in singulos dona ne minus*, etc. vide ad XXVIII, 39, n. 7; XXIX, 15, n. 5, et XLII, 1, n. 5. — *Quinum millium.* Si æs grave cum Creverio intelligamus, quina millia æris æstimari possunt mercis argenti paris. 7 cum unciis sex et semuncia; mille æris unciis argenti duodecim itidem cum semuncia. Ed.

5. *Ad hoc ædes liberæ, loca, lautia*, etc. vide ad II, 23, n. 3; XXIV, 7, n. 3; XXVIII, 39, n. 8, et XLII, 1, not. 5.

Digitized by Google

tribus, ingenti omnium et in præsens lætitia, et in futurum spe. Consulti inde Patres regem in custodiam Albam mittendum censuerunt; Lælium[1] retinendum, donec legati carthaginienses venirent. Supplicatio in quatriduum decreta est. P. Ælius prætor, senatu misso et concione inde advocata, cum C. Lælio in Rostra escendit. Ibi vero audientes, fusos Carthaginiensium exercitus, devictum et captum ingentis nominis regem, Numidiam omnem egregia victoria peragratam, tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus, quibusque aliis multitudo solet, lætitiam immodicam significarent. Itaque prætor extemplo edixit, *Uti æditui ædes sacras omnes tota urbe aperirent; circumeundi salutandique deos agendique grates per totum diem*[2] *populo potestas fieret.* Postero die legatos Masinissæ in senatum introduxit. Gratulati primum senatui sunt, *quod P. Scipio prospere res in Africa gessisset:* deinde gratias egerunt, *quod Masinissam non appellasset modo regem, sed fecisset, restituendo in paternum regnum; in quo post Syphacem sublatum, si ita Patribus visum esset, sine metu et certamine esset regnaturus.* Dein, *quod collaudatum pro concione amplissimis decorasset donis: quibus ne indignus esset, et dedisse operam Masinissam, et porro daturum esse. Petere, ut regium nomen cæ-*

Conf. supra ad librum I, cap. 57, n. 1.

Cap. XVII. 1. *Lælium retinendum*, etc. sed cap. 21 extr. dimissum ait ante adventum legatorum: quapropter vel decretum mutatum est, vel lapsus memoria diversosve sequutus auctores Livius hæc scripsit; Glar. Vide quæ notantur infra, p. 44. Ed. — *In Rostra escendit;* vide ad II, 7, n. 7, et VIII, 14.

2. *Agendique grates per totum diem*, forte *per IIII duum*, h. e. quatriduum: nam *supplicatio in quatriduum decreta* erat; Pigh. in Ann. ad an. 550, p. 224. Senatus quidem decreverat eam, sed prætor nondum edixerat: interim igitur, dum tempus commodum veniret, ut populo satis fieret, edixit, ut eo etiam die ædes sacræ tota urbe paterent; Drak. *Per totum diem* unoquoque quatuor dierum; Doer.

Digitized by Google

teraque Scipionis beneficia et munera senatus decreto confirmaret: et, nisi molestum esset, illud quoque petere Masinissam, ut Numidas captivos, qui Romæ in custodia essent, remitterent. Id sibi amplum apud populares futurum[3] *esse.* Ad ea responsum legatis: *Rerum gestarum in Africa prospere communem sibi cum rege gratulationem esse. Scipionem recte atque ordine videri fecisse*[4], *quod eum regem appellaverit; et, quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ, ea Patres comprobare atque laudare.* Munera, quæ legati ferrent regi, decreverunt: sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis et lato clavo tunicis, et equos duo phaleratos, bina equestria arma cum loricis, et tabernacula militaremque supellectilem, qualem præberi consuli mos esset. Hæc regi prætor mittere jussus. Legatis in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millium æris; et vestimenta bina legatis, singula comitibus Numidisque, qui ex custodia emissi redderentur regi. Ad hoc ædes liberæ, loca, lautia[5] legatis decreta.

XVIII. Eadem æstate, qua hæc decreta Romæ et in Africa gesta sunt, P. Quintilius Varus prætor et M. Cornelius proconsul in agro Insubrium Gallorum cum

3. *Id sibi amplum a. p. futurum;* vide ad II, 9, n. 2.

4. *Recte atque ordine videri fecisse;* vide ad XXIV, 31, n. 3. — *Quod cordi foret Masinissæ, ea,* etc. vide ad VI, 9, n. 1, et XXXIII, 24, n. 4. — *Cum fibulis aureis singulis et lato* cum *clavo tunicis;* vide ad I, 14, n. 4. *Cum fibulis aureis et singulis l. c. t.* conj. Pigh. in Ann. ad an. 550, p. 224, et tom. I, p. 66. Sed, quum Livius dicit *tunicis*, credo e præcedd. repeti posse *singulis*, et ad singula saga purpurea singulas fibulas aureas et singulas lato clavo tunicas datas esse; Duker. — *Legatis in singulos dona ne minus*, etc. vide ad XXVIII, 39, n. 7; XXIX, 15, n. 5, et XLII, 1, n. 5. — *Quinum millium.* Si æs grave cum Creverio intelligamus, quina millia æris æstimari possunt mercis argenti paris. 7 cum unciis sex et semuncia; mille æris unciis argenti duodecim itidem cum semuncia. Ed.

5. *Ad hoc ædes liberæ, loca, lautia*, etc. vide ad II, 23, n. 3; XXIV, 7, n. 3; XXVIII, 39, n. 8, et XLII, 1, not. 5.

Digitized by Google

Magone pœno signis collatis pugnarunt. Prætoris legiones in prima acie fuerunt : Cornelius suas in subsidiis tenuit, ipse ad prima signa equo advectus: proque duobus cornibus[1] prætor ac proconsul milites ad inferenda in hostes signa summa vi hortabantur. Postquam nihil commovebant, tum Cornelio Quintilius : « Lentior, ut vides, fit pugna; et induratus præter « spem resistendo hostium timor; ac, ne vertat in au« daciam, periculum est. Equestrem procellam[2] exci« temus, oportet, si turbare ac statu movere volumus. « Ita vel tu ad prima signa prælium sustine, ego in« ducam in pugnam equites : vel ego hic in prima acie « rem geram, tu quatuor legionum equites in hostem « emitte[3] ». Utram vellet prætor, muneris partem proconsule accipiente, Quintilius prætor cum filio, cui Marco prænomen erat, impigro juvene, ad equites pergit, jussosque escendere in equos repente in hostem emittit. Tumultum equestrem auxit clamor ab legionibus additus; nec stetisset hostium acies, ni Mago ad primum equitum motum paratos elephantos extemplo in prælium induxisset. Ad quorum stridorem odoremque et adspectum territi equi vanum equestre

Cap. XVIII. 1. *Proque duobus cornibus,* ante ea. — *Nihil commovebant,* scil. hostem, e statu suo movebant (ut paulo post, et IX, 40); Doer. Immo : milites hortatione sua. — *Induratus,* durior et firmior factus est, h. e. hostes contra timorem resistendo se obfirmarunt; Doer. — *Ne vertat in audaciam;* vide ad II, 3, n. 2. *Timor ne vertat in audaciam* malebat Gronovius.

2. *Equestrem procellam;* vide ad X, 5, n. 4. — *Statu movere;* vide ad II, 10, n. 7. — *Prælium sustine;* vide ad II, 44, n. 6.

3. *Equites in hostem emitte;* vide ad II, 56, n. 1. — *Utram vellet prætor,* scil. accipere proconsulem, *accipiente,* dicente, se paratum esse accipere. — *Cum filio, cui Marco prænomen erat:* nescio, cur tam notabile visum fuerit Livio, huic *Marco* prænomen fuisse, ut id posteritati non invidendum putaverit : nam sufficiebat utique *cum filio Marco,* et raro utitur voce *prænomen,* qua et VI, 20 dedita opera abstinuisse videtur; Duk. Sic et VII, 22. Drak. — *Tumultum equestrem;* vide ad X, 5, n. 4. — *Stridorem,* barritum, ut XLIV, 5.

Digitized by Google

auxilium fecerunt : et ut permixtus, ubi cuspide uti et cominus gladio posset, roboris majoris romanus eques erat[4], ita in ablatum paventibus procul equis melius ex intervallo Numidæ jaculabantur. Simul et peditum legio duodecima, magna ex parte cæsa, pudore magis, quam viribus, tenebat locum; nec diutius tenuisset, ni ex subsidiis tertia decima legio, in primam aciem inducta, prælium dubium[5] excepisset. Mago quoque ex subsidiis Gallos integræ legioni opposuit : quibus haud magno certamine fusis, hastati legionis undecimæ conglobant sese, atque elephantos jam peditum aciem turbantes invadunt. In quos quum pila confertos conjecissent, nullo ferme frustra emisso, omnes retro in aciem suorum averterunt : quatuor gravati vulneribus corruerunt. Tum prima commota hostium acies[6] : simul omnibus peditibus, ut aversos videre elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum effusis, sed donec stetit ante signa Mago, gradum sensim referentes ordines tenorem pugnæ servabant; postquam femine transfixo cadentem, auferrique ex prælio prope exsanguem videre, extemplo in fugam omnes versi. Ad quinque millia hostium eo die cæsa, et signa militaria duo et viginti capta : nec Romanis

4. *Roboris majoris romanus eques erat*, majorem vim habebat; plus perficere poterat, *permixtus* hostium equitatui et elephantis. — *Ablatum paventibus equis*, abreptum (græce φερόμενον, gall. *emporté*) a consternatis equis. Conf. ad Sil. V, 633.

5. *Prælium dubium excepisset;* vide ad IV, 43, n. 4. *Expetisset* multi bonique MSS, et hinc Gron. Conf. ad I, 25, n. 7. — *Jam peditum aciem turbantes*. Putean. liber et unus ex Gronovianis omittunt *etiam*, quod inseritur post *jam;* quare illud nos abjecimus: quod si recipias, cum Creverio puta hic ideo additum, quia primo equitatum romanum elephanti turbaverant. Ed.

6. *Tum prima* (f. *primum;* Duk.) *commota hostium acies* (cf. not. 1), *effusis* (vide ad I, 14, n. 7) *simul omnibus peditibus* romanis, *ut aversos* ab hastatis illis *videre elephantos*. Non est itaque, quod *egere* pro *videre* legas cum Gronov. — *Tenorem pugnæ servabant*, pugnandi ardorem.

Digitized by Google

incruenta victoria fuit; duo millia et trecenti de exercitu prætoris, pars multo maxima ex legione duodecima, amissi : inde et tribuni militum duo, M. Cosconius et M. Mænius; tertiæ decimæ quoque legionis, quæ postremo prælio affuerat, Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna cecidit, et duo et viginti ferme equites illustres[7], obtriti ab elephantis, cum centurionibus aliquot perierunt: et longius certamen fuisset, ni vulnere ducis concessa victoria esset.

XIX. Mago, proximæ noctis silentio profectus, quantum pati viæ per vulnus poterat[1], itineribus extentis, ad mare in Ligures Ingaunos pervenit. Ibi eum legati ab Carthagine[2], paucis ante diebus in sinum Gallicum appulsis navibus, adierunt, jubentes, primo quoque tempore in Africam trajicere. *Idem et fratrem ejus Hannibalem (nam ad eum quoque isse legatos eadem jubentes) facturum. Non in eo*[3] *esse Carthaginiensium res, ut Galliam atque Italiam armis obtineant.* Mago, non imperio modo senatus periculoque patriæ motus, sed metuens etiam, ne victor hostis moranti instaret, Liguresque ipsi, relinqui Italiam a Pœnis cernentes, ad eos, quorum mox in potestate futuri essent, deficerent, simul sperans leniorem in

— *Inde*, ex ea legione, *et tribuni militum*, etc.

7. *Equites illustres*, « i. e. clari, nobiles, sive genere, sive opibus, sive virtute et factis fortibus, sive quacumque alia re, quæ eos præter cæteros illustres et claros fecerat; adeoque h. l. quum alii, tum etiam ii, qui, quum equum publicum haberent, vel lectione censorum, vel jure magistratus in senatum venerant; quos equum publ. retinere potuisse, probabile esse dixi ad XXIX, 37, n. 6. Hi enim non minus inter equites merere potuerunt, quam *sua voluntate milites facti* sunt octoginta senatores, etc. XXII, 49. Alibi Livius *viros illustres* vocat eos, qui gradu ac dignitate militari ante alios eminebant, ut XXXIII, 36; forte et XXXIII, 25 ». Duker. Conf. ad Tac. Ann. I, 73, n. 1.

Cap. XIX. 1. *Per vulnus poterat;* vide ad V, 12, n. 6.

2. *Legati ab Carthagine*, ut. cap. extr. Conf. ad X, 14, n. 2.

3. *Non in eo*, scil. loco, statu *esse*

Digitized by Google

navigatione, quam in via, jactationem vulneris[4] fore, et curationi omnia commodiora, impositis copiis in naves profectus, vixdum superata Sardinia, ex vulnere moritur: naves quoque aliquot Pœnorum disjectæ in alto a classe romana, quæ circa Sardiniam erat, capiuntur. Hæc terra marique in parte Italiæ, quæ jacet ad Alpes, gesta. Consul C. Servilius, nulla memorabili re in provincia Etruria et Gallia (quoniam eo quoque processerat[5]) gesta, patre C. Servilio et C. Lutatio ex servitute post sextumdecimum annum receptis, qui ad vicum Tanetum a Boiis capti fuerant, hinc patre, hinc Catulo lateri circumdatis, privato magis, quam publico decore insignis, Romam rediit. Latum ad populum[6] est, *ne C. Servilio fraudi esset, quod patre, qui sella curuli*

C. res (forsan *rem*); vide supra ad II, 17, n. 2.

4. *Jactationem vulneris*; vide ad XXI, 48, n. 5.

5. *Quoniam eo quoque processerat*, quidam MSS et edd. ante Gron. *nam eo q. p.*, non male: sed emendationem sapit. — *Patre C. Servilio et C. Lutatio* Catulo *ex servitute post XVI annum receptis, qui... capti fuerant* a. U. 534; vide ad XXI, 25, et ad cap. 44 pr. Servilium fuisse prætorium et Lutatium consularem, docet Polyb. III, 40., 9, *ad vicum Tanetum*; vide ad XXI, 25, n. 9. Sed ibidem et XXVII, 21 extr. Livius, alios, forte auctores sequutus, eos Mutina evocatos captosque dixit. In edd. ante Drak. post *Lutatio* additur *patruo*, et mox pro *Catulo* legitur *patruo*, adversantibus optimis MSS. Quorum consensus nisi obstaret, Catulum potuisse fratrem uterinum esse C. Servilii, patris consulis, et ita recte *patruum* consulis dici, monet Duk. Idem pro *qui ad vicum* conj. *quam ad v.*

6. *Latum ad populum est, ne C. Servilio fraudi esset* (vide ad I, 24, n. 8), *quod patre, qui sella curuli sedisset* (conf. not. 5), *vivo, quum id ignoraret, tribunus plebis atque ædilis plebis fuisset, contra quam* (vide ad cap. 10, n. 3) *sanctum legibus erat*: de qua re hæc leguntur XXVII, 21 extr.: *Servilium negabant* vulgo homines tum viventes *jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem* plebis nunc *esse, quod patrem ejus, quem triumvirum agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse opinio per decem annos fuerat* (vide ad XXI, 25, n. 4), *vivere atque in hostium potestate esse, satis constabat.* Dukeri nota est: « Legis, qua hoc prohibebatur, nusquam alibi fit mentio. Manutius, de Leg. Rom. cap. 5, eam ad omnes magistratus pertinuisse existimat, et vetuisse *magistratum* ab illo capi, cujus pater in potestate hostium esset. Illius ferendæ hanc rationem addit, Romanos, sapientissimos viros judicasse, hominis non liberi filium rempublicam ad-

Digitized by Google

sedisset, vivo, quum id ignoraret, tribunus plebis atque ædilis plebis fuisset, contra quam sanctum legibus erat. Hac rogatione perlata, in provinciam rediit. Ad Cn. Servilium consulem, qui in Bruttiis erat, Con-

ministrare nimis indecorum esse. Idem sensisse Franc. Hotomannum ex eo colligo, quod Obss. III, 11, h. l. *servo* pro *vivo* legendum suspicatur. Gruchius, de Com. Rom. II, 3, nihil aliud de hac lege affert, quam cautum fuisse, ut hos magistratus, tribunatum scil. et ædilitatem plebis, gerere non possent, quorum pater, qui sella curuli sedisset, viveret. Pighius denique in Ann. ad an. U. 260, p. 94, putat, quo magis adversus potentiam nobilium muniretur tribunitia potestas, cautum fuisse, ne filii, quorum patres curuli magistratu functi adhuc superstites essent, ad tribunatum ædilitatemve plebis admitterentur. Parentum enim jus in liberos potestatem quamvis infringere ac minuere posse, persuasum fuisse. Nam et (quod ad an. U. 521, pag. 101 addit) Dionys. Hal. II, 26 auctore, aliquando viros illustres, pro Rostris adversus senatum concionantes, nec plebe, nec tribunis intercedentibus, a patribus detractos et abductos fuisse. Auctorem legis ignorare se fatetur, sed occasionem ejus ferendæ fuisse suspicatur, quod C. Flaminius, ille qui ad Trasimenum cecidit, quum tribunus plebis legem de agro picente et gallico viritim dividendo ferret, a patre manu injecta de Rostris detractus est, ut narrant Cic. de Inv. II, 17, et Val. Max. V, 4, 5. — Non absurda est ratio, qua ductus Manutius putavit, ad nullos magistratus admissos fuisse eos, quorum patres non essent liberi. Sed primum apertum est ex ipsis verbis Livii, hac lege non prohibitos fuisse magistratum gerere eos, quorum patres *servirent*, sed quorum patres, et quidem *qui sella curuli sedissent, viverent;* nec ea cautum fuisse, ne hi ullum magistratum, sed ne *tribunatum et ædilitatem plebis* capere possent. Nam, si lex de omnibus magistratibus loquuta fuisset, omnino *ad populum ferendum* fuisset, *ne C. Servilio fraudi esset*, non modo *quod tribunus et ædilis plebis*, sed etiam *quod ædilis curulis et prætor* fuisset (vide XXVII, 33, 36, et XXVIII, 10), ac tum *consul* esset. Deinde non major erat ratio ab omnibus magistratibus excludendi eos, quorum patres, postquam sella curuli sederant, libertatem amiserant, quam quorum patres nunquam illa sederant. Et hoc quoque infirmat conjecturam Hotomanni, præterquam quod ei adversantur libri omnes Livii. Pighii sententiæ obstat, quum quod non erat causa ædilitatem plebis ita muniendi adversus potentiam nobilium, ut tribunitiam potestatem, tum maxime illud, quod secundo loco Manutianæ opponi posse dixi: neque enim minor in liberos erat potestas patrum, qui sella curuli non sederant, quam qui ea sederant. Nec credo responderi posse, patres, qui sella curuli sederant, fortassis factioni optimatum addictiores existimatos, et ob id horum liberos ad hos magistratus non admissos fuisse: nam semper multi tam ex his, quam ex senatoribus populares erant, et contra multi ex plebe, qui nunquam ad honores curules pervenerant, sectam optimatum sequebantur; quibus nullo negotio persuaderi

Digitized by Google

sentia, Uffugum, Vergæ, Besidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Clampetia[7], multique alii ignobiles populi, senescere punicum bellum[8] cernentes, defecere. Idem consul cum Hannibale in agro crotoniensi acie conflixit: obscura ejus pugnæ fama est. Valerius Antias quinque millia hostium cæsa ait. Quæ tanta res est, ut aut impudenter ficta[9] sit, aut negligenter prætermissa. Nihil certe ultra rei in Italia ab Hannibale gestum: nam ad eum quoque legati ab Carthagine, vocantes in Africam, iis forte diebus, quibus ad Magonem, venerunt.

potuisset, ut in filiis tribunis et ædilibus plebis patria potestate uterentur. Dixi, cur mihi, quæ de hac lege scripserunt viri docti, nondum satis faciant; nec dissimulo, me plane ignorare, cur ea tantum a duobus magistratibus plebis non omnes, quorum patres, sed quorum patres *curuli magistratu functi*, viverent, arcuerit. Quærant doctiores, et simul videant jurisconsulti, an hic aliquid sit, quod ad *jus postliminii* pertinere possit.» — Meo qualicumque judicio h. l. non de lege aliqua singulari, sed de *legibus* sermo est, et quidem iis, quibus cautum erat, ut pater ab hostibus captus, et hinc quoque filius ejus, propter capitis diminutionem maximam, amitteret jus civitatis adeoque et honorum: quod recipiebat redemptione ex captivitate et jure postliminii; vid. intpp. Ciceronis Top. 8, pro Cæcinna, 14, et pro Balbo, 11, 12. Filius autem, *quum ignorasset*, patrem captivum vivumque esse (nam *vivo* recte legi, vel ex XXVII, 21 extr. patet), aut certe id ignorare simulasset, et ambierat et acceperat honores; ex quibus h. l. non nisi primi memorantur: nam si eos rite ac jure consequutus erat, aditus etiam ei patebat ad reliquos et majores; et id tantum quærebatur, utrum omnino honores, etiam infimos, petere per leges ei licuerit necne. Id manifestum est ex XXVII, 21 extr. « Servilium negabant jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse, quod patrem ejus vivere atque in hostium potestate esse satis constabat.» Unus, ni fallor, restat scrupulus, quem verba *qui sella curuli sedisset* nobis injicere possint. Hæc vero ad ipsum rei caput nihil pertinere arbitror: quare etiam sup. XXVII, 21, haud quidquam ejusmodi legitur. Vellem tamen per libros substituere liceret *qui bello captus fuisset* aut *consenuisset*. Ita plane hic locus cum altero, XXVII, 21, congrueret, nec quidquam superesset, quod nos offendere posset in alterutro.

7. *Consentia*..... *Clampetia*, etc. vide ad XXIX, 38, n. 1. — *Besidiæ*, forte Βάδιζα apud Steph. et hodie *Bisigniano*. Cf. Cluver. Ital. IV, pag. 1317, et Schweigh. ad Polybium, XIII, 10, 1.

8. *Senescere punicum bellum*; vide supra ad librum XXVIII, cap. 36, not. 2.

9. *Impudenter ficta* a Valerio Antiate, omnia immodice augente; de

Digitized by Google

XX. Frendens gemensque ac vix lacrymis temperans dicitur legatorum verba audisse. Postquam edita sunt mandata, « Jam non perplexe, inquit, sed palam « revocant, qui, vetando supplementum et pecuniam « mitti, jam pridem retrahebant. Vicit ergo Hanniba- « lem non populus romanus toties cæsus fugatusque, « sed senatus carthaginiensis obtrectatione atque in- « vidia. Neque hac deformitate reditus mei tam P. Sci- « pio exsultabit atque efferet sese, quam Hanno, qui « domum nostram, quando alia re non potuit, ruina « Carthaginis oppressit ». Jam hoc ipsum præsagiens animo præparaverat ante naves : itaque, inutili militum turba præsidii specie in oppida bruttii agri, quæ pauca magis metu, quam fide, continebantur[1], dimissa, quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit; multis italici generis (quia in Africam sequuturos abnuentes concesserant in Junonis Laciniæ delubrum, inviolatum ad eam diem) in templo ipso fœde interfectis. Raro quemquam alium, patriam exsilii causa relinquentem, magis mœstum abisse ferunt, quam Hannibalem hostium terra excedentem : respexisse sæpe Italiæ litora[2], et deos hominesque accusantem, in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum, *quod non cruentum ab cannensi victoria militem Romam duxisset. Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui consul hostem in Italia Pœnum non*

quo vid. XXVI, 49; XXXIII, 10; XXXVI, 38.

Cap. XX. 1. *Magis metu continebantur;* vide ad XXII, 22, n. 9.

2. *Respexisse sæpe Italiæ litora,* more eorum, qui inviti locum relinquunt. Conf. ad Sil. VIII, 108; XII, 594. — Ea quoque in laudem Hannibalis citat Nostras *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, c. 5 : « Les succès de Scipion obligèrent les Carthaginois à rappeler d'Italie Annibal, qui pleura de douleur, en cédant aux Romains cette terre, où il les avait tant de fois vaincus ». Ed. — Mox τὸ *et* ante *deos* cancellandum; Gron. — *In se ac suum caput exsecratum*; vide ad I, 51, n. 1.

Digitized by Google

vidisset. Se, centum millibus armatorum ad Trasimenum et Cannas cæsis, circa Casilinum Cumasque et Nolam consenuisse. Hæc accusans querensque ex diutina possessione Italiæ[3] est detractus.

XXI. Romam per eosdem dies, et Magonem et Hannibalem profectos, allatum est. Cujus duplicis gratulationis minuit lætitiam, et quod parum duces in retinendis iis (quum id mandatum ab senatu esset) aut animi, aut virium habuisse videbantur, et quod solliciti erant, omni belli mole in unum ducem exercitumque inclinata, quo evasura esset res. Per eosdem dies legati saguntini venerunt, comprehensos cum pecunia adducentes Carthaginienses, qui ad conducenda auxilia in Hispaniam trajecissent. Ducentum et quinquaginta auri, octingentum pondo argenti[1] in vestibulo curiæ posuerunt. Hominibus acceptis et in carcerem conditis, auro argentoque reddito, gratiæ legatis actæ, atque insuper munera data ac naves, quibus in Hispaniam reverterentur. Mentio deinde ab senioribus facta est, *Segnius homines bona, quam mala, sentire. Transitu in Italiam Hannibalis quantum terroris pavorisque, sese meminisse, quas deinde clades, quos luctus incidisse*[2]*! Visa castra hostium e muris Urbis: quæ vota singulorum universorumque*

3. *Ex diutina possessione Italiæ;* conf. cap. 28 pr.

Cap. XXI. 1. *Ducentum et L auri, octingentum pondo argenti* plerique MSS et edd. ante Moguntinos, qui *ducenta* et *octoginta* reposuere. Conf. XXII, 37, n. 1; XXVIII, 45, n. 5; XLII, 6; quibus aliisque locis Gron. de Pec. Vet. I, 7, τὸ *pondo* semper contendit esse ablativum singularem, et intell. *librarum pondus* seu *pondera* v. c. *ducentum*, h. e. ducentarum. Sed cur ita τὸ *pondo* adjicitur? Conf. Schelleri Lex. lat. — Conferendus quoque Gronovius de Pecun. Vet. lib. I, cap. 7. Cæterum ex Creverii rationibus, 250 libræ romanæ efficiunt marcas nostrates 390 cum quinque unciis: octingentæ vero libræ rom. marcas 1250. Ed.

2. *Quos luctus incidisse*, fuisse. Cf. ad I, 46, n. 7. Verba *sese meminisse*, ut plane otiosa, Gron. et Crev. recidenda putabant. Sed bene illa senio-

Digitized by Google

fuisse! quoties in conciliis voces manus ad cœlum porrigentium auditas : En unquam ille[3] *dies futurus esset, quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent! Dedisse tandem id deos sextodecimo demum anno; nec esse, qui diis grates agendas censeant. Adeo ne advenientem quidem gratiam homines benigne accipere, nedum ut præteritæ satis memores sint.* Conclamatum deinde ex omni parte curiæ est, uti referret P. Ælius[4] prætor; decretumque, ut quinque dies circa omnia pulvinaria supplicaretur, victimæque majores immolarentur centum viginti. Jam dimisso Lælio legatisque Masinissæ, quum Carthaginiensium legatos de pace ad senatum venientes Puteolis visos, inde terra venturos allatum esset; revocari C. Lælium placuit, ut coram eo de pace ageretur. Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienses Romam adduxit; quibus, vetitis ingredi Urbem, hospitium in villa publica[5], senatus ad ædem Bellonæ datus est.

XXII. Orationem eamdem ferme, quam apud Scipionem, habuerunt; culpam omnem belli a publico consilio in Hannibalem vertentes. *Eum injussu senatus non Alpes modo, sed Iberum quoque, transgressum: nec Romanis solum, sed ante etiam Saguntinis, pri-*

rum de re præterita narrantium orationi convenire videntur : se bene adhuc habere in memoria, *quantum terroris... incidisse,* hoc est, inciderit; quæ forma orationis obliquæ sæpius apud Nostrum obvia est; Doer.

3. *En unquam ille,* etc. vide ad IV, 3, n. 6. — *Advenientem gratiam,* recentia, præsentia deorum beneficia.

4. *Uti referret P. Ælius;* vide ad XXVI, 2, n. 3. — *Circa omnia pulvinaria supplicaretur;* vide ad V, 13, n. 5. — *Jam dimisso Lælio,* etc. Observat Creverius sup. cap. 17 esse memoratum, Patres censuisse retinendum Lælium, donec legati Carthag. venirent. Sed fortasse, Hannibale profecto ex Italia nullos jam crediderant venturos a Carthaginiensibus legatos. Ed.

5. *Hospitium in villa publica;* vide ad IV, 22, n. 5. — *Senatus ad ædem Bellonæ datus;* vide supra ad librum XXVI, 21, n. 1.

Digitized by Google

vato consilio bellum intulisse. Senatui ac populo carthaginiensi, si quis vere æstimet[1], *fœdus ad eam diem inviolatum esse cum Romanis. Itaque nihil aliud sibi mandatum esse, uti peterent, quam ut in ea pace, quæ postremo cum consule Lutatio facta esset, manere liceret.* Quum, more tradito, Patribus potestatem interrogandi[2], si quis quid vellet, legatos, prætor fecisset, senioresque, qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminisse per ætatem[3] (etenim omnes ferme juvenes erant) dicerent legati; conclamatum ex omni parte curiæ est, *punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipsi non meminissent.*

XXIII. Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ. M. Livius, *C. Servilium consulem, qui propior esset*[1], *arcessendum, ut coram eo de pace ageretur,* censebat. *Quum de re majore, quam quanta ea esset, consultatio incidere non posset, non videri sibi, absente consulum altero ambobusve, eam rem agi, satis ex dignitate populi romani esse.* Q. Metellus, qui triennio ante consul dictatorque fuerat, *Quum P. Scipio, cædendo exercitus, agros populando, in eam necessitatem compulisset hostes, ut supplices pacem peterent, et nemo omnium verius existimare*[2] *pos-*

Cap. XXII. 1. *Si quis vere æstimet* rem, seu id; vide ad III, 19, n. 8.

2. *Quum, more tradito* a majoribus, *Patribus potestatem interrogandi*, etc. Conf. VIII, 21; XXXVII, 1 et 49. — Hæc lectio est a conjectura Freinshemii ad Tacit. Hist. I, 44, quum antea legeretur *more tradito a Patribus;* sed omnes abhinc editores emendationem receperunt, quæ minime dubia Crev. videtur. Ed.

3. *Nec meminisse*, scil. se *per ætatem;* vide ad V, 12, n. 6. Illud *se* abest a plerisque MSS, sed adjectum est in edd. antt. et facile h. l. excidere potuit. Cf. tamen ad XXIV, 13, n. 2.

Cap. XXIII. 1. *C. Servilium* Geminum *consulem, qui propior esset*, Etruriam sortitus, ut Cn. Servilius Cæpio Bruttios; Drakenb. — *Quam quanta ea esset;* vide ad XXVI, 19, not. 2.

2. *Verius existimare;* vide ad III, 19, n. 8, et IV, 15, n. 1. — *M. Va-*

Digitized by Google

set, qua mente ea pax peteretur, quam is, qui ante portas Carthaginis bellum gereret; nullius alterius consilio, quam Scipionis, accipiendam abnuendamve pacem esse. M. Valerius Lævinus, qui bis consul fuerat, *Speculatores, non legatos, venisse*, arguebat, *jubendosque Italia excedere*[3], *et custodes cum iis usque ad naves mittendos; Scipionique scribendum, ne bellum remitteret.* Lælius Fulviusque adjecerunt: *Et Scipionem in eo positam habuisse spem pacis, si Hannibal et Mago ex Italia non revocarentur. Omnia simulaturos Carthaginienses, duces eos exercitusque exspectantes: deinde, quamvis recentium*[4] *fœderum et deorum omnium oblitos, bellum gesturos.* Eo magis in Lævini sententiam discessum[5]. Legati pace infecta ac prope sine responso dimissi.

XXIV. Per eos dies Cn. Servilius consul, haud dubius, quin pacatæ Italiæ penes se gloria esset, velut pulsum ab se Hannibalem persequens, in Siciliam, inde in Africam transiturus, trajecit. Quod ubi Romæ vulgatum est, primo censuerunt Patres, ut prætor scriberet consuli, senatum æquum censere, in Italiam reverti eum: deinde, quum prætor, spreturum eum literas suas, diceret, dictator ad id ipsum creatus P. Sulpicius, pro jure majoris imperii, consulem in Italiam revocavit; reliquum anni, cum M. Servilio magistro equitum, circumeundis Italiæ urbibus, quæ bello alienatæ fuerant, noscendisque singularum causis[1] consumpsit. Per induciarum tempus et ex Sardi-

lerius Lævinus, qui bis consul f.; vide supra ad XXIX, 11, n. 3.

3. *Jubendosque Italia excedere*, sc. censebat.

4. *Quamvis recentium*, quamvis recentia essent, et eo minus eorum oblivisci et possent et deberent.

5. *In Lævini sententiam discessum*; vide tamen ad librum I, cap. 32, not. 13.

Cap. XXIV. 1. *Noscendisque singularum causis*; vide ad XXVII, 25, n. 3. — *Per induciarum tempus*; vide ad II, 18, n. 1.

Digitized by Google

nia ab Lentulo prætore centum onerariæ naves, cum commeatu et viginti rostratarum præsidio, et ab hoste, et ab tempestatibus mari tuto, in Africam transmiserunt. Cn. Octavio ducentis onerariis, triginta longis navibus ex Sicilia trajicienti[2], non eadem fortuna fuit. In conspectum ferme Africæ prospero cursu vectum primo destituit ventus; deinde versus in Africum[3] turbavit ac passim naves disjecit. Ipse cum rostratis, per adversos fluctus ingenti remigum labore enisus, Apollinis promontorium tenuit[4]. Onerariæ, pars maxima

2. *Cn. Octavio* cum *ducentis onerariis...ex Sicilia trajicienti;* Dukeri nota est: « Aliquantum perplexa sunt, quæ de Cn. Octavio prodit Livius. An. U. 548 eum prætorem provinciam Sardiniam habuisse scribit XXVIII, 38. Duobus annis seqq. 549 et 550, ei prorogato imperio oram Sardiniæ tuendam datam esse, ex XXIX, 11, 13, 26, et XXX, 2, intelligitur: quo loco eum perperam *prætorem prioris anni*, i. e. an. Urb. 549, vocari, monuit Periz. Anim. hist. cap. 8; nam erat *proprætor* prorogato imperio, et recte *proprætor* dicitur XXIX, 36. Neque librarios, sed ipsum Livium, XXX, 2, *prætori* scripsisse pro *proprætori*, indicio est vox *item* in his *Cn. Octavio prætori item* (sc. ut M. Pomponio, qui an. Urb. 549 prætor Siciliam provinciam habuerat) *prioris anni*. Deinde hoc quoque intricatum est, quod hic in rebus an. U. 550 scribit, Cn. Octavium *ex Sicilia* in Africam trajecisse. Nam hoc anno Siciliæ præerat P. Villius, classi in Sicilia M. Pomponius, Cn. Octavius autem classi ad tuendam oram Sardiniæ; vid. cap. 1 et 2. An eum ex Sardinia primum in Siciliam, ac deinde ex ea in Africam profectum credemus? Hoc parum probabile; et forte error est in voce *Sicilia*. Sed Cn. Octavium deinde an. Urb. 551 et seqq. cum Scipione in Africa fuisse, constat ex cap. 36, 41, 44 ». Illud potius probabile esse, Liviumque omnibus sigillatim enarrandis vix immorari potuisse, monet Doer.

3. *Versus* (mutatus) *in Africum* ventum, ut apud Cæs. B. C. III, 26. — *Naves disjecit;* vide supra ad XXI, 49, n. 3.

4. *Apollinis prom. tenuit;* vide ad I, 1, n. 8. Promontoria Apollinis et Mercurii (*cap Zibeeb*, seu *Zebibi*, et *cap Bon*), *sinum* Tunitanum (*le golfe de Tunis*) efficiunt, *in quo sita Carthago est*, cujusque os undecim leucas patet inter duo hæc promontoria, quorum illud ab Occidente, hoc ab Oriente sinum claudit. Inter eadem promontoria, ex adverso Carthaginis, CCXXX ab urbe stadiis, erant duæ insulæ seu verius scopuli, sæpius pro una *insula* habiti, quæ olim dicebatur *Ægimurus*, seu Ægimorus (Αἰγίμουρος Strab. XVII, p. 834, al. 1191; Αἰγίμορος Steph.), et hodie *Zowamoore*, seu *Zimbra*. Hæc et alia, quæ ad situm Carthaginis spectant, monuit Heyn. Exc. IV et VI; ad Virg. Æn. I, 108 sq. et 159 sq. Conf. ad XXVI,

Digitized by Google

ad Ægimurum (insula ea sinum ab alto claudit, in quo sita Carthago est, triginta ferme millia ab urbe), aliæ adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas[5] delatæ sunt. Omnia in conspectu Carthaginis erant : itaque ex tota urbe in forum concursum est. Magistratus senatum vocare; populus in curiæ vestibulo fremere, ne tanta ex oculis manibusque amitteretur præda. Quum quidam pacis petitæ, alii induciarum (necdum enim dies exierat[6]) fidem opponerent, permixto pæne senatus populique concilio, consensum est, ut classe quinquaginta navium Hasdrubal Ægimurum[7] trajiceret; inde per litora portusque dispersas romanas naves colligeret. Desertæ fuga nautarum, primum ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt.

XXV. Nondum reverterant ab Roma legati, neque sciebatur, quæ senatus romani de bello aut pace sententia esset; necdum induciarum dies exierat : eo indigniorem injuriam ratus Scipio, ab iis, qui petissent pacem et inducias, et spem pacis et fidem induciarum violatam[1] esse, legatos Carthaginem, L. Bæbium, L. Sergium, L. Fabium extemplo misit. Qui quum multitudinis concursu prope violati essent, nec reditum tutiorem cernerent futurum, petierunt a magistratibus, quorum auxilio vis prohibita erat, ut naves mitterent, quæ se prosequerentur. Datæ triremes duæ,

42, n. 7; XXIX, 27, n. 5; Polyb. I, 73, 75; Plin. V, 7, et Shawii *Travels*, p. 146 sq.

5. *Ad Calidas Aquas;* conf. Strab. l. l. et Tab. Peut.

6. *Necdum dies exierat induciarum;* vide ad IX, 34, n. 18. Eas a Pœnis petitas Liv. cap. 16, non vero a Scipione datas tradit, quod tamen ex hoc loco et capit. 24, 25 ac 37 patet.

7. *Hasdrubal Ægimurum trajiceret;* cf. ad hæc et seqq. Appian. Pun. 34, et Polyb. XV, 1 sq. — *Ab Aquis* Calidis. Conf. not. 5.

Cap. XXV. 1. *Spem pacis et fidem ...violatam;* vid. supra ad librum I, cap. 33, n. 7.

Digitized by Google

quum ad Bagradam flumen[2] pervenissent, unde castra romana conspiciebantur, Carthaginem rediere. Classis punica ad Uticam stationem habebat: ex ea tres quadriremes[3], seu clam misso a Carthagine nuntio, uti fieret, seu Hasdrubale, qui classi præerat, sine publica fraude auso facinus, quinqueremem romanam superantem promontorium ex alto repente aggressæ sunt. Sed neque rostro ferire celeritate subterlabentem[4] poterant, neque transilire armati ex humilioribus in altiorem navem: et defendebatur egregie, quoad tela suppeditarunt[5]. Quis deficientibus, quum jam nulla alia res eam, quam propinquitas terræ multitudoque a castris in litus effusa[6], tueri potuisset; concitatam remis, quanto maximo impetu poterant, in terram quum immisissent, navis tantum jactura facta, incolumes ipsi evaserunt. Ita alio super aliud scelere quum haud dubie induciæ ruptæ essent, Lælius Fulviusque ab Roma cum legatis carthaginiensibus[7] supervenerunt. Quibus Scipio, *etsi non induciarum modo fides a Carthaginiensibus, sed jus etiam gentium in legatis violatum esset;*

2. *Ad Bagradam flumen*, hodie *Magierda*, vel *Megierda*, *Magiarda*, *Nagiarda*, fluens in mare mediterraneum prope Uticam et Carthaginem. Βαγράδας vocatur Græcis, Βαγάδρας Strab. l. l. Βάκαρα vel Μάκαρα Polyb. I, 75, 5, et XV, 2, 8, ad quæ ll. v. Schweigh. et ad Appian. B. C. II, 45. Conf. ad Sil. VI, 140 sq. et Bocharti Geogr. sacr. II, 1, 24, pag. 485.

3. *Tres quadriremes;* tres triremes apud Polyb. XV, 2. — *Misso a Carthagine nuntio, uti fieret* hoc; vide ad VIII, 19, n. 10. — *Sine publica fraude*, ita ut sponte sua fidem induciarum violaverit. — *Quinqueremem rom. superantem prom.* Apollinis. Cf. Appian. Pun. 34. Legati romani ad ostium Bagradæ fl. e duabus triremibus, inde Carthaginem reversis, in quinqueremem translati fuerant. Conf. Polyb. XV, 2.

4. *Celeritate subterlabentem*, elabentem, effugientem; ὑποχωρούσης τῆς νεὼς Polyb.

5. *Quoad tela suppeditarunt;* vid. VI, 24, n. 1.

6. *Multitudoque* (Romanorum) *a castris* (proximis) *in litus effusa*, et in oram pabulatum egressa. Conf. ad Polyb. — *Potuisset;* Crev. malebat *poterat*, et Drak. *potuit.*

7. *Cum legatis carthag. supervenerunt. Quibus Scipio*, etc. Conf. Polyb. XV, 4, et Appian. Pun. 35. — *In iis*

Digitized by Google

tamen se nihil, nec institutis populi romani, nec suis moribus indignum, in iis facturum esse, quum dixisset, legatis dimissis, bellum parabat. Hannibali jam terræ appropinquanti jussus e nauticis escendere in[8] malum, ut specularetur, quam tenerent regionem, quum dixisset, sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus, prætervehi jusso gubernatore, ad Leptim[9] appulit classem, atque ibi copias exposuit.

XXVI. Hæc eo anno in Africa gesta : insequentia excedunt in eum annum[1], quo M. Servilius Geminus, qui tum magister equitum erat, et Ti. Claudius Nero consules facti sunt. Cæterum exitu superioris anni quum legati sociarum urbium ex Græcia questi essent, vastatos agros ab regiis præsidiis, profectosque in Macedoniam legatos ad res repetendas non admissos ad Philippum regem; simul nuntiassent, quatuor millia militum cum Sopatro duce trajecta in Africam dici, ut essent Carthaginiensibus præsidio, et pecuniæ aliquantum una missum : legatos ad regem, qui hæc adversus fœdus facta videri Patribus nuntiarent, mittendos censuit senatus. Missi C. Terentius Varro, C. Mamilius, M. Aurelius : iis tres quinqueremes datæ. Annus insignis incendio ingenti, quo clivus[2] Publicius ad solum exustus est, et aquarum magnitudine : sed annonæ vilitas fuit, præterquam quod pace omnis

facturum esse; vide supra ad librum VI, cap. 22, n. 1.

8. *Escendere in malum;* vide ad II, 7, n. 7. Ante *escendere* edd. præter Gronov. inserunt *unus*, quod optimi MSS ignorant. — *Quam tenerent regionem;* vide ad I, 1, n. 8. — Hunc locum Livii ob oculos fuisse Orosio, IV, 19, notat Drak. Ed.

9. *Ad Leptim*, et quidem parvam (hodie *Lemta* seu *Susa*), juxta Syrtim minorem et Adrumetum, ad quod oppidum classem appulsam castraque posita tradunt Appian. Pun. 33, et Polyb. XV, 5. De utraque Lepti, vide ad Sil. III, 256. — Cf. quoque Ptol. et Plin. lib. V, cap. 4. Ed.

Cap. XXVI. 1. *Excedunt in eum annum*, v. XXI, 15, n. 3; et de *M. Servilio Gemino* Pigh. Ann. ad a. DLI.

2. *Clivus Publicius;* vide ad XXVI, 10, n. 5.

Digitized by Google

Italia erat aperta[3], etiam quod magnam vim frumenti, ex Hispania missam, M. Valerius Falto et M. Fabius Buteo ædiles quaternis æris vicatim populo descripserunt. Eodem anno Q. Fabius Maximus moritur, exactæ ætatis; siquidem verum est, augurem duos et sexaginta annos fuisse[4], quod quidam auctores sunt. Vir certe fuit dignus tanto cognomine, vel si novum ab eo inciperet: superavit paternos honores, avitos æquavit. Pluribus victoriis et majoribus præliis avus insignis Rullus; sed omnia æquare unus hostis Hannibal potest. Cautior tamen, quam promptior, hic habitus fuit: et sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat; sic nihil certius est, quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait[5]. Augur in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus filius: in ejusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit[6]) Ser. Sulpicius Galba. Ludi Romani diem unum, plebeii ter toti instaurati[7] ab ædilibus,

3. *Pace omnis Italia erat aperta*, libera frumenti comportatio ob pacem. Sic fere *Asiam Syriamque et omnia... regna imperio rom. aperire*, XXXVI, 17, n. 7; *aperire armis orbem terrarum*, XLII, 52; *clausam* Britanniam *aperit principum maximus* Mela, III, 6. Conf. Broekh. ad Tibull. I, 3, 36. Similiter fere maria, viæ (ut V, 13), Alpes (ut XXVII, 36), ac rura *aperiri*, et hieme, nive geluque *claudi*, invia reddi, dicuntur. Cf. ad Juvenal. VI, 154. — *Quaternis æris*, assibus, in modios (ut XXXI, 50 pr.), *vicatim* (vide ad X, 4, n. 1) *populo descripserunt*, diviserunt plebi; vide ad XXXI, 50, n. 1. — Quatuor asses æquabant denarii quadrantem, sive sestertium, qui æstimari potest granis argenti nostratibus octodecim. Edit.

4. *Augurem* per *LXII* (al. *XLII*) *annos fuisse* eum, Fabium. Cf. Plin. VII, 48, et Val. Max. VIII, 13, n. 3. — *Quod quidam auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1. — *Dignus tanto cognomine, vel si novum ab eo inciperet;* vide ad IX, 46, n. 19. — *Avus insignis Rullus* (forte proavus), Q. Fabius Maximus Rullianus; de quo vid. Ind. — *Omnia*, bella et victorias avi.

5. *Unum hominem* eum *nobis cunctando rem* (vide ad I, 12, n. 3) *restituisse, sicut Ennius ait;* conf. Cic. Offic. I, 24. — *Q. Fabius Max. filius;* vide ad XXVIII, 9, n. 1.

6. *Nam duo sacerdotia habuit;* vide ad XXVII, 6, not. 8.

7. *Ludi Romani.....plebeii ter in-*

Digitized by Google

M. Sextio Sabino et Cn. Tremellio Flacco. Ii ambo prætores facti, et cum iis C. Livius Salinator et C. Aurelius Cotta. Comitia ejus anni utrum C. Servilius consul habuerit, an (quia eum res in Etruria tenuerint, quæstiones ex senatusconsulto de conjurationibus principum habentem) dictator ab eo dictus P. Sulpicius, incertum ut sit, diversi auctores faciunt.

XXVII. Principio insequentis anni M. Servilius et Ti. Claudius, senatu in Capitolium vocato, de provinciis retulerunt. Italiam atque Africam in sortem conjici[1], Africam ambo cupientes, volebant. Cæterum, Q. Metello maxime adnitente neque data, neque negata est Africa. Consules jussi cum tribunis plebis agere, ut, si iis videretur, populum rogarent, quem vellet in Africa bellum gerere: omnes tribus P. Scipionem jusserunt. Nihilominus consules provinciam Africam (ita enim senatus decreverat[2]) in sortem conjecerunt. Ti. Claudio Africa evenit, ut quinquaginta navium classem, omnes quinqueremes, in Africam trajiceret, parique imperio cum Scipione imperator esset: M. Servilius Etruriam sortitus. In eadem provincia et C. Servilio prorogatum imperium, si consulem manere ad Urbem[3] senatui placuisset. Prætores, M. Sextius Galliam est sortitus, ut duas legiones provinciamque traderet ei P. Quintilius Varus; C. Livius Bruttios cum

staurati; vide ad II, 36, n. 1. — *Res in Etruria t.* muneris officia; Doer. *Quia eum in Etruria tenuerint quæstiones... habendæ* conj. Gronov. — *Incertum ut sit, diversi auctores faciunt;* conf. sup. ad XXII, 13, n. 6. Verba *ut sit* forte inculcata; Gron.

Cap. XXVII. 1. *In sortem conjici;* vide supra ad librum III, cap. 2, not. 1.

2. *Ita enim senatus decreverat:* videtur senatus, instantibus etiam post judicium populi consulibus, hoc tandem temperamento uti coactus esse, ut classis certe in Africam trajiceretur, et alterutri e consulibus par cum Scipione imperium decerneretur; Crev. — *Imperator* vox del. forte; Crever. Malim *imperatore;* Drakenb. Neutrum opus est; Doer.

3. *Manere ad Urbem;* vide supra ad X, 23, n. 12.

Digitized by Google

duabus legionibus, quibus P. Sempronius proconsul priore anno præfuerat; Cn. Tremellius Siciliam, ut ab P. Villio Tappulo prætore prioris anni provinciam et duas legiones acciperet; Villius proprætor viginti navibus longis[4], militibus mille, oram Siciliæ tutaretur: inde M. Pomponius viginti navibus reliquis mille et quingentos milites Romam deportaret. C. Aurelio Cottæ urbana evenit[5]: cæteris, ita uti quisque obtinebant provincias exercitusque, prorogata imperia. Sexdecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est: et ut placatis diis omnia inciperent agerentque, ludos, quos[6], M. Claudio Marcello, T. Quintio consulibus, T. Manlius dictator, quasque hostias majores voverat, si per quinquennium illud respublica eodem statu fuisset, ut eos ludos consules, prius quam ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in circo per quatriduum facti; hostiæque, quibus votæ erant diis, cæsæ.

XXVIII. Inter hæc simul spes, simul cura in dies crescebat; nec satis certum constare apud animum[1] poterat, utrum gaudio dignum esset, Hannibalem, post sextumdecimum annum ex Italia decedentem, vacuam possessionem ejus[2] reliquisse populo romano, an magis metuendum, quod incolumi exercitu in Africam transisset. *Locum nimirum, non periculum, mutatum; cujus*

4. *Villius prop. XX navibus longis;* vide ad I, 14, n. 4.

5. *Cottæ urbana evenit* provincia (vide ad II, 40, n. 9) et simul peregrina; vide ad XXV, 41, n. 8.

6. *Ludos, quos,* etc. vid. XXVII, 33, n. 4. — Hos ludos jussi fuerant facere consules prioris anni, quo reipsa quinquennium a Manlio definitum claudebatur. Creverius observat necesse igitur fuisse, ut aliqua intervenerit mora, quæ eos in hunc annum rejicere coegerit. Ed. — *Ut eos ludos consules facerent,* sc. decretum est. Conf. supra ad librum II, cap. 32, not. 6.

Cap. XXVIII. 1. *Constare apud animum,* animos; vid. Gron. ad VII, 33, 22. — *Post XVI annum;* cf. ad c. 44 pr. et XXVIII, 12, n. 2.

2. *Vacuam possessionem ejus;* vide ad cap. 20 extr. — *An magis,* potius.

Digitized by Google

tantæ dimicationis vatem, qui nuper decessisset, Q. Fabium haud frustra canere solitum, graviorem in sua terra futurum hostem Hannibalem, quam in aliena fuisset. Nec Scipioni aut cum Syphace, inconditæ barbariæ rege, cui Statorius semilixa[3] *ducere exercitus solitus sit, aut cum socero ejus Hasdrubale, fugacissimo duce, rem futuram, aut tumultuariis exercitibus*[4]*, ex agrestium semiermi turba subito collectis; sed cum Hannibale, prope nato in prætorio patris fortissimi ducis, alito atque educato inter arma, puero quondam milite, vixdum juvene imperatore, qui senex vincendo factus, Hispanias, Gallias, Italiam ab Alpibus ad*[5] *fretum monimentis ingentium rerum complesset; ducere exercitum æqualem stipendiis suis*[6]*, duratum omnium rerum patientia, quas vix fides fiat homines passos; perfusum millies cruore romano; exuvias non militum tantum, sed etiam imperatorum, portantem. Multos occursuros Scipioni in acie, qui prætores, qui imperatores, qui consules romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque insignes coronis, pervagatos capta castra, captas urbes romanas. Non esse hodie*

— *Canere vatem;* vide supra ad lib. I, cap. 7, n. 9.

3. *Statorius semilixa;* cf. XXIV, 48, n. 7, et ad XXVIII, 28, n. 2; Oudend. ad Frontin. I, 1, 3; Gron. Obss. IV, 7.

4. *Tumultuariis exercitibus;* vide ad I, 37, n. 4. — *Senex vincendo factus;* vid. cap. 30, n. 5.

5. *Ab Alpibus ad fretum* Siculum, quod simpl. et κατ' ἐξοχὴν ita dicitur XXVI, 29; apud Flor. I, 26, fin. Cæs. B. C. I, 26; Cic. ad Attic. II, 1. Sic et πορθμὸς apud Polyb. V, 110, 2. Mox omnino leg. *duceret exercitum* cum Gron. vel *et duceret* vel *ducens.* — Doujatius nihil contra codd. auctoritatem mutandum censet; *ducere* enim pendere ex eo quod præcessit, *Fabium haud frustra canere solitum.* Verum in memorabili illa Fabii oratione supra XXVIII, 40 sqq. quo respicitur, nihil hujus rei memorari notat Drak. qui cum Creverio Gronovii emendationem *duceret* probavit: neuter tamen in textum eam recepit, quorum prudentiam imitamur. Ed.

6. *Exercitum æqualem stipendiis suis;* vide supra ad librum III, cap. 57, not. 5. — *Perfusum*, scilicet, exercitum. — *Exuvias portantem*, spolia.

Digitized by Google

tot fasces magistratibus populi romani, quot captos ex cæde imperatorum præferre posset Hannibal. Has formidines agitando animis ipsi curas et metus augebant etiam, quod, quum assuessent per aliquot annos bellum ante oculos aliis atque aliis in Italiæ partibus lenta spe, in nullum propinquum debellandi finem gerere, erexerant omnium animos Scipio et Hannibal, velut ad supremum certamen comparati duces[7]. Ii quoque, quibus ingens erat in Scipione fiducia et victoriæ spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curæ intentioris erant. Haud dispar habitus animorum Carthaginiensibus erat; quos modo petisse pacem, intuentes Hannibalem ac rerum gestarum ejus magnitudinem, pœnitebat; modo, quum respicerent, bis sese acie victos, Syphacem captum, pulsos se Hispania, pulsos Italia, atque ea omnia unius virtute et consilio Scipionis facta, velut fatalem eum ducem in exitium suum natum horrebant.

XXIX. Jam Adrumetum venerat Hannibal[1]; unde, ad reficiendum ex jactatione maritima militem paucis diebus sumptis, excitus pavidis nuntiis, omnia circa Carthaginem obtineri armis, afferentium, magnis itineribus Zamam contendit. Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest[2]. Inde præmissi speculatores quum excepti a custodibus romanis deducti ad Scipionem essent, traditos eos tribunis militum, jussosque omisso

7. *Ad supremum certamen comparati duces*, destinati, creati; Ern. At vide ad VII, 33, n. 1.

Cap. XXIX. 1. *Jam Adrumetum venerat Hannibal*, etc. ad fin. cap. cf. Polyb. XV, 5, et Appian. Pun. 33, 39. *Adrumetum*, seu *Adrumetus*, et ὁ Ἀδρύμας, munitum Byzacii caput navalibusque instructum, non longe a Lepti parva. Cf. Intpp. Nepot. Hann. 7; Berkel. ad Steph.; Cort. ad Sall. Jug. 19, 1; Cellar. Geogr. ant. IV, 4, p. 88; Bocharti Geogr. sacr. II, 1, 24, pag. 478. — Vide quoque nostrum Indicem geogr. ad Cæsarem. Ed.

2. *Zama* (hodie *Zamora* in regione Constantina) *V dierum iter ab C. ab-*

Digitized by Google

metu visere omnia, per castra, qua vellent, circumduci jussit; percunctatusque, satin' per[3] commodum omnia explorassent, datis, qui prosequerentur, retro ad Hannibalem dimisit. Hannibal nihil quidem eorum, quæ nuntiabantur (nam et, Masinissam cum sex millibus peditum, quatuor equitum venisse eo ipso forte die, afferebant), læto animo audiit, maxime hostis fiducia, quæ non de nihilo profecto concepta est[4], perculsus. Itaque, quanquam et ipse causa belli erat, et adventu suo turbaverat et pactas inducias, et spem fœderum; tamen, si integer, quam si victus, peteret pacem, æquiora impetrari posse ratus, nuntium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Id utrum sua sponte fecerit, an publico consilio, neutrum cur affirmem, habeo[5]. Valerius Antias, primo prælio victum eum a Scipione, quo duodecim

est occasum versus, Jubæ regia in Numidia mediterr. Conf. Polyb. l. l. et Cellar. Geogr. ant. IV. 5, p. 115. — Hic Glareani notam relatu dignam existimavi, qui ait legi apud Plutarchum, Hannib., extremam hanc pugnam ad Zamam fuisse, neque in eo auctore mentionem Naraggaræ (vide inf. not. 6) fieri. Oportet autem aliam fuisse urbem Zamam quam quæ a Strabone, lib. ultimo, p. 829, describitur, et ab incerto auctore Belli Africani, lib. V, 91 (vide nostrum Cæsarem, tom. II, p. 514 sq.), et a Sallustio, Jugurt. cap. 57. Plutarchus nihil de distantia tanta dicit: certum est hic mendum esse. Adrumetum enim vix distat itinere quinque dierum ab Carthagine: quum hæc Zama, ut ex omnibus locis apparet, propinquior multo sit, videlicet ad quam, ut Carthagini succurreret, ab Adrumeto magnis itineribus contendit Hannibal. Conf. quoque nostrum Indicem geogr. ad Cæsarem. Ed. — Mox forte leg. *speculatores tres* e Polyb. et deinde *tribuno militum* ex eodem et lib. vet. Sigon. et Hearn. D.

3. *Per commodum*, non ut V, 12, n. 6, sed ut XLII, 18, et al. *suo commodo* et *ex commodo* pro: commode, cum commoditate. Conf. ad II, 38, n. 3. — *Masinissam cum sex millibus peditum, quatuor equitum:* sex equitum millia habet Polyb. quem tamen ex Livio correxit Schweigh.

4. *Quæ non de nihilo profecto concepta est;* immo *esset:* est enim cogitatio Hannibalis, non affirmatio Livii; Gron. Sed quum additum sit *profecto*, ad Livium potius retulerim, ut dictum sit pro: concipi solet; Doer. — *Si integer, quam si victus;* vide ad III, 7, n. 1.

5. *Neutrum cur affirmem, habeo*, scil. rationes. — *In acie sunt cæsa*,

Digitized by Google

millia armatorum in acie sunt cæsa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. Cæterum Scipio quum colloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, ut coire ex propinquo possent. Scipio haud procul Naraggara[6] urbe, tum ad cætera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli conjectum erat, consedit. Hannibal tumulum a quatuor millibus inde, tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquæ aquationis erat, cepit. Ibi in medio locus conspectus undique, ne quid insidiarum esset, delectus.

XXX. Submotis pari spatio armatis, cum singulis interpretibus congressi sunt non suæ modo ætatis maximi duces, sed omnis ante se memoriæ, omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares. Paulisper alter alterius conspectu, admiratione mutua prope attoniti, conticuere. Tum Hannibal prior[1]: «Si hoc ita «fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli po«pulo romano, quique toties prope in manibus victo«riam habui, is ultro ad pacem petendam venirem;

scil. secundum Antiatem, vel ut Valerius Antias tradit; Doer. Immo *sint;* Gron.

6. *Haud procul Naraggara :* ita Put. Men. et alii: sed quidam *Nadagra, Nadagara, Nargara* (ut Ptol.), et rectius forte *Naragara:* unde apud Polyb. Ναράγαρα pro Μάργαρον substituit Schweigh. Conf. Ptolem. et Antonini Itiner. ibique Wessel. pag. 41. Κίλλαν pro *Naraggara* memorat Appian. Pun. 40.

Cap. XXX. 1. *Tum Hannibal prior*, etc. conf. Polyb. XV, 6, 7, ubi oratio brevior est. — *Qui primus bellum intuli populo rom.* Nota Dukeri est: «In extrema oratione dicit *bellum a me cœptum est.* Non credo, Hannibalem apud Scipionem voluisse fateri, se causam belli quæsivisse auctoremque illius fuisse, et rupto fœdere injusta tulisse arma; etsi Scipio in hunc sensum illa aceeperit cap. 31, *Vos lacessisse et tu ipse fateris, et dii testes sunt.* Non facile enim solent, ne illi quidem, qui sibi divini humanique juris bello aliis inferendo violati conscii sunt, id fateri; et Pœni sibi, nec fortassis omnino temere persuadebant, se utriusque belli justissimas habuisse causas; vid. XXI, 44. An ergo Hannibal dicit, se Romanos nondum pa-

Digitized by Google

metu visere omnia, per castra, qua vellent, circumduci jussit; percunctatusque, satin' per[3] commodum omnia explorassent, datis, qui prosequerentur, retro ad Hannibalem dimisit. Hannibal nihil quidem eorum, quæ nuntiabantur (nam et, Masinissam cum sex millibus peditum, quatuor equitum venisse eo ipso forte die, afferebant), læto animo audiit, maxime hostis fiducia, quæ non de nihilo profecto concepta est[4], perculsus. Itaque, quanquam et ipse causa belli erat, et adventu suo turbaverat et pactas inducias, et spem fœderum; tamen, si integer, quam si victus, peteret pacem, æquiora impetrari posse ratus, nuntium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Id utrum sua sponte fecerit, an publico consilio, neutrum cur affirmem, habeo[5]. Valerius Antias, primo prælio victum eum a Scipione, quo duodecim

est occasum versus, Jubæ regia in Numidia mediterr. Conf. Polyb. l. l. et Cellar. Geogr. ant. IV. 5, p. 115. — Hic Glareani notam relatu dignam existimavi, qui ait legi apud Plutarchum, Hannib., extremam hanc pugnam ad Zamam fuisse, neque in eo auctore mentionem Naraggaræ (vide inf. not. 6) fieri. Oportet autem aliam fuisse urbem Zamam quam quæ a Strabone, lib. ultimo, p. 829, describitur, et ab incerto auctore Belli Africani, lib. V, 91 (vide nostrum Cæsarem, tom. II, p. 514 sq.), et a Sallustio, Jugurt. cap. 57. Plutarchus nihil de distantia tanta dicit: certum est hic mendum esse. Adrumetum enim vix distat itinere quinque dierum ab Carthagine: quum hæc Zama, ut ex omnibus locis apparet, propinquior multo sit, videlicet ad quam, ut Carthagini succurreret, ab Adrumeto magnis itineribus contendit Hannibal. Conf. quoque nostrum Indicem geogr. ad Cæsarem. Ed. — Mox forte leg. *speculatores tres* e Polyb. et deinde *tribuno militum* ex eodem et lib. vet. Sigon. et Hearn. D.

3. *Per commodum*, non ut V, 12, n. 6, sed ut XLII, 18, et al. *suo commodo* et *ex commodo* pro: commode, cum commoditate. Conf. ad II, 38, n. 3. — *Masinissam cum sex millibus peditum, quatuor equitum:* sex equitum millia habet Polyb. quem tamen ex Livio correxit Schweigh.

4. *Quæ non de nihilo profecto concepta est;* immo *esset:* est enim cogitatio Hannibalis, non affirmatio Livii; Gron. Sed quum additum sit *profecto*, ad Livium potius retulerim, ut dictum sit pro: concipi solet; Doer. — *Si integer, quam si victus;* vide ad III, 7, n. 1.

5. *Neutrum cur affirmem, habeo*, scil. rationes. — *In acie sunt cæsa*,

Digitized by Google

millia armatorum in acie sunt cæsa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. Cæterum Scipio quum colloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, ut coire ex propinquo possent. Scipio haud procul Naraggara[6] urbe, tum ad cætera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli conjectum erat, consedit. Hannibal tumulum a quatuor millibus inde, tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquæ aquationis erat, cepit. Ibi in medio locus conspectus undique, ne quid insidiarum esset, delectus.

XXX. Submotis pari spatio armatis, cum singulis interpretibus congressi sunt non suæ modo ætatis maximi duces, sed omnis ante se memoriæ, omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares. Paulisper alter alterius conspectu, admiratione mutua prope attoniti, conticuere. Tum Hannibal prior[1]: «Si hoc ita «fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli po«pulo romano, quique toties prope in manibus victo«riam habui, is ultro ad pacem petendam venirem;

scil. secundum Antiatem, vel ut Valerius Antias tradit; Doer. Immo *sint;* Gron.

6. *Haud procul Naraggara:* ita Put. Men. et alii: sed quidam *Nadagra, Nadagara, Nargara* (ut Ptol.), et rectius forte *Naragara:* unde apud Polyb. Ναράγαρα pro Μάργαρον substituit Schweigh. Conf. Ptolem. et Antonini Itiner. ibique Wessel. pag. 41. Κίλλαν pro *Naraggara* memorat Appian. Pun. 40.

Cap. XXX. 1. *Tum Hannibal prior,* etc. conf. Polyb. XV, 6, 7, ubi oratio brevior est. — *Qui primus bellum intuli populo rom.* Nota Dukeri est: «In extrema oratione dicit *bellum a me cœptum est.* Non credo, Hannibalem apud Scipionem voluisse fateri, se causam belli quæsivisse auctoremque illius fuisse, et rupto fœdere injusta tulisse arma; etsi Scipio in hunc sensum illa acceperit cap. 31, *Vos lacessisse et tu ipse fateris, et dii testes sunt.* Non facile enim solent, ne illi quidem, qui sibi divini humanique juris bello aliis inferendo violati conscii sunt, id fateri; et Pœni sibi, nec fortassis omnino temere persuadebant, se utriusque belli justissimas habuisse causas; vid. XXI, 44. An ergo Hannibal dicit, se Romanos nondum pa-

Digitized by Google

« lætor te mihi forte potissimum datum, a quo pete-
« rem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis
« laudum [2] hoc fuerit, Hannibalem, cui tot de romanis
« ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse; teque
« huic bello, vestris prius, quam nostris, cladibus in-
« signi, finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium casus
« ediderit fortuna [3], ut, quum patre tuo consule cepe-
« rim arma, cum eodem primum romano imperatore
« signa contulerim, ad filium ejus inermis ad pacem
« petendam veniam. Optimum quidem fuerat, eam
« patribus nostris mentem datam ab diis esse, ut et
« vos Italiæ, et nos Africæ imperio contenti essemus:
« neque enim ne vobis quidem Sicilia ac Sardinia satis
« digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus,
« tot tam egregiis amissis ducibus. Sed præterita magis
« reprehendi possunt, quam corrigi: ita aliena appe-
« tivimus, ut de nostris dimicaremus, nec in Italia so-
« lum vobis bellum, nobis in Africa esset; sed et vos
« in portis vestris prope ac mœnibus signa armaque
« hostium vidistis [4], et nos ab Carthagine fremitum

ratos bello prævenisse, iisque deliberantibus et cunctantibus priorem arma intulisse? Ita quidem accipi possunt illa *bellum a me cœptum est*. Sed valde dubito, an vox *primus* id patiatur. Forte leg. *primus* (sc. exterorum) *bellum in Italia intuli p. r.* Nam Pyrrhus non tam belli Romanis inferendi, quam Tarentinos adversus eos defendendi causa in Italiam venisse videri volebat ». —*Te mihi sorte potissimum datum;* vide ad VI, 21, n. 2.

2. *Non in ultimis laudum*, laudibus (ut *terrarum ultimas* XXVIII, 39; ubi vide ad Drakenb.), *hoc fuerit*, ut οὐκ ἐν ὑστάτοις εἶναι apud Sophocl. Trach. 315.

3. *Hoc quoque ludibrium casus ediderit fortuna;* ita Put., h. e. hunc quoque ludicrum casum quasi jocata fortuna ediderit; Gron. Sic *ludibrium casuum humanorum* XLV, 41, miræ et inopinatæ eorum vicissitudines; et sic passim fortuna *jocari* quasi et *ludere* dicitur, h. e. ludibrio habere homines; vide ad Tac. Ann. III, 18, n. 6, et ad Juvenal. III, 40; VI, 608. — *Cum eodem primum romano imperat. signa contulerim:* non male animadvertit Buchner. de Commut. Rat. dicendi, I, 4, Hannibalem offensionis et odii vitandi causa non dicere *quem vicerim;* Duk.

4. *Signa armaque hostium vidistis;*

Digitized by Google

« castrorum romanorum exaudimus. Quod igitur nos « maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis, in « meliore vestra fortuna de pace agitur : agimus ii, « quorum et maxime interest pacem esse, et qui quod- « cumque egerimus, ratum civitates nostræ habituræ « sint. Animo tantum nobis opus est non abhorrente « a quietis consiliis[5]. Quod ad me attinet, jam ætas « senem in patriam revertentem, unde puer profectus « sum, jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, « ut rationem sequi, quam fortunam, malim. Tuam « et adolescentiam et perpetuam felicitatem, ferociora « utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo. Non « temere incerta casuum reputat, quem fortuna nun- « quam decepit : quod ego fui ad Trasimenum, ad « Cannas, id tu hodie es. Vixdum militari ætate im- « perio accepto, omnia audacissime incipientem nus- « quam fefellit fortuna. Patris et patrui persequutus « mortem, ab calamitate vestræ domus decus insigne « virtutis pietatisque eximiæ cepisti : amissas Hispa- « nias recuperasti, quatuor inde punicis exercitibus « pulsis : consul creatus, quum cæteris ad tutandam « Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, « duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora ca- « ptis simul incensisque castris, Syphace potentissimo

« immo *videretis* et mox *exaudiremus :* nam pendet ab illis *ut dimicaremus, nec solum... esset.* Mox pro *quorum et maxime interest* debebat *intersit,* inpr. ob seq. *sint.* Etiam initio cap. *intuli* et *habui* pro *intulissem* et *habuissem* ». Bauer.

5. *Quietis consiliis,* germ. *kaltblütige, ruhige :* mox opp. *ferociora ;* et *calidiora* XXII, 24. — *Senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum :* res aucta, ut cap. 28, n. 4. Conf. ad XXI, 3, n. 2. — *Adolescentiam et p. felicitatem, ferociora utraque ;* vide ad XXIV, 26, n. 1. — *Non temere incerta casuum reputat ;* vide ad II, 61, n. 3, et XXX, 2, n. 2. — *Consul creatus, quum.* Notat hic J. Fr. Gronovius in his verbis incomparabilem illum Puteanorum codicem finiri, magno nostro et Livii damno, additque : « Jam ad reliqua spissius et non ita bonis tibicinibus fulti secedemus ». Ed.

Digitized by Google

« rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii « ereptis[6], me sextum decimum jam annum hærentem « in possessione Italiæ detraxisti. Potest victoriam, « inquam, malle, quam pacem, animus : novi spiritus « magis magnos, quam utiles; et mihi talis aliquando « fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus bonam « quoque mentem darent dii; non ea solum, quæ eve- « nissent, sed etiam ea, quæ evenire possent, reputa- « remus. Ut omnium obliviscaris aliorum[7], satis ego « documenti in omnes casus sum. Quem modo, castris « inter Anienem atque urbem vestram positis, signa « inferentem ad mœnia romana; hic cernis, duobus « fortissimis viris, fratribus, clarissimis imperatoribus, « orbatum[8], ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus

6. *Tot urbibus regni ejus... ereptis*, captis, vel quum nobis eripuisses, vel *regni* pro dativo; Bauer. — *XVI jam annum hærentem in possessione Italiæ;* vide ad XXVIII, 12, n. 2, et XXX, 20 extr. Mox τὸ *inquam* ex multis MSS recepit Drak. suadente Heins. ad Vell. I, 17, 5, ubi docet, historicos aliosque scriptores orationi longius extensæ aut repetitæ sive iisdem, sive aliis, sed similibus, verbis τὸ *inquam* interjicere, ut, quod dicitur, serio dictum appareat; hæc autem referenda esse ad verba præc. *tuam et adolescentiam..... metuo*. Sententiam supra positam *quem fortuna nunquam decepit* ita cum vi repeti vel innui putat Doer. Contra *ambiguam* conj. Gronov. Possis et *incertam*. Sed nil muto. — *Novi spiritus magis magnos, quam utiles*, homines, quorum audacia, fiducia et superbia ingens quidem, sed parum utilis fuit, verbi c. Sempronium, Flaminium, Minucium, Varronem et alios.

7. *Ut* (vid. II, 38, n. 3) *omnium obliviscaris aliorum* hominum ejus modi, *satis ego documenti* (f. *documento;* Doer.) *in o. c. sum;* vide ad Præf. n. 14. — *Quem modo... signa inferentem ad mœnia rom.* vide ad VIII, 38, n. 2, et XXII, 14, n. 12. Ita Drak. e plurimis codd. In quibusdam MSS *signa inferentem ac prope scandentem mœnia romana*, et in edd. antt. (omissis verbis *signa inf.*) *ac* (quod sic del. certe) *jam prope scandentem mœnia Romæ videras*. Sed hæc lacinia suspecta est, et τὸ *videras* sufficit intelligi ex seqq. *hic cernis;* Gron.

8. *Duobus fortissimis viris, fratribus, clarissimis imperatoribus, orbatum:* tres fratres amiserat Hannibal, Hasdrubalem (vid. XXVII, 49), Magonem (XXX, 19), Hannonemque (XXIX, 34): quod autem hic duos duntaxat numeret, quum oratorie sua augere incommoda vellet, in causa fuisse puto, vel quod Hanno inter duces nominari non debuerit, vel quod Livius hic alios auctores sit sequutus; Glar. Hannonem ideo forte inter du-

Digitized by Google

« terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. « Maximæ cuique fortunæ minime credendum est: in « bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac spe- « ciosa danti est pax; nobis petentibus magis neces- « saria, quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, « quam sperata victoria: hæc in tua, illa in deorum « manu est[9]. Ne tot annorum felicitatem in unius horæ « dederis discrimen: quum tuas vires, tum vim for- « tunæ martemque belli communem, propone animo. « Utrimque ferrum, corpora humana erunt; nusquam « minus, quam in bello, eventus respondent. Non « tantum ad id, quod data pace jam habere potes, « si prælio vincas, gloriæ adjeceris, quantum ade- « meris[10], si quid adversi eveniat: simul parta ac « sperata decora unius horæ fortuna evertere potest. « Omnia in pace jungenda tuæ potestatis sunt, P. Cor- « neli: tunc ea habenda fortuna erit, quam dii de- « derint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla « M. Atilius[11] quondam in hac eadem terra fuisset, si « victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: « non statuendo [tandem] felicitati modum, nec co- « hibendo efferentem se fortunam, quanto altius ela- « tus erat, eo fœdius corruit. Est quidem ejus, qui

ces non numeravit, quia exercitum duxisse non legitur, sed tantum in locum alterius Hannonis equitum præfectus fuit (vide ad XXIX, 29, 34): aut Magonem obiisse (vid. ad XXX, 20) nondum audiverat Hannibal; Drak. An leg. *III* pro *II*, vel *tribus* pro *duobus?* — *Quibus terrui* periculis.

9. *Hæc in tua, illa in deorum manu est;* vide ad III, 72, n. 3. Ita nunc loquitur vir, cui *nullus deorum metus, nulla religio* fuit; vide ad XXI, 4. — *Martem belli communem;* vide supra ad lib. V, cap. 12, not. 1. — *Eventus respondent;* vide tamen ad lib. IX, cap. 15, n. 2.

10. *Gloriæ adjeceris, quantum ademeris,* etc. quasi ante oculos habuisset illud Cic. de Prov. Cons. 14, « Si timeret casum aliquem, qui illi tantum addere jam non potest, quantum auferre »; Gron.

11. *M. Atilius* Regulus, etc. vide ad lib. XXVIII, cap. 42, n. 1. Mox τὸ *tandem* a quibusdam MSS abest. In aliis legitur *tm*, h. e. *tamen*, probante Creverio.

Digitized by Google

« dat, non qui petit, conditiones dicere pacis : sed « forsitan non indigni simus, qui nobismet ipsi mul- « ctam irrogemus[12]. Non recusamus, quin omnia, « propter quæ bellum initum est, vestra sint, Sicilia, « Sardinia, Hispania, quidquid insularum toto inter « Africam Italiamque continetur mari. Carthaginien- « ses, inclusi Africæ litoribus, vos (quando ita diis « placuit) externa etiam terra marique videamus re- « gentes imperia. Haud negaverim, propter non nimis « sincere petitam aut exspectatam nuper pacem, su- « spectam esse vobis punicam fidem. Multum, per « quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet, « Scipio. Vestri quoque (ut audio) Patres nonnihil « etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione « erat, negaverunt pacem. Hannibal peto pacem; qui « neque peterem, nisi utilem crederem, et propter « eamdem utilitatem tuebor eam, propter quam petii : « et quemadmodum, quia a me bellum cœptum est, « ne quem ejus pœniteret, quoad ipsi invidere[13] dei, « præstiti; ita annitar, ne quem pacis per me partæ « pœniteat. »

XXXI. Adversus hæc imperator[1] romanus in hanc fere sententiam respondit : « Non me fallebat, Han- « nibal, adventus tui spe Carthaginienses et præsen- « tem induciarum fidem, et spem pacis turbasse : « neque tu id sane dissimulas, qui de[2] conditionibus

12. *Qui nobismet ipsi* (al. *ipsis*) *mulctam irrogemus :* hunc sensum ab Herodoto, IX, 77, sumptum monet Gron.

13. *Quoad ipsi invidere dei;* vide ad V, 21, n. 10; X, 13, n. 5, et XXIII, 26, n. 1.

Cap. XXXI. 1. *Adversus hæc imperator,* etc. Cf. Polyb. XV, 8. Verbum *respondit* deest in MS Cantabr. — Editiones principes dabant *ad hæc;* sed recte dicitur *adversus hæc;* vide ad VIII, 2; XXXV, 50; pari modo dixisse Ciceronem de Arusp. VIII, *respondere contra figuras*, al. notat Drak. Ed.

2. *De conditionibus superioribus pacis;* conf. cap. 16.

Digitized by Google

« superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea,
« quæ jam pridem in nostra potestate sunt. Cæterum
« sicut tibi curæ est, sentire cives tuos, quanto per
« te onere leventur; sic mihi laborandum est, ne,
« quæ tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditio-
« nibus pacis, præmia perfidiæ habeant. Indigni, qui-
« bus eadem pateat conditio, ut etiam prosit vobis
« fraus, petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia,
« neque nos de Hispania fecimus bellum. Et tunc
« Mamertinorum sociorum periculum[3], et nunc Sa-
« gunti excidium nobis pia ac justa induerunt arma.
« Vos lacessisse, et tu ipse fateris, et dei testes sunt,
« qui et illius belli exitum secundum jus fasque dede-
« runt, et hujus dant et dabunt. Quod ad me attinet,
« et humanæ infirmitatis memini, et vim fortunæ re-
« puto, et omnia, quæcumque agimus, subjecta esse
« mille casibus scio. Cæterum, quemadmodum su-
« perbe et violenter me faterer facere, si prius, quam
« in Africam trajecissem, te tua voluntate cedentem
« Italia, et, imposito in naves exercitu, ipsum venien-
« tem ad pacem petendam adspernarer; sic nunc,
« quum prope manu conserta restitantem[4] ac tergi-
« versantem in Africam attraxerim, nulla sum tibi
« verecundia obstrictus. Proinde si quid ad ea[5], in

3. *Mamertinorum sociorum p.;* vide ad XXVIII, 28, n. 3. — De ea re Creverius notat videndum esse Polyb. lib. I, et Supplem. Freinshemii, lib. XVI, ex quibus apparet Scipionem hic suæ Romanorumque causæ gratificari. Romana enim arma in Siciliam vocavit magis nimiæ jam Carthaginiensium potentiæ metus quam Mamertinorum preces, qui nec vetusta societate juncti cum Roma erant, et ob immanitatem injustitiamque, qua Messanam veteribus cultoribus ademerant, parum sane digni erant auxilio. Ed. — *Vos lacessisse* nos bello, ut paulo ante: *priores fecisse bellum.*

4. *Prope manu conserta restitantem;* vide ad X, 19, n. 4. *Consertum* plurimi MSS, prob. Doer. *Ex jure manu consertum* formula est veteris juris de vindicationibus in re præsenti, adhibita vi civili et festucaria; vid. Ern. Clav. Cic. et Intpp. Gell. XX, 10.

5. *Proinde si quid ad ea, in quæ tum pax conventura videbatur* (vide

Digitized by Google

« quæ tum pax conventura videbatur, quæ sit mulcta « navium cum commeatu per inducias expugnatarum « legatorumque violatorum, adjicitur; est, quod re- « feram ad consilium. Sin illa quoque gravia videntur, « bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis: » Ita infecta pace ex colloquio ad suos quum se recepissent, frustra verba jactata[6] renuntiant. Armis decernendum esse, habendamque eam fortunam, quam dii dedissent.

XXXII. In castra ut est ventum, pronuntiant ambo, *Arma expedirent milites animosque*[1] *ad supremum certamen, non in unum diem sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores. Roma, an Carthago, jura gentibus darent, ante crastinam noctem scituros. Neque enim Africam, aut Italiam, sed orbem terrarum victoriæ præmium fore; par periculum præmio, quibus adversæ pugnæ fortuna fuisset.* Nam neque Romanis effugium ullum patebat in aliena ignotaque terra; et Carthagini, supremo auxilio effuso[2], adesse

ad I, 3, n. 4), *quæ sit mulcta navium*, pœna ob naves *cum commeatu per inducias* (vide ad II, 18, n. 1) expugnatas, *adjicitur; est, quod referam ad consilium;* vide ad VIII, 6, n. 6, et XXVI, 2, n. 3. *Quæ sit mulcta navium* edidi, quia in MSS legitur *quæ si* vel *sint* et *sunt multa*, vel *multas*, vel *quasi multas*. Possis et conjicere *quod* pro *quæ*, quoniam et *quæ* et *quod* referendum ad præc. *quid*. Sed vide ad XXI, 10, n. 14, et XXIV, 42, n. 6. Vulgaris lectio est *videbatur (quæ sint, nosti), mulctæ navium*, etc. quam notavit Bauer. his verbis: « Corruptus haud dubie, intricatus certe locus. Dativus *mulctæ* non habet, quo sat commode referatur, quum verbum *adjicitur* habeat jam suum regimen, *ad ea*. Dubium quoque est, post *nosti*, an post *violatorum*, parenthesis claudatur. Nec placet Gronoviano *quasi mulcta*. Neque enim pactis tam rigidis convenit particula *quasi*. Neque verba *quæ sint, nosti*, desiderari videntur posse, quum ante jactatas conditiones non repetat Scipio. Ego post *mulctæ* addiderim *nomine*, quod a voc. *navium* absorberi potuit ». *Si quid mulctæ navium*, ob naves, etc. exponit Doer.

6. *Frustra verba jactata;* vide ad II, 12, n. 7.

Cap. XXXII. 1. *Arma expedirent milites animosque;* vid. XXXVIII, 25, not. 5.

2. *Supremo auxilio effuso*, ἐκκεχυμένῳ, frustra consumpto. Mox *vide-*

Digitized by Google

videbatur præsens excidium. Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longe clarissimi duces, duo fortissimi exercitus, multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut eversuri. Anceps igitur spes et metus miscebant animos[3]; contemplantibusque modo suam, modo hostium aciem, quum oculis magis, quam ratione, pensarent vires, simul læta, simul tristia obversabantur. Quæ ipsis sua sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hortando subjiciunt. Pœnus sedecim annorum in terra Italia res gestas, tot duces romanos, tot exercitus occidione occisos, et sua cuique decora, ubi ad insignem alicujus pugnæ memoria militem venerat, referebat. Scipio Hispanias et recentia in Africa prælia et confessionem hostium, quod neque non petere pacem propter metum, neque manere in ea præ insita animis perfidia potuissent. Ad hoc, colloquium Hannibalis in secreto habitum ac liberum fingenti, qua velit, flectit[4]. Ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnaverint ad Ægates insulas, ea illis exeuntibus in aciem por-

batur forte del. et paulo ante pro *patebat* leg. *patere*, ut hæc conjungantur cum præc. oratione obliqua: certe inter alias adhortationes imperatorum hæ quoque tum apud Polyb. XV, 10, 11, et Appian. Pun. 42, tum XXI, 41, 43, 44, Thucyd. VII, 64, Curt. IV, 14, 7 (ubi conf. Freinsh.), referuntur; Duk. — *Ad hoc discrimen;* vide ad VI, 17, n. 1.

3. *Anceps spes et metus miscebant animos*, simul turbabant, ut XXXV, 12, n. 2 (cf. Cort. ad Sall. Jug. 41); vel in his miscebantur. — *Hortando subjiciunt;* vide ad I, 59, n. 7, et XXIX, 15, n. 1. Conf. Appian. Pun. 42. Orationes ipsas ducum ad milites vid. apud Polyb. XV, 10, 11. — *Sedecim annorum in terra Italia;* vide supra ad XXV, 7, n. 3, et XXVIII, 12, n. 3.

4. *Ad hoc* (vide ad II, 23, n. 3), *colloquium H.... liberum fingenti, qua* (f. *quo*) *velit, flectit*, comminiscitur pro lubitu Hannibalis dicta et indicia timoris. Conf. ad IX, 19, n. 3, et XXVI, 38, n. 8. *Qua velit flecti* quidam MSS, prob. Crev. ut omnia a verbo *referebat* pendeant. *Qua vult* et *quo vult* alii. — *Ominatur* verbum h. l. non satis aptum. Forte leg. *Ominatur, quum, quibus quondam auspi-*

Digitized by Google

tendisse deos[5]. *Adesse finem belli ac laboris : in manibus esse prædam Carthaginis, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, conjuges, penatesque deos*. Celsus hæc corpore, vultuque ita læto, ut vicisse jam crederes, dicebat[6]. Instruit deinde primos hastatos, post eos principes; triariis postremam aciem clausit.

XXXIII. Non confertas autem cohortes[1] ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo elephanti hostium accepti nihil ordines turbarent. Lælium (cujus ante legati[2], eo anno quæstoris extra

ciis...portenderint dii, adesse finem belli ac laboris.

5. *Portendisse deos ea* auspicia, ostendisse, dedisse. « Verum dii propr. non *portendunt auspicia*, sed *portendunt* futura *auspiciis*, ut XXVI, 41. Videtur sermo ellipticus esse, et ita supplendus : ea illis portendisse deos, quæ quondam portendissent iis auspiciis, quibus patres eorum, etc. » Duk.

6. *Celsus hæc corpore...dicebat;* vide ad VII, 16, n. 2.

Cap. XXXIII. 1. *Non confertas autem cohortes*, etc. Conf. de hac Scipionis Hannibalisque acie, Polyb. XV, 9, 11; Appian. Pun. 40, 41; Frontin. Strat. II, 3, 16 (ubi Tennul. Disputat. adversus Salmas. de Re Mil. Rom. cap. 2, p. 1301); Guischardti *Mémoires militaires*, tom. I, cap. 12; Schel. ad Hygin. p. 1053, et Lips. Mil. Rom. IV, 1, et Dial. II, 3, ubi præter alia notavit hæc : « Scipio, quod Polybius docet, in hac pugna non servavit commnnem receptumque Romanorum morem in manipulis collocandis, quo hastati scilicet primi e gravi armatura pugnabant, pulsique retrocedebant in intervalla ordinum sive *vias patentes inter manipulos antesignanorum* (διαχώρους, seu διαστήματα τῶν λόχων, in quibus claudendis et aperiendis, prout visum, ars omnis et arcanum militiæ rom.), et principes excipiebant. Neque enim manipulos ad intervalla et vias opposuit, sed ipsos sibi et a tergo *rectis ordinibus* adnexuit, ut viæ directæ per omnia genera sine obstaculo penetrarent. Cur ita? non ut equites per eas facilius transmitterentur, quod Appianus dicit, sed ut *elephantis hostium*, qui maxime timebantur, locus daretur per medias acies, hique sine confusione manipulorum agerentur ad extrema. Si enim manipuli solenni more fuissent dispositi, incurrissent necessario in principes objectos. Livius rem mirifice obscurat, nec videtur intellexisse Polybium; certe implicate scribit. Tamen ea mens : *non instruxit confertas cohortes*, sed *quamque ante sua signa* in recto ordine. Nam in vulgari dispositione cohortes non sunt rectæ, nec signa signis respondent. » Cf. mox not. 3.

2. *Lælium, cujus ante legati* (quod ex h. l. discimus : nam præfectus clas-

Digitized by Google

sortem ex senatusconsulto opera utebatur) cum italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit. Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat[3]) complevit; dato præcepto, ut ad impetum elephantorum aut post rectos refugerent ordines, aut, in dextram lævamque discursu applicantes se antesi-

sis dicitur XXVI, 42; XXIX, 25 et al.), *eo anno quæstoris extra sortem ex senatusconsulto opera utebatur;* « Catonem probabile est exacto anno quæsturæ Romam rediisse (cf. XXIX, 25, et Nep. Cat. 1, qui eum a Scipione non pro sortis necessitudine vixisse, et ab eo perpetua dissensisse vita dicit), et Scipioni petenti Lælium, ei amicissimum, forte absentem, aut quæsturæ petendæ causa Romam profectum, quæstorem extra sortem datum : nam quemadmodum præsides provinciarum, sic etiam quæstores non semper provincias sorte, sed interdum lege aut senatusconsulto extra ordinem acceperunt ». Duk. coll. Sigon. de Jur. Prov. II, 3, et Manut. ad Cic. de Div. II, 19. — *Lælium ab sinistro cornu, Masinissam ab dextro :* ita et apud Polyb. Uterque in dextro apud Appian. Pun. 41, 44.

3. *Velitibus : ea tunc levis armatura erat;* vide supra ad XXI, 55, n. 2, et XXVI, 4, n. 6. — *Post rectos refugerent ordines;* conf. notæ Schweigh. ad Polyb. XI, 23, 2; XV, 9, 7, et XV, 15, 7. « Manipuli quique tres hastatorum, principum et triariorum, qui unam cohortem efficiebant, non jam, ut alias in acie rom. moris erat, in quincuncem et per intervalla ordinum, sed una recta linea alii post alios locati erant ita, ut alter alteri responderet (qui Polybio dicuntur σημαῖαι vel σπεῖραι κατάλληλοι, seu ἄλλαι κατ' ἄλλας, seu κατ' ἀλλήλας τεθεῖσαι · et XI, 11, 7, ἐπάλληλοι τάξεις· Appian. Pun. 41, ὄρθιοι λόχοι· Livio *recti ordines*), utque inter duas quasque cohortes via recta per omnes tres manipulos pateret. Per ipsam rationem, qua instruitur romana acies, per interstitia illa, quæ sunt inter manipulos, fit, ut non facile rumpi dirimique acies eorum possit; quia, si vel maxime irruperint hostes per primos hastatorum manipulos, cædunt eos hi ipsi a latere, tum occurrunt sequentes manipuli hastatorum in quincuncem dispositi, tum manipuli principum, manipuli triariorum. Quare etiam, quoniam militum vi non facile rumpi aciem rom. posse (δυσδιασπάστου οὔσης τῆς Ῥωμαίων τάξεως καὶ δυνάμεως) noverat Hannibal, belluarum impetu eam vel *ordines turbare* rumpereque, συνταράξαι καὶ διασπάσαι, conatus est. Sed et hoc periculum evitavit Scipio *ordines rectos* faciendo, non in quincuncem locando; quod ipsum facere potuit propter commodum illud, quod habet Romanorum armatura et omnino acies romana, quod et singuli manipuli et singuli milites in quamcumque partem sunt mobiles et pugnare possunt : quod ipsum commodum simul illam eis operam præstat, ut non facile rumpi atque turbari eorum acies, etiamsi per interstitia pervadant belluæ, vel perrumpant aliquatenus non-

Digitized by Google

gnanis, viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent. Hannibal ad terrorem primum elephantos (octoginta autem erant, quot nulla unquam in acie ante habuerat) instruxit; deinde auxilia Ligurum Gallorumque, Baliaribus Maurisque admixtis; in secunda acie Carthaginienses Afrosque et Macedonum legionem[4]; modico inde intervallo relicto, subsidiariam aciem italicorum militum (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures, quam sua voluntate, decedentem ex Italia sequuti) instruxit. Equitatum etiam ipsum circumdedit cornibus : dextrum Carthaginienses, sinistrum Numidæ tenuerunt. Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, non mos, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset. Auxiliaribus et præsens, et multiplicata merces ex præda[5] ostentatur. Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur : Liguribus campi uberes Italiæ, deductis ex asperrimis montibus, in spem victoriæ[6] ostentantur : Mauros Numidasque Masinissæ impotenti futuro dominatu terret : aliis aliæ spes ac metus[7] jactantur. Carthaginiensibus mœnia patriæ, dii penates, sepulcra majorum, liberi cum parentibus, conjuges pavidæ; aut excidium servitiumque, aut imperium orbis ter-

nulli hostium globi, possit : continuo enim et minima opera pristinum suum locum commodamque suam formam recipit. » — *In ancipitia tela;* vide ad I, 25, n. 4. — *Ad terrorem primum elephantos.* Creverio potius videretur primos, quod ex Cantabrigiensi codice affert Jac. Gronovius, et firmat noster Regius. Ed.

4. *Macedonum legionem* memorat etiam Frontinus, non vero Polybius et Appianus. Cf. cap. 42, et XXXI, 1 extr. — *Non lingua, non mos, non lex,* etc. ut XXVIII, 12, et apud Polyb. XI, 19, 4.

5. *Præsens merces ostentatur;* vide ad I, 12, n. 6, et IV, 30, n. 1.

6. *In spem victoriæ* (si vicissent, *im Falle des Siegs, auf den Fall;* Bauer.) *ostentantur;* conf. ad IV, 30, n. 1, et VI, 5, n. 1. — *Impotenti futuro dominatu;* vide ad librum III, cap. 36, n. 2.

7. *Aliæ spes jactantur;* vide ad II,

Digitized by Google

rarum; nihil aut in metum, aut in spem medium ostentatur. Quum maxime hæc imperator apud Carthaginienses, duces suarum gentium[8] inter populares, plerique per interpretes inter immixtos alienigenis agerent, tubæ cornuaque ab Romanis[9] cecinerunt; tantusque clamor ortus, ut elephanti in suos, sinistro maxime cornu, verterentur, Mauros ac Numidas. Addidit facile Masinissa perculsis terrorem, nudavitque ab ea parte aciem equestri auxilio. Paucæ tamen bestiarum, intrepidæ in hostem actæ, inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem edebant. Resilientes enim ad manipulos velites, quum viam elephantis, ne obtererentur, fecissent, in ancipites ad ictum utrimque[10] conjiciebant hastas; nec pila ab antesignanis cessabant; donec undique incidentibus telis exacti ex romana acie, hi quoque in suo dextro cornu ipsos Carthaginiensium equites in fugam verterunt. Lælius, ut turbatos vidit hostes, addit perculsis terrorem.

XXXIV. Utrimque equite nudata erat punica acies, quum pedes concurrit, nec spe, nec viribus jam par.

12, n. 7. — *Nihil in spem medium ostentatur;* vide ad II, 49, n. 6, et IV, 30, n. 1.

8. *Duces suarum gentium,* Mauri Maurorum, Hispani Hispanorum, Galli Gallorum, Macedones Macedonum: quæ cohortes, manipuli, legiones quum non sinceræ omnino essent, sed permixtæ varia nationum colluvie, nonnulli duces ex his, quæ apud suos vernaculo sermone pronuntiabant, *per interpretes* cæteris indicabant; Gron.— *Plerique* plurimi MSS. *Pleraque*, non minus apte.

9. *Tubæ cornuaque ab Romanis cecinerunt* (vide ad VII, 40, n. 4), et simul a Pœnis; vid. Polyb. XV, 12, et Appian. Pun. 43. — *Verterentur;* al. *verterent;* vide ad II, 3, n. 2. De memorabili hac pugna cf. Polyb. XV, 12 sq. Appian. Pun. 43, et Guischardti *Mémoires militaires*, tom. I, cap. 12.

10. *In ancipites ad ictum utrimque* elephantos, ab ambobus lateribus infestatos, ab dextra lævaque telorum ictui expositos, anxios et, quo se verterent, nescios (conf. not. 3 extr. et ad I, 25, n. 4), *conjiciebant hastas* velites, qui complèverant intervalla inter manipulos, et actis eodem elephantis locum dederant; Gron.

Digitized by Google

Ad hoc dictu parva, sed magni eadem in re gerenda momenti res[1], congruens clamor a Romanis, eoque major et terribilior; dissonæ illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis, voces[2]: pugna romana stabilis[3], et suo et armorum pondere incumbentium in hostem: concursatio et velocitas illinc major, quam vis. Igitur primo impetu extemplo movere loco hostium aciem Romani: ala deinde et umbonibus pulsantes, in submotos gradu illato, aliquantum spatii, velut nullo resistente, incessere; urgentibus et novissimis primos, ut semel motam aciem sensere: quod ipsum vim magnam ad pellendum hostem addebat. Apud hostes, auxiliares cedentes[4] secunda acies, Afri et Carthaginienses, adeo non sustinebant, ut contra etiam, ne resistentes pertinaciter primos cædendo ad se perveniret hostis, pedem referrent. Igitur auxiliares terga dant repente, et, in suos versi, partim refugere in secundam aciem, partim non recipientes cædere, uti paulo ante non adjuti, et tunc exclusi. Et prope duo jam permixta prælia erant, quum Carthaginienses simul cum hostibus, simul cum suis cogerentur conserere manus. Non tamen ita perculsos iratosque in aciem accepere; sed, densatis ordinibus, in cornua vacuumque circa campum extra prælium ejecere, ne pavidi fuga vulneribusque[5] milites sinceram

Cap. XXXIV. 1. *Ad hoc* (vide ad II, 23, n. 3) *dictu parva...res:* vox *res* abest ab omnibus fere MSS; et recte, opinor, eam delevere Gron. et Doer. ut τὰ *parva* referatur numero plur. ad omnia, quæ sequuntur, ad *clamorem*, *voces*, *pugnam stabilem*, etc. Conf. ad XXIV, 5, n. 2.

2. *Congruens clamor...voces;* cf. ad IV, 37, n. 7, et Polyb. XV, 12, 9.

3. *Pugna rom. stabilis*, etc. conf. ad IV, 19, n. 4; IX, 41, n. 11, et Polyb. XV, 13 pr. Rem gladiis quidem cominus gestam a Romanis, sed pugna fere finita, tradit Appian. Pun. 45 extr.

4. *Auxiliares cedentes*, Ligures, Gallos, Baliares Maurosque, qui in prima hostium acie erant.

5. *Ne pavidi fuga vulneribusque milites sinceram* (vide ad c. 11, n. 5) *et*, etc. MS Reg. probb. Gronov. et

Digitized by Google

et integram aciem miscerent. Cæterum tanta strages hominum armorumque locum, in quo steterant paulo ante auxiliares, compleverat, ut prope difficilior transitus esset, quam per confertos hostes fuerat. Itaque, qui primi erant, hastati, per cumulos corporum armorumque et tabem sanguinis, qua quisque poterat, sequentes hostem, et signa et ordines confuderunt. Principum quoque signa fluctuari[6] cœperant vagam ante se cernendo aciem. Quod Scipio ubi vidit, receptui propere canere[7] hastatis jussit, et, sauciis in postremam aciem subductis, principes triariosque in cornua inducit; quo tutior firmiorque media hastatorum acies esset. Ita novum de integro prælium[8] ortum est: quippe ad veros hostes perventum erat, et armorum genere, et usu militiæ, et fama rerum gestarum, et magnitudine vel spei vel periculi pares. Sed et numero Romanus superior erat, et animo; quod jam equites, jam elephantos fuderat, jam, prima acie pulsa, in secundam pugnabat.

XXXV. In tempore[1] Lælius ac Masinissa, pulsos per aliquantum spatii sequuti equites, revertentes in aversam hostium aciem incurrere: is demum equitum impetus fudit hostem. Multi circumventi in acie

Drak. Recepi pro vulg. *ne pavidos f. v. milites in certam*, etc. — Creverius cum Gron. facile crederet veram Livii scripturam eam esse, quam exhibet Regius codex, *ne pavido fuga vuln. milite sinceram et*, etc. Ed. — *Tabem sanguinis;* vide supra ad IV, 30, n. 4.

6. *Signa fluctuari;* al. *fluctuare;* vide ad III, 60, n. 8. — *Cernendo*, i. e. cernentium, more Livii in gerundio adhibendo; Bauer.

7. *Receptui canere* tubicines seu signa *jussit hastatis*, horum causa, ut hi se reciperent. Cf. ad VII, 40, n. 4, et XLII, 28, n. 1.

8. *Novum de integro prælium*, « synonyma juncta, quæ tamen differunt: *novum* aliud post prius prælium, *de integro*, repetito conatu, renovatis viribus, quasi nondum pugnassent. Mox *ad veros hostes* Pœnos, dignos hostium nomine, bellicosos, peritos, fortes». Bauer.

Cap. XXXV. 1. *In tempore*; vide ad II, 47, n. 4.

Digitized by Google

cæsi; multi per patentem circa campum fuga sparsi, tenente omnia equitatu, passim interierunt. Carthaginiensium sociorumque cæsa eo die supra millia viginti: par ferme numerus captus est, cum signis militaribus centum triginta tribus, elephantis undecim. Victores ad duo millia cecidere[2]. Hannibal, cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit; omnia et in prælio, et ante aciem, prius quam excederet pugna, expertus[3], et confessione etiam Scipionis omniumque peritorum militiæ illam laudem adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. Elephantos in prima fronte; quorum fortuitus impetus atque intolerabilis vis signa sequi et servare ordines (in quo plurimum spei ponerent) Romanos prohiberet. Deinde auxiliares ante Carthaginiensium aciem, ne homines mixti ex colluvione omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent; simul primum ardorem atque impetum hostium excipientes [fatigarent[4], ac, si nihil aliud,] vulneribus suis ferrum hostile hebetarent. Tum, ubi omnis spes esset, milites carthaginienses afrosque, ut, omnibus rebus aliis pares, eo, quod integri cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores es-

2. *Carthaginiensium sociorumque cæsa... cecidere;* cf. Polyb. XV, 14 f. et Appian. Pun. 48. Hic et mira memorat cap. 45, 46, de singulari certamine, in quod Hannibal cum Scipione primum et deinde cum Masinissa descenderit.

3. *Omnia ... expertus,* vel potius *ante aciem, et in prælio et p.*, etc. conj. Duker. ut tria designentur tempora et *ante aciem* dictum sit pro: prius quam concurrerent acies. *Omnia et ante aciem et in prælio, prius quam*, etc. emend. Drak. coll. Oros. IV, 19. — *Elephantos in prima fronte*, verba ab *instruxisse* pendentia, ut et seqq. Cf. Polyb. XV, 15, 16.

4. *Fatigarent* (sc. hostes) *ac si nihil aliud:* hæc ignorant MSS, tantum non omnes atque edd. ante Gryph. et ea exterantur sane; Gron. *Excipientes alii missilibus, alii vulneribus* multi MSS. Sed vulgatum et Livianum esse, et auctoritate tum cod. Reg., tum Polyb. XV, 16, 3, firmari, monet Drak. *Si nihil aliud*,

Digitized by Google

sent : Italicos, intervallo quoque diremptos, incertos socii an hostes essent, in postremam aciem submotos. Hoc edito velut ultimo virtutis opere, Hannibal, quum Adrumetum refugisset [5], accitusque inde Carthaginem sexto ac trigesimo post anno, quam puer [6] inde profectus erat, redisset, fassus in curia est, non prælio modo se, sed bello victum, nec spem salutis alibi, quam in pace impetranda esse.

XXXVI. Scipio, confestim a prælio [1] expugnatis hostium castris direptisque, cum ingenti præda ad mare ac naves rediit; nuntio allato, P. [2] Lentulum cum quinquaginta rostratis, centum onerariis, cum omni genere commeatus, ad Uticam accessisse. Admovendum igitur undique terrorem perculsæ Carthagini ratus, misso Lælio Romam cum victoriæ nuntio,

sc. efficere possent, i. e. saltem, certe; v. Drak. *ubi omnis spes esset*, in quibus. — *Incertos socii an hostes essent:* « verba hæc ita capi possent, ipsos Italicos incertos fuisse, utrum sibi expediret, esse Pœnorum sociis an hostibus. Potius tamen est, ut credamus, ipsum Hannibalem incertum fuisse, quo loco habendi forent. *Incertus* igitur passive dicitur, de quo alii sunt incerti, de quo dubitatur, ut XXVII, 37, n. 4, et XXXI, 12, n. 5. Cf. ad Sil. II, 99. Id si cui minus placet, legat *incertum;* vide ad VIII, 17, n. 6 ». Drak. *Incertos* incertum facientes, de quibus incertum esset; Doer. et Ern. — « Passivam significationem vocis *incertus*, si non certioribus cognosceremus exemplis quam Drakenborchii ad hunc locum et ad Silium, dubia significatione, in promptu erat scribere, *incerto socii an hostes*. Hoc Livianum, lib. XXVIII, c. 36 : *Multi adnantes navibus, incerto præ*, etc. ubi id Ernestius pro adverbio accipit. Non meminerat ablativo adjectivorum absoluto et Livium sæpe uti et multo frequentius Tacitum ejusque æquales. Sed *incertus* passiva significatione habes in Sallust. Jugurtha, 49 : *Equi Numidæque... incerti quidnam esset*, ubi vide Cortium. » Hæc Walchius, Emendat. p. 206; cf. quoque Sallust. nostræ edit. pag. 229, not. 7. Ed.

5. *Quum Adrumetum refugisset* biduo et duabus noctibus, etsi longe a Zama abest; vid. Appian. Pun. 47; Nep. Hann. 6.

6. *XXXVI post anno, quam puer*, etc. vide supra ad librum XXI, cap. 3, not. 2.

Cap. XXXVI. 1. *Confestim a prælio;* vide ad I, 1, n. 5.

2. *P. Lentulum;* vide ad XXIX, 38, n. 2. — *Misso Lælio Romam cum victoriæ nuntio;* cf. Appian. Pun. 48. — Vide ad cap. 38, n. 2. Ed. — Τὸ *cum* forte del.; Jac. Gron.

Digitized by Google

talentum argenti, descripta pensionibus æquis in annos quinquaginta, solverent. Obsides centum[3] *arbitratu Scipionis darent; ne minores quatuordecim annis, neu triginta majores. Inducias ita se daturum, si per priores inducias*[4] *naves onerariæ captæ, quæque fuissent in navibus, restituerentur: aliter nec inducias, nec spem pacis ullam esse.* Has conditiones legati quum domum referre jussi in concione ederent, et Gisgo ad dissuadendam pacem processisset, audireturque a multitudine inquieta eadem et imbelli, indignatus Hannibal, dici ea in tali tempore audirique, arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit[5]. Quæ insueta liberæ civitati species quum fremitum populi movisset, perturbatus militaris vir urbana libertate, « Novem, inquit, annorum a vobis « profectus, post sextum et tricesimum annum[6] redii. « Militares artes, quas me a puero fortuna nunc pri« vata, nunc publica docuit, probe videor scire. Urbis « ac fori jura, leges, mores, vos me oportet doceatis ». Excusata imprudentia, de pace multis verbis disseruit,

in Africa vel extra eam neglexisse, monet Drak. — *Decem millia talentorum argenti* (marcas nostrates argenti 937500. Ed.) CC talenta euboica ap. Appian. *descripta* (dispartita) *pensionibus æquis in annos L. solverent*, i. e. singulis annis tantumdem pecuniæ, velut ratam partem totius summæ: quo sensu *æquis portionibus persolvere* dicitur VI, 35, n. 2, ubi *pensionibus* malebat Cujac. sed *pensiones* sunt *portiones* æque, plerumque certe, summæ universæ; Ern.

3. *Obsides centum:* ita et Polyb. sed CL Appian. quod firmari loco Liv. XXXII, 2, monet Sigon. Forte Livius h. l. Polybium, et XXXII, 2, alios scriptores sequutus est: Appiani autem CL obsides huc pertinere nequeunt, quia de his addit γενομένων τῶν σπονδῶν, ἀπολήψεσθε τὰ ὅμηρα· Drakenb.

4. *Per priores inducias;* vide ad II, 18, n. 1.

5. *Arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco* (suggestu, loco oratoris, ἀπὸ τοῦ βήματος) *detraxit*, etc. cf. Polyb. XV, 19, et Appian. Pun. 55. — *Species*, germ. *Erscheinung*, *Auftritt;* Doer.

6. *Novem annorum* puer *a vobis profectus post XXXVI annum redii;* cf. ad XXI, 3, n. 2, et Schweigh. ad Polyb. XV, 19, n. 3, cujus nota est: « Consentit numerorum ratio. Dixit hoc Hannibal exeunte anno ab U. C.

Digitized by Google

quam nec iniqua, et necessaria esset. Id omnium maxime difficile erat, quod ex navibus per[7] inducias captis nihil præter ipsas comparebat naves; neque inquisitio erat facilis, adversantibus paci, qui arguerentur. Placuit naves reddi, et homines utique inquiri. Cætera, quæ abessent, æstimanda Scipioni permitti; atque ita pecunia luere Carthaginienses. Sunt qui Hannibalem ex acie ad mare pervenisse, inde præparata nave ad regem Antiochum extemplo profectum tradant; postulantique ante omnia Scipioni, ut Hannibal sibi traderetur, responsum esse, Hannibalem in Africa non esse.

XXXVIII. Postquam redierunt ad Scipionem legati; quæ publica in navibus fuerant, ex publicis descripta rationibus[1] quæstores; quæ privata, profiteri domini jussi. Pro ea summa pecuniæ viginti quinque millia pondo argenti præsentia exacta; induciæque

550. Completos autem IX annos habuerat initio a. 515, quo cum patre in Hispaniam est profectus; vid. Polyb. II, 1 ».

7. *Quod ex navibus per inducias* (vide ad II, 18, n. 1) *captis nihil præter i. c. n.*, neque etiam quæ fuissent in navibus, quæque simul restituenda dixisset Scipio — *Adversantibus paci, qui arguerentur*, sc. rapuisse et possidere *cætera, quæ abessent.* « Res varios possessores acceperant arcte tenentes complectentesque prædam; neque audebant quæstionem instituere ob potentiam eorum et pertinaciam: nam ut eam eluderent raptores tendendo contra pacem et incitando populum, totam remp. in majus discrimen daturos apparebat: hoc metu sublato, facilius in cætera consensuros: ergo hujus quoque mali medicinam invenerunt statuto, ut redderentur ipsæ naves captique homines, res ex ærario præstarentur. » Gron. — *Homines* simul cum navibus captos.— *Utique*; vide ad II, 30, n. 1, et VI, 35, n. 4. — *Atque ita*, ex Scipionis æstimatione, *pecunia luere C.* sc. hæc. Cf. Drak. et ad Tac. Ann. XIII, 21, n. 1. *Publica* pro *atque ita* conj. Gron.

Cap. XXXVIII. 1. *Ex publicis rationibus*, tabulis, *descripta* bona *quæstores profiteri jussi*, h. e. referre vel proponere, per zeugma; Doer. Vid. ad I, 33, n. 7. Sed verbum *profiteri* etiam ad *quæstores* simpl. referri potest. — *Pro ea summa pecuniæ*, sc. qua hæc bona æstimari possent, et tam a quæstoribus quam a dominis æstimata essent, quum retulissent ea in rationes. *Summam* esse omnia hæc bona, et voc. *pecuniæ* delendam putat Doer. — *Viginti quinque milia pondo.* Selibræ sunt nostrates 39062 cum qua-

Digitized by Google

Carthaginiensibus datæ in tres menses. Additum, ne per induciarum tempus[2] alio usquam, quam Romam, mitterent legatos; et, quicumque legati Carthaginem venissent, ne ante dimitterent eos, quam romanum imperatorem, qui et quæ petentes venissent, certiorem facerent. Cum legatis carthaginiensibus Romam missi L. Veturius Philo, et M. Marcius Ralla, et L. Scipio, imperatoris frater. Per eos dies commeatus ex Sicilia Sardiniaque tantam vilitatem annonæ effecerunt, ut pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret. Romæ ad nuntium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatum fuerat; jussusque erat Ti. Claudius mature in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam trajicere, et alter consul M. Servilius ad Urbem morari, donec, quo statu res in Africa essent, sciretur. Segniter omnia in comparanda deducendaque classe[3] ab Ti. Claudio consule facta erant; quod Patres de pace Scipionis potius arbitrium esse, quibus legibus daretur, quam consulis, censuerant. Prodigia quoque, nuntiata sub ipsam famam rebellionis, terrorem attulerant. Cumis solis orbis[4] minui visus, et pluit lapideo imbri : et in veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ. Ariciæ forum et circa tabernæ, Frusinone murus aliquot locis et porta de cælo tacta : et in Palatio lapidibus pluit. Id prodigium more patrio novemdiali sacro[5], cætera hostiis majoribus ex-

tuor unciis. Ed. — *Præsentia;* vide ad I, 12, n. 6.

2. *Per induciarum tempus;* vide ad II, 18, n. 1. — *Romam missi L. Veturius*, etc. Hic oritur difficultas non commode extricanda : namque supra cap. 36 pr. dixit Livius Lælium Romam missum esse, victoriæ nuncium; nunc autem tres alios legatos nominat, et in cap. 40, de Veturio quoque mentionem facit. Ego quidem non hunc nodum solvam. Ed.

3. *Deducendaque classe;* vide ad VIII, 26, n. 1.

4. *Cumis solis orbis;* v. I, 31, n. 1.

5. *Novemdiali sacro;* vide ad I, 31,

Digitized by Google

piata. Inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa : nam ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares, circo inundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris[6] parati sint. Cæterum ludorum ipso die, subita serenitate orta, pompa, duci cœpta ad portam Collinam, revocata deductaque in circum est, quum decessisse inde aquam nuntiatum esset : lætitiamque populo et ludis celebritatem addidit sedes sua solenni spectaculo reddita.

XXXIX. Claudium consulem, profectum tandem ab Urbe, inter portus Cosanum [1] Lauretanumque atrox vis tempestatis adorta in metum ingentem adduxit. Populonios inde quum pervenisset, stetissetque ibi, dum reliquum tempestatis exsæviret, Ilvam insulam, et ab Ilva Corsicam, a Corsica in Sardiniam trajecit. Ibi superantem Insanos montes, multo et sævior et infestioribus locis tempestas adorta disjecit classem. Multæ quassatæ armamentisque spoliatæ naves; quædam fractæ : ita vexata ac lacerata classis

n. 3. — *In religionem versa* (vide ad II, 5, n. 4) inundatio *Tiberis*, ut XXXV, 9, 21, et apud Horatium, Od. I, 2.

6. *Extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris;* vide ad XXI, 10, n. 8. Nota Drak. est : « Fuit *ædes Erycinæ Veneris* in Capitolio; vid. XXII, 9, 10; XXIII, 30, 31, et Ryck. de Capit. c. 41. Sed h. l. memoratur alia extra vel ad portam Collinam. Cf. XL, 34; Ovid. Fast. IV, 871 sq. Strab. VI, 272; Appian. B. C. I, 93; Donat. de urbe Rom. III, 15; Nardin. Rom. vet. IV, 4. Sed hæc postea demum dedicata est; vid. XL, 34. Vel itaque Livius erravit, vel per prolepsin ita locum vocavit, ubi postea ædes condita est. Ovidium etiam circa hanc ædem errasse, observat Neapolis ad Fastos, IV, 875. »

Cap. XXXIX. 1. *Lauretanumque*, forte *Falerianumque*, Doujat. *Scapritanumque* conj. Cluver. It. Ant. II, 2, p. 476.— Pluribus MSS inest *Loretanum*, quem portum Glareanus eum esse putat, qui posteriore tempore *Trajanus* dictus est. Ed. — *Ilvam insulam* in mari Tusco et Etruriæ ora, gr. Αἰθάλη seu Αἰθαλία, hod. *Elba;* quam nostra ætate nimis famosam quis nescit! Ed. — *Superantem* (vid. II, 50, n. 4). *Insanos montes* Sardiniæ, ab immani altitudine sic dictos, τὰ Μαινόμενα ὄρη. Cf. Sil. XII, 371; Flor. II, 6, 35; Cluver. Sardin. ant. c. 1, p. 496. — *Disjecit classem;* vide ad XXI, 49, n. 3.

Digitized by Google

Carales tenuit[2]. Ubi dum subductæ reficiuntur[3] naves, hiems oppressit; circumactumque anni tempus, et, nullo prorogante imperium, privatus Ti. Claudius classem Romam reducit. M. Servilius, ne comitiorum causa ad Urbem revocaretur, dictatore dicto C. Servilio Gemino[4], in provinciam est profectus. Dictator magistrum equitum P. Ælium Pætum dixit. Sæpe comitia indicta perfici tempestates prohibuerunt : itaque, quum pridie idus martias[5] veteres magistratus abissent, novi suffecti non essent, respublica sine curulibus magistratibus erat. T. Manlius Torquatus pontifex eo anno mortuus : in locum ejus suffectus C. Sulpicius Galba. Ab L. Licinio Lucullo et Q. Fulvio ædilibus curulibus ludi Romani ter toti instaurati[6]. Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque[7] ædilitii clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli ædilis. P. Ælius Tubero et L. Lætorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt, quum ludos ludorumque causa epulum Jovi fecissent, et signa tria ex mulctaticio argento facta in Capitolio posuissent. Cerealia ludos[8] dictator et magister equitum ex senatusconsulto fecerunt.

2. *Classis Carales tenuit;* vide ad I, 1, n. 8, et XXIII, 40, n. 1.

3. *Subductæ reficiuntur naves;* vid. ad VIII, 26, n. 1.

4. *Dictatore dicto C. Servilio Gemino :* post quem usque ad Sullam dictatores in republica romana non fuisse, monet Pigh. in Ann. ad a. U. 551, p. 228.

5. *Quum pridie idus martias* (vide ad XXI, 63, n. 1) *veteres magistratus abissent,* scil. magistratu : nisi potius cum Gron. et Drak. leg. *veteres* (sc. magistratus curules; nominativis repetitis e seqq.) *magistratu abissent,* ut II, 31; III, 51, 64; XXVI, 23. — *Sine curulibus magistratibus,* sc. ordinariis : nam dictatura magistratus extraordinarius erat; Duk. — Hic de Manlii prænomine disserit Drak. et *Titum* non *Lucium* dictum fuisse putat, quia jam *T. Manlius Torquatus* memoratur ad XXV, 5, maximum pontificatum petiisse. Ed.

6. *Ludi Rom.* etc. vid. II, 36, n. 1.

7. *Scribæ viatoresque ædilitii;* vide ad II, 56, n. 10, et IX, 46, n. 6. — *Ædiles pl. vitio creati;* vide ad V, 17, n. 4, et X, 47, n. 1.

8. *Cerealia ludos;* vide ad II, 21,

Digitized by Google

XL. Legati ex Africa romani simul carthaginiensesque quum venissent Romam, senatus ad ædem Bellonæ habitus est[1]. Ubi quum L. Veturius Philo, pugnatum cum Hannibale esse suprema Carthaginiensibus pugna, finemque tandem lugubri bello impositum, ingenti lætitia Patrum exposuisset; adjecit, Verminam etiam, Syphacis filium, quæ parva bene gestæ rei[2] accessio erat, devictum. In concionem inde prodire jussus, gaudiumque id populo impartire. Tum patuere, facta gratulatione, omnia in Urbe templa, supplicationesque in triduum decretæ. Legatis Carthaginiensium et Philippi regis (nam ii quoque venerant) petentibus, ut senatus sibi daretur[3], responsum jussu Patrum ab dictatore est, consules novos eis se-

n. 1. — Sic l. XXXIV, cap. 54, *Megalesia ludos scenicos*, et al. De Cerealibus ludis Rosinus lib. V, cap. 14 disserit. Adi Ov. Fast. lib. IV, 390 sq. et Jul. Cæs. Scaligerum Poetic. I, cap. 32. Ed.

Cap. XL. 1. *Senatus ad ædem Bellonæ habitus est;* vide ad X, 23, n. 12, et XXVI, 21, n. 1. Mox ante *Carthaginiensibus* scripti et editi ante Froben. addunt *cum*, pro quo *et* conj. Gron. Hoc *cum* probat Dujat., Livium enim indicare voluisse, pugnam cum Hannibale fuisse postremam cum Pœnis, etsi non postremam cum hostibus in Africa; etenim cum Vermina dimicatum postea esse. Contra Crev. et Drak. illud *cum* ad fidem MS Reg. delevere, ut sensus sit: pugna, quæ suprema, postrema fuit Pœnis, bello jam, non solum prælio victis. An glossa est vel *cum Carthag.*, vel *cum Hannibale?*

2. *Quæ parva bene gestæ rei*, finiti belli punici *accessio erat*; quidam MSS *quæ non parva*, quod contra sententiam Gron. prætulerim: nam res illa haud parvi momenti erat (v. cap. 36), et ejusmodi facta in rerum gestarum expositione extolli magis quam elevari solent; Doer. Hæc autem verba non Veturius dixisse, sed Livius adjecisse censendus est. — *Facta gratulatione* mutua, postquam omnes sibi de lætissimo nuntio gratulati erant; nisi *gratulatio* est lætitia (cf. Cic. Verr. IV, 34), aut dies festus, ut sensus sit: quum hic dies factus esset festus, et quidem, quo diis gratiæ agerentur pro re læta, ut ap. Cic. ad Div. XI, 18: *Hac tam recenti gratulatione, quam diis ad omnia templa fecimus;* ex quo loco Gron. conj. *faciendæ gratulationi*, probb. Drak. et Doer. Cf. ad III, 63, n. 2. Malim *edicta gratulatione:* quæ emendatio et minus violenta est (nam litera *e* facile excidere potuit, quia est ultima vocis præc.), et non minus apta; vide ad XXXII, 1, n. 8.

3. *Ut senatus sibi daretur;* vide ad VIII, 5, n. 1.

Digitized by Google

natum daturos esse. Comitia inde habita : creati consules Cn. Cornelius Lentulus, P. Ælius Pætus : prætores M. Junius Pennus, cui sors urbana[4] evenit; M. Valerius Falto Bruttios[5], M. Fabius Buteo Sardiniam, P. Ælius Tubero Siciliam est sortitus. De provinciis consulum nihil ante placebat agi, quam legati Philippi regis et Carthaginiensium auditi essent. Belli finem alterius, principium alterius prospiciebant animis. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat provinciæ Africæ; seu bellum foret, facilem victoriam, seu jam finiretur, finiti tanti belli se consule gloriam petens[6]. Negare itaque prius quidquam agi passurum, quam sibi Africa decreta esset, concedente collega, moderato viro et prudenti; qui gloriæ ejus certamen cum Scipione, præterquam quod iniquum esset, etiam impar futurum cernebat. Q. Minucius Thermus et M'. Acilius Glabrio[7], tribuni plebis, *rem, priore anno nequidquam tentatam ab Ti. Claudio consule, Cn. Cornelium tentare* aiebant. *Ex auctoritate Patrum latum ad populum esse, cujus vellent imperium in Africa esse. Omnes quinque et triginta tribus P. Scipioni id imperium decresse.* Multis contentionibus, et in senatu et ad populum, acta res postremo eo deducta est, ut senatui permitterent. Patres igitur jurati (ita enim convenerat) censuerunt[8], uti consules provincias in-

4. *Cui sors urbana evenit* (vide ad XXII, 35, n. 5), et simul peregrina; vide ad XXV, 41, n. 8.

5. *M. Valerius Falto Bruttios*, etc. vide ad XXV, 41, n. 8. Periodus aliquid confragosum habet, et forte leg. *Prætores M. Junius Pennus, urbanam, M. Valerius Falto.... Siciliam sortiti, fuere;* Gron. Omnia bene fluunt et a verbo *creati* pendent, modo deleatur τὸ *est*.

6. *Finiti tanti belli se consule gloriam petens;* immo *a se consule:* nam sane finitum fuit bellum illo consule; sed non satis erat hoc ambitioni hominis : volebat ipse ultimam manum imponere bello; Perizon. Cf. Appian. Pun. 56.

7. *M' Acilius Glabrio :* male vulgo *M.— Nequidquam tentatam ab Ti. Claudio;* vid. cap. 27 et 39.

8. *Patres igitur jurati censuerunt;*

Digitized by Google

ter se compararent sortirenturve, uter Italiam, uter classem navium quinquaginta haberet: cui classis obvenisset, in Siciliam navigaret: si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam trajiceret. Consul mari, Scipio eodem, quo adhuc, jure imperii terra rem gereret. Si conditiones convenirent pacis, tribuni plebis populum rogarent, utrum consulem, an P. Scipionem, juberent pacem dare; et quem, si deportandus exercitus victor ex Africa esset, deportare. Si pacem per P. Scipionem dari, atque ab eodem exercitum deportari jussissent, ne consul ex Sicilia in Africam trajiceret. Alter consul, cui Italia evenisset, duas legiones a M. Sextio prætore acciperet.

XLI. P. Scipioni cum exercitibus, quos haberet, in provincia Africa prorogatum imperium. [1] Prætori M. Valerio Faltoni duæ legiones in Bruttiis, quibus C. Livius priore anno præfuerat, decretæ. P. Ælius prætor duas legiones in Sicilia ab Cn. Tremellio acciperet. Legio una M. Fabio in Sardiniam, quam P. Lentulus pro prætore habuisset, decernitur. M. Servilio prioris anni consuli, cum suis duabus, item legionibus in Etruria prorogatum imperium est. Quod ad Hispanias attineret, aliquot jam annos ibi L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Acidinum esse. Uti consules cum tribunis agerent, si eis videretur, ut ple-

vide ad XXVI, 33, n. 9. — *Ita enim* id *convenerat* inter eos. Possis et cum Jac. Gron. conjicere *id e. c.* sed non opus est. Conf. ad I, 3, n. 4. — *Provincias inter se compararent s.* vide ad III, 2, n. 1.

Cap. XLI. 1. *Prætori.* Plerique scripti dant *prætoribus;* hinc Gronovius vult *prætorum*, quasi sit *inter prætores.* De simili genitivi partitivi usu vide ad IX, 27. At Drakenb. quominus hanc Gronov. conjecturam probare possit, illud obstare ait, quod mox subjungatur *P. Ælius prætor;* ubi ultima vox abundabit si hic *prætorum* legimus. Illud itaque *prætoribus* e compendio scribendi ortum putat. Ed. — *In Etruria prorogatum i. e.* vide ad XXVI, cap. 18, not. 3. — *Uti* ex emend. Pigh. pro vulg. *ut il.*

Digitized by Google

bem rogarent, cui juberent in Hispania imperium esse. Is ex duobus exercitibus in unam legionem conscriberet romanos milites, et in quindecim cohortes socios latini nominis, quibus provinciam obtineret: veteres milites L. Cornelius et L. Manlius in Italiam deportarent. Cornelio consuli quinquaginta navium classis ex duabus classibus, Cn. Octavii, quæ in Africa esset, P. Villii, quæ Siciliæ oram tuebatur, decreta; ut quas naves vellet, delegeret. P. Scipio quadraginta longas naves haberet[2], quas habuisset. Quibus si Cn. Octavium, sicut præfuisset, præesse vellet, Octavio pro prætore in eum annum imperium esset: si Lælium præficeret, Octavius Romam decederet, reduceretque naves, quibus consuli usus non esset. Et M. Fabio in Sardiniam decem longæ naves decretæ: et consules duas legiones urbanas scribere jussi; ut quatuordecim legionibus eo anno, centum navibus longis respublica administraretur[3].

XLII. Tum de legatis Philippi et Carthaginiensium actum: priores Macedonas introduci placuit; quorum varia oratio fuit, partim purgantium, quæ questi erant missi ad regem a Roma legati[1] de populatione sociorum; partim ultro accusantium quidem et socios populi romani, sed multo infestius M. Aurelium (quem ex tribus ad se missis legatis, delectu habito,

2. *P. Scipio XL longas naves h.* vide sup. ad XXIX, 26, n. 2, et ad XXX, 2, n. 4. — *Sicut præfuisset*, scil. ipse Scipio: aut, si intell. Octavius, accipiendum non huic, sed propriæ classi; Drak. — *Quibus consuli* Cn. Cornelio Lentulo *usus*, opus, *non esset;* vid. Perizon. ad Sanctii Min. IV, 15, 8.

3. *Centum navibus longis respublica administraretur;* vide ad II, 64, n. 3, et XXI, 17, n. 5. — Quum supra fere omnes scribant *quinquaginta* fuisse naves P. Scipioni, Creverius censet vel legendum ibi *centum et decem*, vel a Livio minorem numerum neglectum. Potiora tamen visa sunt nobis quæ edidimus. Ed.

Cap. XLII. 1. *Missi ad regem a Roma legati;* conf. cap. 26. — *Accusantium quidem et socios*, debebat *et socios quidem;* Bauer. — *Sopatrum*

Digitized by Google

substitisse, et se bello lacessisse contra fœdus, et sæpe cum præfectis suis signis collatis pugnasse); partim postulantium, ut Macedones duxque eorum Sopater, qui apud Hannibalem mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Adversus ea M. Furius, missus ad id ipsum ab Aurelio ex Macedonia, disseruit, *Aurelium relictum, ne socii populi romani, fessi populationibus atque injuria, ad regem deficerent, finibus sociorum non excessisse; dedisse operam, ne impune in agros eorum transcenderent populatores. Sopatrum ex purpuratis et propinquis regis esse: eum cum quatuor millibus Macedonum et pecunia missum nuper in Africam esse Hannibali Carthaginiensibusque auxilio.* De his rebus interrogati Macedones, quum perplexe responderent ipsi, ante responsum tulerunt[2], *Bellum quærere regem, et, si pergat, propediem inventurum. Dupliciter ab eo fœdus violatum, et quod sociis populi romani injurias fecerit, bello armisque lacessierit; et quod hostes auxiliis et pecunia juverit. Et P. Scipionem recte atque ordine videri fecisse*[3] *et facere, quod eos, qui arma contra populum romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis habeat; et M. Aurelium e republica facere, gratumque id senatui esse, quod socios populi romani, quando jure fœderis non posset, armis tueatur.* Cum hoc tam tristi responso dimissis

ex purpuratis. Sic ii vocabantur qui in regum macedonicorum aulis, quia dignitate cæteros anteibant, purpurea veste utebantur, sicut romani magistratus. Ed.

2. *Ante responsum tulerunt*, ante quam ea, quæ ad rem pertinerent, disertis verbis et sine ambagibus exponerent; Doer. Forte leg. *anceps r. t.*; Gron. Immo *tale:* non enim anceps adeo erat, et *triste* mox vocatur; Bauer. *Acre* conj. Periz.

3. *Recte atque ordine videri fecisse;* vide ad XXIV, 31, n. 3. — *Capti sunt*, debebat *sint*, ut in oratione obliqua; Duk. Crev. Bauer. *e republica fecisse;* vide supra ad librum I, cap. 27, not. 5.

Digitized by Google

Macedonibus, legati carthaginienses vocati. Quorum ætatibus dignitatibusque conspectis (nam longe primi civitatis erant), tum, pro se quisque dicere, vere de pace agi. Insignis tamen inter cæteros Hasdrubal erat (Hædum[4] populares cognomine appellant), pacis semper auctor adversusque factioni Barcinæ. Eo tum plus illi auctoritatis fuit, belli culpam in paucorum cupiditatem a republica transferenti. Qui quum varia oratione usus esset, nunc purgando crimina, nunc quædam fatendo, ne impudenter certa negantibus difficilior venia esset, nunc monendo etiam Patres conscriptos, ut rebus secundis modeste ac moderate uterentur; *Si se atque Hannonem audissent Carthaginienses, et tempore uti*[5] *voluissent, daturos fuisse pacis conditiones, quas tunc peterent. Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum romanum eo invictum esse, quod in secundis rebus sapere et consulere meminerit: et, hercule, mirandum fuisse, si aliter facerent. Ex insolentia*[6], *quibus nova bona fortuna sit, impotentes lætitiæ insanire. Populo romano usitata ac prope jam obsoleta ex victoria gaudia esse; ac plus pœne parcendo victis, quam vincendo, imperium auxisse.* Cæterorum miserabilior oratio fuit, commemorantium, *Ex quantis opibus*[7] *quo recidissent Carthaginiensium res: nihil*

4. *Hasdrubal Hædus*, Ἀσδρούβας ὁ Ἔριφος, qui etiam princeps fuerat legatorum ad Scipionem missorum; vid. Appian. Pun. 34, 49 sq. — *Factioni Barcinæ;* vid. XXI, 2, n. 5.

5. *Tempore uti;* vide ad III, 9, n. 4. — *Tunc;* forte *nunc.* — *Raro simul hominibus*, etc. hæc e Demosthene sumpta esse, monet Victor. var. lect. XXV, 3. — *Si aliter facerent*, quidam *faceret.* Sed v. I, 41, n. 1.

6. *Ex insolentia*, ob insolentiam bonæ fortunæ eos (Pœnos), *quibus nova sit*, insolita, *bona fortuna, impotentes lætitiæ insanire;* vide ad III, 36, n. 2, et XXIII, 18, n. 6. Hæc desumpta esse ex Thucyd. IV, 17, docet Victor. — *Populo romano usitata gaudia esse, ac... imperium auxisse*, scil. eum; vid. XXXV, 14, n. 4, et cf. Virg. Æn. VI, 854 sq.

7. *Ex quantis opibus*, viribus, po-

Digitized by Google

eis, qui modo orbem prope terrarum obtinuissent armis, superesse, præter Carthaginis mœnia. Iis inclusos, non terra, non mari quidquam sui juris cernere. Urbem quoque ipsam ac penates ita habituros, si non in ea quoque, quo nihil ulterius sit, sævire populus romanus velit. Quum flecti misericordia Patres appareret, senatorum unum infestum perfidiæ Carthaginiensium succlamasse ferunt, *Per quos deos fœdus icturi essent, quum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent?* « Per eosdem, inquit Hasdrubal, qui tam « infesti sunt fœdera violantibus. »

XLIII. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul, cui classis provincia erat[1], senatusconsulto intercessit. Tum M'. Acilius et Q. Minucius tribuni plebis ad populum tulerunt, *Vellent juberentne senatum decernere, ut cum Carthaginiensibus pax fieret; et quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitus deportare juberent?* De pace[2] uti rogassent, omnes tribus jusserunt : pacem dare P. Scipionem, eumdem exercitus deportare. Ex hac rogatione senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem legatorum sententia pacem cum populo carthaginiensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Gratias deinde Patribus egere Carthaginienses, petieruntque, ut sibi in Urbem introire, et colloqui cum civibus suis liceret[3], qui capti

tentia. Cf. ad I, 4, n. 1, et Drak. ad II, 21, n. 5. — *Fefellissent* deos; vid. II, 45, n. 16; Mitscherl. ad Hor. Od. II, 8, 10; Heins. ad Ovid. Her. II, 37.

Cap. XLIII. 1. *Cui classis provincia erat;* vide ad II, 40, n. 9. — *Senatusconsulto intercessit*, quin id fieret, impedire conatus est. Conf. Appian. Pun. 57-65. Mox forte leg. *Vellent juberentve*, aut *juberentque*, aut *vell. juberent*, ut XXXI, 6 pr.

2. *De pace uti rogassent*, sc. tribuni pl. (ut XXXI, 8, n. 1, et XXXVIII, 53) *omnes tribus jusserunt;* in aliis libris *uti rogatæ*, ut XXXIII, 25, et Sigon. hoc et omnibus illis locis, ut et VI, 38; X, 8, al. frustra Livio obtrudit, *uti rogas;* vid. IV, 58, n. 10. Verba *de pace* etiam jungi possunt cum *jusserunt;* vide ad IX, 43, n. 1.

3. *Ut sibi in Urbem introire liceret;*

Digitized by Google

in publica custodia essent. Esse in iis partim propinquos amicosque suos, nobiles homines; partim ad quos mandata a propinquis haberent. Quibus conventis[4], quum rursus peterent, ut sibi, quos vellent, ex iis redimendi potestas fieret; jussi nomina edere, et, quum ducentos ferme ederent, senatusconsultum factum est, *Ut legati romani ducentos ex captivis, quos Carthaginienses vellent, ad P. Cornelium Scipionem in Africam deportarent, nuntiarentque ei, ut, si pax convenisset, sine pretio eos Carthaginiensibus redderet.* Fetiales quum in Africam ad fœdus feriendum ire juberentur; ipsis postulantibus, senatusconsultum in hæc verba factum est: *Ut privos lapides silices privasque verbenas secum ferrent*[5]; *uti prætor romanus his imperaret, ut fœdus ferirent, illi prætorem sagmina poscerent.* Herbæ id genus ex arce sumptum dari fetialibus solet. Ita dimissi ab Roma Carthaginienses, quum in Africam venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est legibus[6], pacem fecerunt. Naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt: inter quos Q. Terentius Culleo senator[7] fuit. Naves provectas in altum incendi jussit: quingentas fuisse omnis generis[8], quæ remis

nam senatus iis extra Urbem datus erat in æde Bellonæ; conf. cap. 40.

4. *Quibus conventis* (concessis), ut fere mox *si pax convenisset;* vide ad I, 3, n. 4. Minus apte Doer. exponit: postquam eos convenerant, ut *convento Valerio* et *Octavio* XLII, 17, et XLV, 28. Prius legatis petentibus responsum erat dandum; et iidem mox aliud petunt, neque alius iis senatus videtur datus.

5. *Ut privos* (singuli singulos) *lapides silices privasque verbenas secum ferrent* fetiales; *ubi prætor romanus,* dux, Scipio (vide ad VI, 42, n. 7), *his imperaret, ut fœdus ferirent, illi prætorem sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumptum d. f. s.* vid. I, 24, n. 5, 6 et 14.

6. *Quibus ante dictum est legibus* cap. 16 et 37. — *Perfugas, fugitivos;* conf. not. 9.

7. *Q. Terentius Culleo senator;* cf. Ind. et Plut. in Apophthegm. tom. II, p. 196. Ab Orosio perperam confunditur cum Terentio comœdiarum scriptore.

8. *Quingentas fuisse omnis generis,*

Digitized by Google

agerentur, quidam tradunt : quarum conspectum repente incendium tam lugubre fuisse Pœnis, quam si tum ipsa Carthago arderet. De perfugis gravius, quam de fugitivis, consultum[9]; nominis latini qui erant, securi percussi, Romani in crucem sublati.

XLIV. Annis ante quadraginta pax cum Carthaginiensibus postremo facta erat, Q. Lutatio, A. Manlio consulibus : bellum initum annis post tribus et viginti, P. Cornelio, Ti. Sempronio consulibus : finitum est septimodecimo anno[1], Cn. Cornelio, P. Ælio Pæto consulibus. Sæpe postea ferunt Scipionem dixisse, Ti. Claudii primum cupiditatem[2], deinde Cn. Cornelii, fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Cartha-

quæ remis agerentur : « has non fuisse omnes, quæ remis agerentur, quod putabat Salmas. Obss. ad Jus Att. et Rom. cap. 28, pag. 730, sed longas illas seu rostratas, præter X triremes, quas Romanis traditas scribit Livius, cap. 37, recte putat Scheffer. de Mil. Nav. II, 2. Sed verba *quæ remis agerentur* videntur indicare, fuisse etiam naves longas, quæ remis non agerentur : quod cujus modi sit, me non intelligere fateor ». Duk. *Naves omnis generis, quæ remis agerentur* dici puto naves longas seu rostratas cujuscumque generis, h. e. triremes, quadriremes, quinqueremes et aliæ; vid. XXI, 17, n. 5.

9. *De perfugis gravius, quam de fugitivis, consultum;* vid. XXVI, 33, n. 2, et de perfugarum pœnis conf. Ind. et P. Faber Semestr. I, 18. *Perfugæ* et *fugitivi* etiam distinguuntur cap. 16 et 37, et illi sunt transfugæ ad hostes, hi milites romani ex fuga palati et a Pœnis intercepti; non, quod Ern. et Doer. monent, servi, qui a dominis romanis confugerint ad Pœnos. Nam de *captivis*, militibus bello captis, et de rebus bellicis publicisque agitur; non de re privata, et quæ nihil pertinet ad bellum. Cur etiam de his servis minus graviter consultum dicamus? et quot servos a dominis romanis ad *Pœnos* confugisse putabimus? et belli potius, quam pacis tempore?

Cap. XLIV. 1. *Annis ante XL pax ... bellum initum annis post XXIII ... finitum est XVII anno :* in his Livius annum primum extremumve non numerat; at in illis XXX, 19, n. 5, et XXX, 28, n. 1, ambos extremos annos numerat; Sigon. Cf. Drakenb. — *Q. Lutatio* Cercone. Alius C. Lutatius Catulus, consul *anni* præc.

2. *Ti. Claudii primum cupiditatem* finiendi belli (vid. ad cap. 27 et 39), *deinde C. Cornelii* (vid. ad cap. 40), *fuisse in mora* (vid. ad III, 24, n. 6, et conf. Appian. Pun. 56 extr.), *quo minus id bellum* cum *exitio C. finiret,* ipse finivisset : nisi dictum est pro *finiret se,* h. e. finiretur; conf. supra ad lib. II, cap. 3, n. 2. *Exitium* quidam MSS, et *exitio Carthaginis finiretur* alii.

Digitized by Google

ginis finiret. Carthagini quum prima collatio pecuniæ diutino bello exhaustis[3] difficilis videretur, mœstitiaque et fletus in curia esset, ridentem Hannibalem ferunt conspectum. Cujus quum Hasdrubal Hædus risum increparet in publico fletu, quum ipse lacrymarum causa esset; « Si, quemadmodum oris habitus « cernitur oculis, inquit, sic et animus intus cerni « posset, facile vobis appareret, non læti, sed prope « amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum « esse. Qui tamen nequaquam adeo est intempestivus, « quam vestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lacry- « mæ[4] sunt. Tunc flesse decuit, quum adempta nobis « arma, incensæ naves, interdictum externis bellis: « illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos, odio « vestro, consultum ab Romanis credatis. Nulla ma-

3. *Carthagini... exhaustis;* vid. ad I, 41, n. 1, et III, 47, n. 1. Sed *Carthagini* est potius pro *Carthagine;* vide ad XXVIII, 26, n. 1. *Carthaginiensibus* edd. ante Drak. et *Carthagine* quidam MSS. — *Tunc flesse decuit.* Eadem est loquendi forma ad Virgil. Æn. IV, v. 597: *Tunc decuit quum sceptra dabas;* quem imitatus est nostras *Racine, Bajazet,* act. IV, sc. 5. Ed.

4. *Abhorrentes lacrymæ,* minus justæ ac decoræ, profectæ quippe a studio rei privatæ nimio, quum in publica jactura fuisset animus parum commotus; Ern. — *Nec esse in vos, odio vestro, consultum ab Romanis credatis,* neque existimetis, ideo tam acerbe egisse vobiscum Romanos, ut suum in vos odium explerent; sed vestræ paci ac tranquillitati consuluere, et, quoniam *nulla magna civitas diu quiescere potest,* vobis vires ademere, ut quiescere cogeremini; Crever. Sed idem recte monet, hanc defensionem romanæ in victos acerbitatis haud satis fortasse decere personam Hannibalis. *Necesse est, in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis* conj. Drak. ut sensus sit: omnino existimare debetis, Romanos vobiscum egisse *odio vestro,* h. e. pro magnitudine odii, quo vos semper prosequuti sunt (vide ad II, 61, n. 3): norunt enim *magnam civitatem diu quiescere non posse,* et hinc interdicendo bellis externis, adimendo etiam illa, quibus alteri bellum inferre possetis, eventurum prævident, ut hostem, quem foris habere vel non poteritis, vel non audebitis, domi inventuri sitis. Eodem sensu possis etiam *non* inserere ante *consultum,* vel *næ* legere pro *nec.* — Noster Regius 5731 locum hunc ita exhibet: *Necesse est ne vos otio vestro consultum ab Romanis credatis.* Walchius Emend. p. 112 sq. notam interrogandi post *credatis* inserendam monet; sed istud improbat Büttner, Obs. pag. 80 sq. qui, quum

Digitized by Google

« gna civitas diu quiescere potest : si foris hostem « non habet, domi invenit[5]; ut prævalida corpora ab « externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus « onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis sen- « timus, quantum ad privatas res pertinet; nec in eis « quidquam acrius, quam pecuniæ damnum, stimu- « lat. Itaque quum spolia victæ Carthagini detrahe- « bantur, quum inermem jam ac nudam destitui inter « tot armatas gentes[6] Africæ cerneretis, nemo inge- « muit. Nunc, quia tributum ex privato conferendum « est, tanquam in publico funere comploratis. Quam « vereor, ne propediem sentiatis, levissimo in malo « vos hodie lacrymasse! » Hæc Hannibal apud Carthaginienses. Scipio, concione advocata, Masinissam ad regnum paternum Cirta oppido et cæteris urbibus agrisque, quæ ex regno Syphacis in populi romani potestatem venissent, adjectis donavit. Cn. Octavium classem in Siciliam ductam Cn. Cornelio consuli tradere jussit : legatos Carthaginiensium Romam proficisci, ut, quæ ab se ex decem legatorum sententia acta essent, ea Patrum auctoritate populique jussu confirmarentur.

XLV. Pace terra marique parta, exercitu in naves imposito, in Siciliam Lilybæum trajecit. Inde magna parte militum in navibus missa, ipse per lætam pace

sibi videatur ea esse sententia, « Ae ne quis forte vestrum opinetur isto modo tranquillitati vestræ consultum », ita locum refingit : *nec* (profecto) *est, ut vos otio vestro consultum ab Romanis credatis.* E cod. Pal. notatur *ut vos*, nec abhorrens a latinitate. Bambergensis B, quem contulit F. Goeller, exhibet, *nec est ne vos, odio vestro*, punctis subter τοῖς *est ne* positis et supra scripta præpositione *in*. De omni hoc loco judicent periti; ego quidem *otio* in textu repositum velim. Ed.

5. *Si foris hostem non habet, domi invenit;* conf. ad Præf. n. 8. — *Ab externis causis;* vid. supra ad librum XXII, cap. 8, n. 3.

6. *Destitui inter tot gentes A.* vid. III, 38, n. 5. — *Tanquam in p. funere comploratis*, universi ploratis. Conf. ad III, 38, n. 3.

Digitized by Google

non minus, quam victoria, Italiam effusis non urbibus modo ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam pervenit, triumphoque omnium clarissimo[1] Urbem est invectus. Argenti tulit in ærarium pondo centum millia viginti tria : militibus ex præda quadragenos æris divisit. Morte subtractus spectaculo magis hominum, quam triumphantis gloriæ, Syphax est, Tibure haud ita multo ante mortuus[2], quo ab Alba traductus fuerat. Conspecta mors tamen ejus fuit, quia publico funere est elatus. Hunc regem in triumpho ductum Polybius[3], haudquaquam spernendus auctor, tradit. Sequutus Scipionem triumphantem est pileo capiti imposito[4], Q.Terentius Culleo, omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis aura[5], celebraverit, an, sicuti Felicis Sullæ Magnique Pompeii patrum memoria, cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus. Exemplo deinde hujus nequaquam victoria pares insignes imaginum titulos claraque cognomina familiæ fecere.

Cap. XLV. 1. *Triumpho omnium clarissimo*, etc. cf. Appian. Pun. 65, 66, et Polyb. XVI, 23, ubi Schweigh. monet, hunc triumphum vix ante anni seq. initium agi potuisse. — *Quadragenos æris :* immo *quadringenos,* quod jam alii monuere, quia majorem summam in minus claro triumpho, nec tanta pecunia in ærarium illata, divisam legimus VIII, 9; XXVIII, 9; XXXI, 20; XXXIII, 23, 27 et al.

2. *Tibure haud multo ante mortuus ;* cf. Appian. Pun. 28 extr. — *Conspecta mors ejus fuit* (vide ad II, 5, n. 8), *quia publico funere est elatus;* vide ad Tac. Annal. III, 5, n. 1.

3. *Hunc regem in triumpho ductum Polybius tradit,* sc. XVI, 23. — *Haud spernendus auctor ;* vide ad IV, 20, n. 10, et XXXIII, 10, n. 5.

4. *Pileo capiti imposito* (vide ad XXIV, 16, n. 9) *Q. Terentius Culleo,* etc. vid. ad c. 43, n. 7.

5. *Popularis aura ;* vide ad III, 33, n. 2. *Magnum* etiam proprium Scipioni cognomen fuisse, docet Periz. Anim. hist. c. 1. — *Felicis Sullæ* seu Fausti; vid. ad Epit. Liv. LXXXIX, 2. — *Magnique Pompeii,* etc. vid. ad Epit. Liv. CIII extr.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXI.

BREVIARIUM.

Cap. I; Bella punica, xv libris descripta, excipit macedonicum, claritate gentis, imperii regumque antiquorum prope nobilius, ad quod renovandum Romani, Philippo infensi, precibus Atheniensium excitantur. — II; Consultatio de eo ad consules absentes rejicitur, legatique mittuntur ad Ptolemæum Ægypti regem. Sub auspiciis P. Ælii consulis C. Oppius male res gerit adversus Boios, et consul, horum finibus vastatis, Romam redit. — III; M. Valerius Lævinus proprætor cum classe transmittit in Macedoniam, et M. Aurelius legatus scribit senatui, bellum id majore conatu capessendum esse. — IV; Agri veterum P. Scipionis militum. Comitia consularia ac prætoria. Ludi Romani et plebeii. —V; Secundum rem divinam precationemque audiuntur legati Atheniensium, nuntiantes Philippum appropinquare finibus suis, et literæ Valerii Aureliique leguntur. — VI; Rogatio de bello macedonico, a P. Sulpicio cos. cui provincia Macedonia sorte evenerat, promulgata, primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquatur, eique intercedit Q. Balbius trib. pl. —VII; Sulpicius concione iterum advocata legem suadet. —VIII; Bellum a populo jubetur indiciturque Philippo regi. De exercitibus et provinciis consulum prætorumque agitur. — IX; Ptolemæus Atheniensibus Romanisque auxilium promittit; et ludi magni, de incerta primum pecunia, voventur. — X; Galli Liguresque, Hamilcare Pœno duce, qui in iis locis de Hasdrubalis exercitu substiterat, diripiunt Placentiam et Cremonam oppugnant: ne-

Digitized by Google

que L. Furius Purpureo prætor sociis laborantibus succurrere audet. — XI; Hinc C. Aurelius consul ad opprimendum gallicum tumultum proficisci jubetur : et legati mittuntur ad Carthaginienses, Masinissam ac Verminam. — XII; Q. Minucio prætori in Bruttiis quæstio de pecunia Locris ex Proserpinæ thesauris nocte clam sublata mandatur. Prodigia expiantur, et carmen, a P. Licinio Tegula conditum, per Urbem canitur a virginibus. — XIII; Privatis pro tertia parte pecuniæ, quam ærario olim mutuam dederant, ager publicus traditur vectigalis. — XIV; P. Sulpicius trajicit in Macedoniam, et C. Claudium Centhonem cum classe et exercitu extemplo mittit ad Athenienses obsidione liberandos : quibus bellum intulerat Philippus, motus Acarnanum precibus, quorum duo juvenes, per errorem ingressi templum Cereris tempore Initiorum, interfecti fuerant. — XV; Attalus Rhodiorumque legati, Athenas, sociam civitatem, profecti, immodicis ornantur honoribus; sed socordia alunt bellum, cujus perfecti gloriam Romanis eripere potuissent. — XVI; Philippus Maroneam, Ænum aliaque oppida capit, et oppugnat Abydum. — XVII-XVIII; Abydeni, conditionibus tradendæ urbis frustra latis, ad Saguntinorum rabiem versi, suos seque ipsi interficiunt. — XIX; Responsa legatis Romanorum data a Carthaginiensibus, Masinissa ac Vermina. — XX; L. Cornelius Lentulus proprætor, ex Hispania reversus, cui diu præfuerat, ovans Urbem ingreditur. — XXI; L. Furius Cremonam obsidione eximit ingenti cæde Gallorum. — XXII; C. Aurelius, profectus in Galliam, victorem exercitum a prætore accipit; et alter consul, P. Sulpicius, circa Apolloniam hibernat : pars autem classis romanæ, a C. Claudio Corcyra Athenas traducta, ingentem sociis affert spem. — XXIII; Inde Claudius pervehitur Chalcidem, et capto oppido ingentique præda in naves imposita Piræeum redit. — XXIV; Philippus sociæ urbi serum fert auxilium, et raptim Athenas profectus Athenienses, Dipylo egressos, in portam compellit : eam vero irrumpere non audet, contentus omnia circa urbem diruisse. — XXV; Inde exercitum ducit Eleusinem, Megaram, Corinthum et Argos, ubi in concilio Achæorum frustra eos illigare romano bello conatur. — XXVI; Tum junctus Philocli Eleusinis, Piræei et Athenarum oppugnationem tentat, ac templa, in Attica pagatim sacrata, diruit. — XXVII; L. Apustius legatus, a Sulpicio ad extrema Macedoniæ depopulanda missus, Antipatriam, Codrio-

Digitized by Google

nem et Ilion capit, funditque Athenagoram. — XXVIII; Sulpicius in castris ad Apsum fl. positis de bello consultat cum Pleurato, Amynandro, Dardanis, legatis Attali Rhodiisque. Nec Philippus, in Macedoniam regressus, bellum segnius apparat, et Perseum filium obsidere jubet augustias ad Pelagoniam. — XXIX-XXXI; In Panætolio Philippi, Atheniensium Romanorumque legati audiuntur; — XXXII; sed suspensa re dimittuntur ab Ætolis, utrius partis melior fortuna belli esset, ad ejus societatem inclinaturis. — XXXIII; Sulpicius exercitum ducit per Dassaretiorum fines, ubi Romanorum Macedonumque equites æquis viribus pugnant. — XXXIV; Philippus cura eorum, qui in prælio ceciderant, sepeliendorum animos suorum magis frangit quam auget, filioque revocato castra sua non longe a Romanis communit. — XXXV-XXXVI; Vario marte pugnatur. — XXXVII; Victoria Romanorum, et ingens regis periculum. — XXXVIII; Temeritas regis et consulis segnities. Philippus, certior factus de transitu Pleurati Dardanorumque in Macedoniam, silenti agmine abit. — XXXIX; Angustias prope Eordæam ab hoste occupatas Romani haud magno certamine superant. — XL; Consul Orestidem et Dassaretiorum agros pervastat, et præter Dardanos, Pleuratum et Illyrios etiam Ætoli, Athamanibus juncti, impetus in Macedoniam faciunt. — XLI-XLII; Hi Perrhæbiam et campos Thessaliæ opimos populantur: sed a Philippo bis fusi repetunt Ætoliam. — XLIII; Dardani etiam ab Athenagora repelluntur, et magna Ætolorum manus mercede conducta a Scopa principe gentis avehitur Ægyptum. — XLIV; Athenienses adventu L. Apustii Attalique freti, omne odium in Philippum effundunt. — XLV-XLVI; Maritimæ Attali Romanorumque expeditiones. — XLVII; Æstate exeunte Apustius repetit Corcyram, et Attalus Asiam. C. Aurelius in Gallia, a L. Furio jam pacata, bellum populando gerit; et hic prætor, ab eo in Etruriam missus, mox inde Romam contendit, gallico triumpho imminens, quem, absente consule irrato atque invidente, facilius impetrari posse putat. — XLVIII; Variæ de ea re Patrum sententiæ. — XLIX; Triumphus L. Furii. Ludi, a P. Scipione olim voti in Africa; et agri militum ejus. Victoria C. Cornelii Cethegi procos. in Hispania. C. Aurelii reditus, et indignatio propter honorem Furio habitum. Comitia consularia et prætoria. — L; Annona pervilis. Ludi Romani, plebeii, ac funebres. Ædiles curules creati

Digitized by Google

non statim occipere magistratum possunt, quia alter Hispaniam obtinet provinciam, alter flamen dialis est, cui non licet in leges jurare. Itaque hujus frater pro eo jurare jubetur, et novi proconsules mittuntur in Hispaniam.

I. Me quoque juvat, velut ipse in parte laboris ac periculi fuerim, ad finem belli punici[1] pervenisse: nam etsi profiteri ausum, perscripturum res omnes romanas[2], in partibus singulis tanti operis fatigari minime conveniat; tamen, quum in mentem venit, tres et sexaginta annos (tot enim sunt a primo punico[3] ad secundum bellum finitum) æque multa volumina[4] occupasse mihi, quam occuparint quadringenti octoginta octo anni a condita Urbe ad Ap. Claudium consulem, qui primus bellum Carthaginiensibus intulit; jam provideo animo, velut qui proximis litori[5] vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quidquid progredior, in vastiorem me altitudinem ac velut profundum invehi, et crescere pæne opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur. Pacem punicam bellum macedonicum excepit, periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore; claritate regum antiquorum vetustæque fama gentis[6] et magnitudine imperii, quo multam quondam Europæ, majorem partem Asiæ obtinuerant armis,

Cap. I. 1. *In parte laboris ac p. fuerim;* vide ad V, 21, n. 4.

2. *Perscripturum* se *res omnes rom.* vid. ad Præf. n. 2.

3. *Tot enim sunt a primo punico,* quod ortum a. U. C. 488, *ad secundum bellum finitum* a. U. 551.

4. *Æque multa volumina*, sc. XV libros; nam bellum punicum I narrare inceperat libro XVI historiæ snæ. Ed.

5. *Proximis litori*, etc. In cod. Bamberg. a cl. Goeller collato, et in quibusdam aliis legitur *proximi*, et mox *profundam* loco τοῦ *profundum*. Ed. — *Quidquid progredior;* vide ad VII, 32, n. 3.

6. *Vetustæque fama gentis* Macedonum, pro *vetusta* (vide ad I, 1, n. 6): quod vix tamen hic opus; nam et *vetusta gens* claritatis laudem habet; Bauer. *Vetustaque* alii, etiam Drak. *Fama vetustæ gentis* ut *claritas antiquorum regum.* — *Decem ferme annis ante* pacem cum Pœnis. — *Trien-*

Digitized by Google

prope nobilius. Cæterum cœptum bellum adversus Philippum decem ferme ante annis, triennio prius depositum erat, quum Ætoli et belli et pacis fuissent causæ. Vacuos deinde pace punica[7] jam Romanos et infensos Philippo, quum ob infidam adversus Ætolos aliosque regionis ejusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Hannibali Pœnisque, preces Atheniensium, quos agro pervastato in urbem compulerat[8], excitaverunt ad renovandum bellum.

II. Sub idem fere tempus et ab Attalo rege, et Rhodiis legati[1] venerunt, nunciantes, Asiæ quoque civitates sollicitari. His legationibus responsum est, curæ asianam rem senatui fore. Consultatio de macedonico bello integra ad consules, qui tunc in provinciis erant, rejecta est. Interim ad Ptolemæum[2] Ægypti regem legati tres missi, C. Claudius Nero, M. Æmilius

nio prius, quam hæc pax fieret. Cf. XXIV, 40; XXIX, 12.

7. *Vacuos pace punica*, cum Pœnis, *Romanos*, solutos, expeditos ob pacem, per pacem, liberos ad aliud bellum suscipiendum et sine interpellatione gerendum; Bauer. Cf. ad III, 40, n. 8, et XXXI, 29, n. 11.

8. *In urbem* Athenas *compulerat* Philippus, etc. Cf. c. 14; Polyb. XVI, 27, et Appian. Maced. Exc. III.

Cap. II. 1. *Ab Attalo rege, et Rhodiis legati*, etc. conf. ad Polyb. XVI, 24, 27, et Appian. loco laud. — *Ad consules, qui tunc in provinciis erant* edidi ex emend. Ruben. pro vulg. *qui tunc in prælio cum Boiis erant*, quod ineptum esse jam monuit Gron. nam soli P. Ælio fuisse hanc provinciam, Lentulo Siciliam; et alienum ab h. l. esse nobile illud *prælium cum Boiis*, quum adversus eos nihil memorabile a consule gestum mox dicatur; præterea in MS legi *in prælio Boiis* et *Neiis*. — Emendationem Rubenii confirmat codex Bamberg. teste Goeller, pag. 162, 363. Ed.

2. *Ad Ptolemæum* V, seu Epiphanem, *Ægypti regem*, qui quadrimus puer Philopatori successerat patri a. U. 549, quo statim de ejus regno dividendo pactum inter se inierant Antiochus et Philippus. Conf. cap. 14; XXXII, 33; Polyb. III, 2, 15, 20; XVI, 25; Justin. XXX, 2; Appian. l. cit. *Legatos* hos etiam ad Antiochum missos tradit Polyb. XVI, 27 et 34. Conf. Justin. XXX, 3; XXXI, 1, et Appian. l. l. Livius neque rerum, a Philippo hoc anno 551 gestarum, neque legatorum ad Antiochum missorum bellique ab eo adversus Ptolemæum moti meminit, nisi paucis XXXII, 33. — *P. Sempronius Tudi-*

Digitized by Google

Lepidus, P. Sempronius Tuditanus; ut et adnuntiarent victum Hannibalem Pœnosque; et gratias agerent regi, quod in rebus dubiis, quum finitimi etiam socii Romanos desererent, in fide mansisset; et peterent, ut, si coacti injuriis bellum adversus Philippum suscepissent, pristinum animum erga populum romanum conservaret. Eodem fere tempore P. Ælius consul in Gallia, quum audisset a Boiis ante suum adventum incursiones in agros sociorum factas, duabus legionibus subitariis tumultus ejus causa scriptis, additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Oppium præfectum socium hac tumultuaria manu[3] per Umbriam[4] (quam tribum Sappiniam vocant) agrum Boiorum invadere jussit: ipse eodem, aperto[5] itinere, per medios montes duxit. Oppius, ingressus hostium fines, primo populationes satis prospere ac tuto fecit. Delecto deinde ad castrum Mutilum satis idoneo loco, ad demetenda frumenta (jam enim maturæ erant segetes) profectus, neque explorato circa[6], nec stationibus satis firmis, quæ armatæ inermes atque operi intentos tutarentur, positis, improviso impetu Gallorum

tanus, forte non qui censor et consul fuit (vid. XXVII, 11, et XXIX, 11), sed alius, aut leg. *C. Sempronius Tudit.*, qui prior ille ante Lepidum prætorium memoratus fuisset, et trium legatorum tertius tum esse solebat homo nullo adhuc honore functus; Drakenb.

3. *Legionibus subitariis tumultus ejus causa scriptis ..... tumultuaria manu;* vide ad lib. I, cap. 37, not. 4, et II, 26, n 1.

4. *Per Umbriam*, per illam Umbriæ partem, Boiis vicinam, quæ circa Sapim fl. (hod. *Savio*) est, et hinc Umbris *tribus Sapinia vocatur*. Conf. XXXIII, 37; ad Sil. VIII, 448, et Cluver. Ital. Ant. II, 6, p. 623. Gruchius de Com. Rom. II, 1, et Panvin. de Civ. Rom. c. 51, eam faciunt unam e tribubus rom., et hic quidem extra numerum, ille exclusa Horatia. Sed vid. Duker. ad h. l.

5. *Aperto itinere;* vide ad X, 14, n. 6. — *Duxit;* vide ad I, 23, n. 4. — *Ad castrum*, castellum, *Mutilum*, hod. *Medolo*, inter Gabellum et Scultennam fluvios, supra Mutinam, versus Mutinam. Conf. ad V, 35, n. 4, et XXXIII, 37 pr.

6. *Neque explorato circa;* vide ad I, 41, n. 10.

Digitized by Google

cum frumentatoribus est circumventus : inde pavor fugaque etiam armatos cepit. Ad septem millia hominum palata per segetes sunt cæsa; inter quos ipse C. Oppius præfectus : cæteri in castra metu compulsi, inde sine certo duce consensu militari proxima nocte, relicta magna parte rerum suarum, ad consulem per saltus prope invios pervenere; qui, nisi quod populatus est Boiorum fines, et cum Ingaunis Liguribus fœdus icit, nihil, quod esset memorabile, aliud in provincia quum gessisset, Romam rediit.

III. Quum primum senatum habuit, universis postulantibus, ne quam prius rem, quam de Philippo sociorumque querelis, ageret; relatum extemplo est, decrevitque frequens senatus, ut P. Ælius consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret [1], qui, classe accepta, quam ex Sicilia Cn. Octavius reduceret, in Macedoniam trajiceret. M. Valerius Lævinus [2] proprætor missus, circa Vibonem duodequadraginta navibus ab Cn. Octavio acceptis, in Macedoniam transmisit. Ad quem quum M. Aurelius legatus venisset, edocuissetque eum, quantos exercitus, quantum navium numerum comparasset rex, et quemadmodum circa omnes non continentis modo urbes, sed etiam insulas, partim ipse adeundo, partim per legatos, conciret homines ad arma; majore conatu Romanis id capessendum bellum esse, ne, cunctantibus iis, auderet Philippus, quod Pyrrhus prius ausus ex aliquanto

Cap. III. 1. *Quem videretur ei, mitteret;* vide ad I, 29, n. 4.

2. *M. Valerius Lævinus* forte non summus ille vir et consularis, qui diu in Græcia bellum cum Philippo gessit (nam etsi poterat causa esse, cur hic potissimum cum classe mitteretur, quod ei res Græcorum Macedonumque notissimæ erant, tamen ex ejus dignitate non videtur fuisse, ut a consule pro prætore ad classem mitteretur), sed hujus filius (vid. c. 5), extra ordinem ex privato pro prætore, ut sæpe alii, missus; Duker. — *Circa Vibonem;* vide supra ad librum XXI, cap. 51, n. 4.

Digitized by Google

minore regno esset; hæc eadem scribere Aurelium consulibus et senatui placuit.

IV. Exitu hujus anni quum de agris veterum militum[1] relatum esset, qui ductu atque auspicio P. Scipionis in Africa bellum perfecissent, decreverunt Patres, ut M. Junius prætor Urbis[2], si ei videretur, decemviros agro samniti appuloque, quod ejus publicum populi romani esset[3], metiendo dividendoque crearet: creati P. Servilius, Q. Cæcilius Metellus, C. et M. Servilii (Geminis ambobus cognomen erat), L. et A. Hostilii Catones, P. Villius Tappulus, M. Fulvius Flaccus, P. Ælius Pætus, Q. Flaminius. Per eos dies, P. Ælio consule comitia habente[4], creati consules P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta. Prætores exinde facti Q. Minucius Rufus, L. Furius Purpureo, Q. Fulvius Gillo, Cn. Sergius Plancus. Ludi Romani scenici[5] eo anno magnifice apparateque facti ab ædilibus curulibus, L. Valerio Flacco et L. Quintio Flaminino: biduum instauratum est; frumentique vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, quaternis æris populo cum summa fide et gratia diviserunt. Et plebeii ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis, L. Apustio Fullone et Q. Minucio Rufo, qui ex ædi-

Cap. IV. 1. *De agris veterum militum*, etc. cf. cap. 49. — Primam hanc apud Livium mentionem occurrere agrorum certo cuidam militum generi divisorum in præmium emeritæ militiæ monet Crev. Retentum hoc exemplum est et crebro deinde usurpatum: et sub Cæsaribus in consuetudinem jam legemque abiit. Ed.

2. *M. Junius, prætor Urbis;* vide ad XXV, 1, n. 7.

3. *Quod ejus publicum populi rom. esset;* vid. V, 25, n. 5.

4. *P. Ælio consule comitia habente* ex emend. Gron. pro *consulum*, quod et aliorum magistratuum comitiis præfuit.

5. *Ludi Romani scenici* (vide ad I, 9, n. 4) ... *apparate facti... biduum instauratum est... plebeii ludi ter toti instaurati;* vide ad II, 36, n. 1, et XXIII, 4, n. 1. — *Frumentique vim ingentem quaternis æris populo diviserunt;* vide tamen ad librum XXIX, cap. 37, n. 3, et lib. XXXI, cap. 50, n. 1.

Digitized by Google

litate prætor creatus erat; et Jovis epulum fuit ludorum causa.

V. Anno quingentesimo quinquagesimo[1] ab Urbe condita, P. Sulpicio Galba, C. Aurelio consulibus, bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem idibus martiis, quo die tum consulatus inibatur, P. Sulpicius consul retulit[2]; senatusque decrevit, uti consules majoribus hostiis rem divinam facerent, quibus diis ipsis videretur, cum precatione ea: *Quam rem senatus populusque romanus de republica deque ineundo novo bello in animo haberet, ea res uti populo romano sociisque ac nomini latino bene ac feliciter eveniret:* secundum rem divinam precationemque, ut de republica deque provinciis senatum consulerent. Per eos dies opportune irritandis ad bellum animis et literæ a M. Aurelio legato et M. Valerio Lævino proprætore allatæ, et Atheniensium nova legatio venit, quæ regem appropinquare finibus suis nuntiaret, brevique non agros modo, sed urbem etiam in ditione ejus futuram, nisi quid in Romanis auxilii foret. Quum pronuntiassent consules, rem divinam rite perfectam esse, et precationem admisisse deos[3] haruspices respondere, lætaque exta fuisse, et prolationem finium victoriamque et triumphum portendi; tum literæ Valerii Aureliique lectæ, et legati Atheniensium auditi. Senatus inde consultum

Cap. V. 1. *Anno quingentesimo quinquagesimo:* numerus corruptus, ut et apud Orosium, Eutrop. et alios. *Quadragesimo* plerique MSS et vett. edd. *Quing. quinq. quarto* conj. Glar. et *quing. quinq. secundo* Dodwell. (in Chronol. subjuncta Dionys. Halicarn. pag. 52) Cler. et Crever. — *Omnium primum*, ut supra lib. III, cap. 19.

2. *Sulpicius consul retulit*, scilic. ad senatum.

3. *Precationem admisisse deos;* vid. I, 36, n. 3. *Respondere* verbum propr. de ominibus, iis, qui consuluntur. — *Prolationem finium*, etc. vide supra ad XXVI, 21, n. 1.

Digitized by Google

« mense, quemadmodum ab Sagunto Hannibal[4], sed « quinto inde die, quam ab Corintho solverit naves, « in Italiam perveniet. Ne æquaveritis Hannibali Phi- « lippum, ne Carthaginiensibus Macedonas; Pyrrho « certe æquabitis : dico, quantum vel vir viro, vel « gens genti præstat. Minima accessio semper Epirus « regno Macedoniæ fuit, et hodie est[5]. Peloponnesum « totam in ditione Philippus habet, Argosque ipsos, « non vetere fama magis, quam morte Pyrrhi nobili- « tatos. Nostra nunc compara : quanto magis floren- « tem Italiam, quanto magis integras res, salvis duci- « bus, salvis tot exercitibus, quos punicum postea « bellum absumpsit, aggressus Pyrrhus tamen con- « cussit, et victor prope ad ipsam urbem Romam ve- « nit! nec Tarentini modo oraque illa Italiæ, quam « majorem Græciam vocant, ut linguam, ut nomen « sequutos crederes, sed Lucanus et Bruttius et Sam- « nis[6] a nobis defecerunt. Hæc vos, si Philippus in « Italiam transmiserit, quietura aut mansura in fide « creditis? manserunt enim punico postea bello : nun- « quam isti populi, nisi quum deerit, ad quem de- « sciscant, a nobis non deficient. Si piguisset vos in « Africam trajicere, hodie in Italia Hannibalem et

ad librum XXVIII, cap. 28, not. 3.

4. *Quemadmodum ab Sagunto H.* vid. XXI, 38, n. 1. — *Ne æquaveritis Hannibali Philippum*, etc. vid. ad XXXII, 21, n. 8. — *Dico, quantum vel vir viro, vel gens genti præstat*, immo *præstet :* at dicam, docebo vos, quantum Philippus Pyrrho et Macedones Epirotis præstent, ex ils, quæ in comparatione ponuntur, liquet; Duk. Idem tamen monet, orationem abruptam et locum forte non sine vitio esse. *Dii, quantum*, etc. conj. Roell. —Walchius Emend. p. 171, ait varia viros doct. conjecisse; sed nihil verius esse egregia hac cl. Iacobsii emendatione : « Pyrrho certe æquabitis. Æquabitis dico? quantum, etc. » Ed.

5. *Et hodie est*, leg. *hodieque* (i. e. hodie quoque; sed cf. Duk. et Drak.), et mox *Nostra nunc comparate;* Gron. Sed in proxime antecedd. et conseqq. non alloquitur *Quirites;* Bauer. Immo per totam orationem. — *Morte Pyrrhi nobilitatos Argos;* v. XXIX, 18, n. 3.

6. *Lucanus et Bruttius et Samnis* ab aliis recte accensentur *Græciæ Magnæ*. — *Hæc*, hos, hos populos.

Digitized by Google

« Carthaginienses hostes haberetis. Macedonia potius « quam Italia, bellum habeat; hostium urbes agrique « ferro atque igni vastentur : experti jam sumus, fo- « ris nobis, quam domi, feliciora potentioraque arma « esse. Ite in suffragium, bene juvantibus diis, et, « quæ Patres censuerunt, vos jubete. Hujus vobis sen- « tentiæ non consul modo auctor est, sed etiam dii « immortales; qui mihi sacrificanti precantique, ut « hoc bellum mihi, senatui, vobisque, et sociis ac « nomini latino, classibus exercitibusque nostris bene « ac feliciter eveniret, læta omnia prosperaque por- « tendere. »

VIII. Ab hac oratione[1] in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt. Supplicatio inde a consulibus in triduum ex senatusconsulto indicta est, obsecratique circa omnia pulvinaria[2] dii, ut, quod bellum cum Philippo populus jussisset, id bene ac feliciter eveniret; consultique fetiales[3] ab consule Sulpicio, bellum, quod indiceretur regi Philippo, utrum ipsi utique nuntiari juberent[4], an satis esset, in finibus regni quod proximum præsidium[5] esset, eo nuntiari? Fetiales decreverunt, utrum eorum fecisset, recte facturum. Consuli a Patribus permissum, ut, quem videretur[6], ex iis, qui extra senatum essent, legatum

Cap. VIII. 1. *Ab hac oratione* (vid. I, 1, n. 5) *in suffragium missi, uti rogarat* Sulpicius consul, *bellum jusserunt;* vid. ad XXX, 43, n. 2. — *Supplicatio in triduum,* etc. vid. III, 63, n. 2.

2. *Circa omnia pulvinaria;* vid. ad V, 13, n. 5.

3. *Consultique fetiales... decreverunt;* vid. IX, 9, n. 2. — Posterius *fetiales* Creverium offendit, sicut antea Gronovium: potest tamen defendi repetitio vocis propter interjectam orationem longiusculam. Ed.

4. *Utrum ipsi utique nuntiari jub.* vid. II, 30, n. 1.

5. *Proximum præsidium;* vid. IX, 31, n. 1. Ad rem conf. XXXVI, 3, et XXXVIII, 46. Post voc. præc. *consulti* suppleto *sunt,* recte habet seq. *fetiales,* quod Gron. delendum putabat, nec male repetitum est, pluribus interjectis; Bauer.

6. *Ut, quem videretur... mitteret;*

Digitized by Google

mitteret ad bellum regi indicendum. Tum de exercitibus consulum prætorumque actum : consules binas legiones scribere jussi; veteres dimittere exercitus. Sulpicio, cui novum ac magni nominis bellum decretum erat, permissum, ut de exercitu, quem P. Scipio ex Africa deportasset, voluntarios, quos posset, duceret : invitum ne quem militem veterem ducendi jus esset[7]. Prætoribus L. Furio Purpureoni et Q. Minucio Rufo quina millia socium latini nominis consul daret : quibus præsidiis alter Galliam, alter Bruttios provinciam obtineret. Q. Fulvius Gillo et ipse jussus ex eo exercitu, quem P. Ælius consul habuisset, ut quisque minime multa stipendia haberet[8], legere, donec et ipse quinque millia socium ac nominis latini effecisset : id præsidio Siciliæ provinciæ esset. M. Valerio Faltoni, qui prætor[9] priore anno Campaniam provinciam habuerat, prorogatum in annum imperium est; uti proprætor in Sardiniam trajiceret, atque de exercitu, qui ibi esset, quinque millia socium nominis latini, qui eorum minime multa stipendia[10] haberet, legeret : et consules duas urbanas legiones scribere jussi, quæ, si quo res posceret, multis in Italia contactis gentibus punici belli societate, iraque inde tumentibus[11], mitterentur. Sex legionibus romanis eo anno usura respublica erat.

vid. sup. ad librum I, cap. 29, n. 4.

7. *Voluntarios, quos posset,...jus esset,* quod XXXII, 2, multos legimus questos. *Voluntarii* et *veteres milites* h. l. non ii, qui legitima annorum XX stipendia confecerant, ut evocati, sed qui anno priore militaverant, quosque dimittere consules jubentur, ut iis aliquid laxamenti a continua militia detur; Duker. Conf. X, 39; XXXII, 1, 8, al.

8. *Minime multa stipendia haberet;* vide ad III, 57, n. 5. Mox Gron. malebat *id præsidium Siciliæ provinciæ esse*, sc. *jussum.*

9. *M. Valerio Faltoni, qui prætor,* etc. vid. XXV, 41, n. 8.

10. *Qui eorum minime m. s. haberet,* immo *haberent;* Mur. — *Contactis gentibus belli societate;* vid. ad II, 5, n. 3.

11. *Iraque inde tumentibus*, ut

Digitized by Google

IX. In ipso apparatu belli legati ab rege Ptolemæo venerunt, qui nuntiarunt, *Athenienses adversus Philippum petisse ab rege auxilium. Cæterum, etsi communes socii sint, tamen, nisi ex auctoritate populi romani, neque classem, neque exercitum defendendi aut oppugnandi cujusquam causa regem in Græciam missurum esse : vel quieturum eum in regno, si populo romano socios defendere liceat*[1]*; vel Romanos quiescere, si malint, passurum, atque ipsum auxilia, quæ facile adversus Philippum tueri Athenas possent, missurum.* Gratiæ regi ab senatu actæ, responsumque, *Tutari socios populo romano in animo esse : si qua re ad id bellum opus sit, indicaturos regi, regnique ejus opes scire subsidia firma ac fidelia suæ reipublicæ esse.* Munera deinde legatis in singulos quinum millium æris ex senatusconsulto missa. Quum delectum consules haberent, pararentque, quæ ad bellum opus essent, civitas religiosa, in principiis maxime novorum bellorum, supplicationibus habitis jam, et obsecratione circa omnia pulvinaria facta[2], ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum esset, ludos Jovi donumque vovere consulem, cui provincia Macedonia evenisset, jussit. Moram voto publico Licinius pontifex maximus attulit, qui negavit, *ex incerta pecunia vovere*[3] *debere, si ea pecunia non posset in*

XXXIII, 11, n. 3 (ubi vid. Gron.), *jam tumentes;* nisi cum Ern. leg. *ira tumentes.* Sic passim *tumere, tumescere, turgere, turgescere, tumidus, turgidus, tumor* de ira, et *inflati* XXIV, 32, ubi vid. not. 2. Conf. ad Sil. II, 626; ad Juvenal. I, 45, et intpp. Hor. Sat. I, 1, 21.

Cap. IX. 1. *Defendere liceat* per alia bella; Periz. si possit, si nihil impediat; Duk. coll. Cic. Offic. I, 26; II, 19. Sed forte leg. *libeat* cum Mur.

2. *Obsecratione circa omnia pulvinaria facta;* vide ad III, 63, n. 2.

3. *Ex incerta pecunia vovere debere* (potius *voveri,* ut mox *reponi debere*) *si,* siquidem, *ea pecunia non posset in bellum usui esse :* nisi voveantur ludi ex pecunia, ex ærario sumenda, et summa ejus statuta fuerit ac seposita, tota ærarii pecunia huic voti obligationi obnoxia videbitur, et ærarii

Digitized by Google

bellum usui esse : reponi statim debere, nec cum alia pecunia misceri; quod nisi factum esset, votum rite solvi non posse. Quanquam et res, et auctor movebat, tamen ad collegium pontificum referre consul jussus, si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi : posse rectiusque etiam esse, pontifices decreverunt. Vovit in eadem verba consul, præeunte maximo pontifice[4], quibus antea quinquennalia vota[5] suscipi solita erant; præterquam quod tanta pecunia, quantam tum, quum solveretur, senatus censuisset, ludos donaque facturum vovit. Toties ante ludi magni de certa pecunia voti erant : ii primi de incerta.

X. Omnium animis in bellum macedonicum versis, repente nihil minus eo tempore timentibus, gallici tumultus fama[1] exorta est. Insubres Cenomanique et Boii, excitis Salyis Ilvatibusque[2] et cæteris ligustinis populis, Hamilcare pœno duce, qui in iis locis de

usus in bellum nullus erit; Crev. Forte leg. *ex i. p. voveri deberi. Si* (etsi; vide ad V, 51, n. 1) *ea pecunia nunc posset in bellum usui esse, seponi statim debere,* etc. — Codex noster Regius 5738 pro *si ea pec.* etc. ita variat: *se a pecun. non posse in bel. us. esse, reponique stat. deberet;* quidam silent. Goeller, pag. 365, sic e cod. Bamb. legendum proponit : *ex inc. pec. voveri debere, quia pec.... esse, reponique st. deberet nec... misceri : quod si fact.*, id est, si cum alia pecunia misceretur, etc. Ed.

4. *Præeunte maximo pontifice;* vide ad IV, 21, n. 1.

5. *Quinquennalia vota;* v. XXVII, 33, n. 4. — *Quantam tum, quum solveretur, senatus censuisset,* sc. ad eas res, i. e. ad ludos donaque dandam (cf. XXV, 12, et XXXVI, 2) : nisi leg. *quanta,* sc. pecunia senatus tum, quum votum solveretur, ludos donaque facienda censuisset; Duk. Conf. XXXIV, 44, et XLII, 28. — *Toties ante ludi.* In cod. Bamb. variam lectionem hic Goeller notat memoratu dignam; pro *toties* inest *octiens;* cujus lectionis veritas probari nunc quidem non potest. Nam quinquies tantum in superioribus, quæ supersunt, a Livio magni ludi memorantur, IV, 27; V, 19; VII, 11; XXII, 10; XXVIII, 45. De lectione *octiens* itaque decerni non potest, dubitari tamen. Ed.

Cap. X. 1. *Gallici tumultus fama;* vid. II, 26, n. 1.

2. *Salyis Ilvatibusque :* illi ab h. l. alieni sunt (vid. V, 34, n. 7), et hi nominis situsque obscuri, qui tamen memorantur etiam XXXII, 29 et 31. Pro *Salyis* MSS et edd. antt. habent *Selanibus, Selinibus, Silemibus* et *Senilibus.* Cluver. Ital. Ant. I, 7, 10,

Digitized by Google

Hasdrubalis exercitu[3] substiterat, Placentiam invaserant; et, direpta urbe ac per iram magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, trajecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt. Vicinæ urbis audita clades spatium colonis dedit ad claudendas portas, præsidiaque per muros disponenda; ut obsiderentur tamen[4] prius, quam expugnarentur, nunciosque mitterent ad prætorem romanum. L. Furius Purpureo tum provinciæ præerat: cætero ex senatusconsulto exercitu dimisso, præter quinque millia socium ac latini nominis, cum iis copiis in proxima regione provinciæ circa Ariminum substiterat. Is tum senatui scripsit, quo in tumultu provincia esset: *duarum coloniarum, quæ ingentem illam tempestatem punici belli subterfugissent, alteram captam ac direptam ab hostibus, alteram oppugnari: nec in exercitu suo satis præsidii colonis laborantibus*[5] *fore, nisi quinque millia socium quadraginta millibus hostium (tot enim in armis esse) trucidanda objicere velit, et tanta sua clade jam inflatos excidio coloniæ romanæ augere hostium animos.*

XI. His literis recitatis decreverunt, ut C. Aurelius consul exercitum, cui in Etruriam ad conveniendum diem edixerat[1], Arimini eadem die adesse juberet, et aut ipse, si per commodum reipublicæ posset, ad op-

p. 50 et 78, conj. *Statiellis* (sed vid. XLII, 8) *Veliatibusque* (conf. Plin. VII, 49 seu 50, ibique Hard.); J. Fr. Gronov. *Salyis Celelatibusque;* Jac. Gronov. *Sollinibus* (seu Solliniensibus; de quibus vid. Cluver. Ital. Ant. p. 67, et Holsten. ad Cluver. p. 87) *Iriatibusque,* ita dictis ab Iria opp. apud Ptol., Plin. et alios, hod. *Voghera.*

3. *De Hasdrubalis exercitu* ibi cæso; vid. XXVII, 49.

4. *Ut obsiderentur tamen* (vid. I, 12, n. 1) *prius, q. e.* h. e. ut non ex improviso caperentur, sed obsidione morarentur prius, et nuntios mitterent auxilia petitum; Gron.

5. *Colonis laborantibus;* vid. III, 31, n. 1.

Cap. XI. 1. *In Etruriam ad conveniendum diem edixerat;* vid. XXII, 12, n. 1. — *Per commodum reip.* vid. V, 12, n. 6.

Digitized by Google

primendum gallicum tumultum[2] proficisceretur; aut L. Furio prætori scriberet, ut, quum ad eum legiones ex Etruria venissent, missis in vicem earum quinque millibus sociorum, qui interim Etruriæ præsidio essent, proficisceretur ipse ad coloniam liberandam obsidione. Legatos item mittendos in Africam censuerunt, eosdem Carthaginem, eosdem in Numidiam ad Masinissam : Carthaginem, ut nuntiarent, *civem eorum Hamilcarem relictum in Gallia, haud satis scire ex Hasdrubalis prius, an ex Magonis postea exercitu, bellum contra fœdus facere : exercitus Gallorum Ligurumque excivisse ad arma contra populum romanum. Eum, si pax placeret, revocandum illis, et dedendum populo romano esse.* Simul nuntiare jussi, *perfugas sibi non omnes redditos esse, ac magnam partem eorum palam Carthagini obversari*[3] *dici: quos comprehendi conquirique debere, ut sibi ex fœdere restituantur.* Hæc ad Carthaginienses mandata. Masinissæ gratulari jussi, *quod non patrium modo recuperasset regnum, sed, parte florentissima Syphacis finium adjecta, etiam auxisset.* Nuntiare præterea jussi[4], *bellum cum rege Philippo susceptum, quod Carthaginienses auxiliis juvisset, injuriasque inferendo sociis populi romani, flagrante bello Italia, coegisset classes exercitusque in Græciam mitti; et, distinendo copias*[5], *causa inprimis fuisset serius in Africam trajiciendi. Petere, ut ad id bellum mitteret auxilia numidarum equitum.* Dona ampla data, quæ

2. *Ad opprimendum gallicum tumultum;* vid. II, 26, n. 1.

3. *Carthagini obversari;* vid. supra ad XXIV, 23, n. 2, et XXVIII, 26, n. 1.

4. *Nuntiare præterea jussi :* del. forte vox postrema; Gronov. — *Flagrante bello Italia,* vulg. *Italiæ.*

5. *Distinendo copias;* vid. supra ad librum III, cap. 23, n. 1. — *Petere,* scilic. jussi : non legendum, ut vulg., *peterent;* Gron.

Digitized by Google

ferrent regi, vasa aurea argenteaque, toga purpurea et palmata tunica[6] cum eburneo scipione, et toga prætexta cum curuli sella; jussique polliceri, *si quid ei ad firmandum augendumque regnum opus esse judicasset, enise id populum romanum merito ejus præstaturum.* Verminæ quoque Syphacis filii legati per eos dies senatum adierunt, excusantes errorem adolescentiamque, et culpam omnem in fraudem Carthaginiensium avertentes. *Et Masinissam Romanis ex hoste amicum factum; Verminam quoque annisurum, ne officiis in populum romanum aut a Masinissa, aut ab ullo alio vincatur. Petere, ut rex sociusque et amicus ab senatu appellaretur.* Responsum legatis est: *Et patrem ejus Syphacem sine causa ex socio et amico hostem repente populi romani factum; et eum ipsum rudimentum adolescentiæ bello lacessentem Romanos posuisse; itaque pacem illi prius petendam a populo romano esse, quam ut rex sociusque et amicus appelletur. Nominis ejus honorem pro magnis erga se regum meritis dare populum romanum*[7] *consuesse. Legatos romanos in Africa fore, quibus mandaturum senatum, ut Verminæ pacis dent leges, liberum arbitrium eis populo romano permittente. Si quid ad eas addi, demi, mutarive vellet, rursus ab senatu ei*

6. *Toga purp., palmata tunica*, etc. conf. XXVII, 4, et XXX, 15, n. 5. Mox leg. *si quid sibi ad firmandum*, etc. Gron. — Nihil mutandum censebat Doujatius, sententiamque suam probavit exemplis, quæ tamen Drak. non satisfaciunt. Walchius quoque Emend. pag. 220, voc. *ei* tueri videtur. Goeller pro *judicasset*, e codice Bambergensi vult *indicasset*, quod ego reperio in nostris codd. Regiis 5732, et 5740. Ed.

7. *Nominis ejus honorem pro magnis...consuesse;* vid. Spanhem. de pr. et usu num. Diss. VIII, p. 476. Dukeri nota est: « Verbum *consuesse* indicat, id dudum ita factitatum. Sed non alia exempla habeo, quam XXX, 15, et forte Polyb. I, 16, de Masinissa et Hierone. Itaque suspicor, Livium magis ex posterioris, quam illius temporis consuetudine hoc senatui tribuere ». — *Liberum arbitrium eis populo rom. permittente*, in multis MSS

postulandum fore. Legati cum iis mandatis in Africam missi C. Terentius Varro, Sp. Lucretius, Cn. Octavius: quinqueremes singulis datæ.

XII. Literæ deinde in senatu recitatæ sunt Q. Minucii prætoris, cui Bruttii provincia erat; *Pecuniam Locris ex Proserpinæ thesauris*[1] *nocte clam sublatam: nec, ad quos pertineat facinus, vestigia ulla exstare.* Indigne passus senatus, non cessari ab sacrilegiis, et ne Pleminium quidem[2], tam clarum recensque noxæ simul ac pœnæ exemplum, homines deterrere. C. Aurelio consuli negotium datum, ut ad prætorem in Bruttios scriberet: *senatui placere, quæstionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius*[3] *prætor triennio ante habuisset. Quæ inventa pecunia esset, reponi. Si quo minus inventum foret, expleri: ac piacularia, si videretur, sicut ante pontifices censuissent*[4], *fieri causa expiandæ violationis ejus templi.* Prodigia etiam sub idem tempus pluribus locis nuntiata acciderunt: in Lucanis cælum arsisse afferebant; Priverni sereno per diem totum rubrum solem fuisse; Lanuvii templo Sospitæ Junonis nocte strepitum ingentem exortum. Jam animalium obscœni fetus[5] pluribus locis nuntiabantur:

et edd. antt. *ejus*, prob. Ruben. si et *permittenti* legatur, ut sensus sit: si liberum pacis dandæ arbitrium populo rom. Vennina permittat. Id probabile fieri ex cap. 19 extr. et XXVIII, 34, monet Gron.

Cap. XII. 1. *Locris ex Proserpinæ thesauris;* conf. XXIX, 7 et 18.

2. *Ne Pleminium quidem,* etc. cf. XXIX, 7, 21, 22.

3. *Eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius,* etc. cf. XXIX, 20 sq. et ad XXIV, 14, n. 3. — *Triennio ante.* Hoc verum esse ait Crev. si non numerentur extrema; alioquin legendum fore *quinquennio ante.* Ed. — Mox leg. *si quod minus inventum foret,* etc.

4. *Sicut ante pontifices censuissent;* conf. XXIX, 20, 21. — *Causa expiandæ violationis ejus templi;* vid. ad Præf. n. 3, et ad II, 31, n. 2. De *prodigiis* mox memoratis vid. ad I, 31, n. 1.

5. *Jam animalium obscœni fetus,* monstrosi et hinc male ominati, mala portendentes. Conf. Heyn. ad Virgil. Georg. I, 470, et Æn. XII, 876. —

Digitized by Google

in Sabinis incertus infans natus, masculus an femina esset; alter sexdecim jam annorum item ambiguo sexu inventus; Frusinone agnus cum suillo capite, Sinuessæ porcus cum capite humano natus; in Lucanis in agro publico equuleus cum quinque pedibus: fœda omnia et deformia errantisque in alienos fetus naturæ visa. Ante omnia abominati semimares, jussique, in mare extemplo deportari; sicut proxime, C. Claudio[6], M. Livio consulibus, deportatus similis prodigii fetus erat: nihilo minus decemviros adire libros[7] de portento eo jusserunt: decemviri ex libris res divinas easdem, quæ proxime secundum id prodigium factæ[8] essent, imperarunt. Carmen præterea ab ter novenis virginibus cani[9] per Urbem jusserunt, donumque Junoni Reginæ ferri. Ea uti fierent, C. Aurelius consul ex decemvirorum responso curavit. Carmen, sicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.

XIII. Expiatis omnibus religionibus (nam etiam Locris sacrilegium pervestigatum a Q. Minucio erat, pecuniaque ex bonis noxiorum in thesauros reposita), quum consules in provincias proficisci vellent; privati frequentes, quibus ex pecunia, quam M. Valerio, M. Claudio consulibus mutuam dederant, tertia pensio debebatur eo anno[1], adierunt senatum; quia consules, quum ad novum bellum, quod magna classe

Incertus infans natus, masculus an femina esset; vid. XXVII, 11, n. 5, et XXX, 35, n. 4.

6. *Sicut proxime, C. Claudio... erat;* vid. XXVII, 37.

7. *Decemviros adire libros;* vide ad III, 10, n. 6.

8. *Secundum id prodigium factæ;* vid. I, 4, n. 1.

9. *Carmen ab ter novenis virginibus cani,* etc. vide ad XXVII, 37, n. 5. — *Patrum memoria.* Cur Noster de carmine, quod septem annis ante hoc tempus fuerat conditum, ita loquatur, sibi non liquere fatetur Duk. Ed.

Cap. XIII. 1. *Privati, quibus ex pecunia, quam M. Valerio... eo anno;* conf. XXVI, 35, 36, et XXIX, 16. Alteram pensionem non memoravit Livius; unde eam nondum solutam, et nunc demum pro tertia solvi putabat Gl[a]. Hinc et *ultima pensio*

magnisque exercitibus gerendum esset, vix ærarium sufficeret, negaverant esse, unde iis in præsentia solveretur. Senatus querentes eo non sustinuit[2], *Si in punicum bellum pecunia data in macedonicum quoque bellum uti respublica vellet; aliis ex aliis orientibus bellis, quid aliud quam publicatam, pro beneficio, tanquam ob noxam, suam pecuniam fore?* Quum et privati æquum postularent, nec tamen solvendo ære alieno respublica esset[3], quod medium inter æquum et utile erat, decreverunt, *Ut, quoniam magna pars eorum agros vulgo venales esse diceret, et sibimet emptis opus esse, agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret. Consules agrum æstimaturos, et in jugera asses vectigales, testandi causa publicum agrum esse, impositurosque; ut, si quis, quum solvere posset populus, pecuniam habere, quam agrum, mallet, restitueret agrum populo.* Læti eam conditionem privati accepere : Trientius Tabuliusque[4] is ager, quia pro tertia parte pecuniæ datus erat, appellatus.

XIV. Tum P. Sulpicius, secundum vota[1] in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus ab Urbe, Brundisium venit, et, veteribus militibus voluntariis ex africano exercitu in legiones descriptis,

memorari demum videtur l. XXXIII, cap. 42.

2. *Senatus querentes eo non sustinuit;* vide ad II, 44, n. 6. — *Publicatam suam pecuniam fore;* vide ad III, 31, n. 2.

3. *Solvendo ære alieno resp. esset;* vide ad II, 9, n. 5. — Rectam loquendi normam et consuetudinem postulare *æri*, monet Crev. sic legit ad lib. IX, D. de Pollicitat. quem sequitur Voss. de Construct. cap. 12; et sic citat Sanctius, Min. IV, 4, voce *æs alienum*. Sed *ære* defendit Pintianus Rarerg. I, 15, notante Drakenborchio. Ed.

4. *Trientius Tabuliusque :* forte leg. *trientius tabulius* vel *trientabulus*, h. e. datus pro trientibus tabulis aut triente tertio tabularum, i. e. pro tertia parte ejus, quod tabulis publicis debebatur; Gron. ad h. l. et Obss. IV, 23.

Cap. XIV. 1. *Secundum vota*, etc. vide ad I, 4, n. 1. — *Cum vig. long.*

Digitized by Google

navibusque ex classe consulis Cornelii lectis, altera die, quam a Brundisio solvit, in Macedoniam trajecit. Ibi ei præsto fuere Atheniensium legati, orantes, ut se obsidione eximeret. Missus extemplo Athenas est C. Claudius Centho cum viginti longis navibus et militum copiis; neque enim ipse rex Athenas obsidebat. Eo maxime tempore Abydum[2] oppugnabat, jam cum Rhodiis et Attalo navalibus certaminibus, neutro feliciter prælio, vires expertus. Sed animos ei faciebat, præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho[3] Syriæ rege, divisæque jam cum eo Ægypti opes; cui, morte audita Ptolemæi regis, ambo imminebant. Contraxerant autem sibi cum Philippo bellum Atheniense haudquaquam digna causa; dum ex vetere fortuna nihil præter animos servant. Acarnanes duo juvenes per Initiorum dies[4], non initiati, templum Cereris, imprudentes religionis, cum cætera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit, absurde quædam percunctantes; deductique ad antistites templi, quum palam esset, per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus, interfecti sunt. Id

nav. et militum copiis. Hic vocem excidisse, et *exiguis* vel *parvis militum copiis* legendum putat Crev. idque suaderi ab seqq. *neque enim ipse*, etc. quibus ratio contineatur, cur necesse non fuerit valida auxilia Athenas mittere. At Goeller invenit in cod. Bamb. *et* ∞ *militum*, omisso *copiis*, quod et omittitur in nostro Regio 5732; itaque legi possit *et mille militum*. Ed.

2. *Eo maxime tempore Abydum oppugnabat* Philippus (vid. ad c. 17, n. 1), *jam cum Rhodiis et Attalo navalibus certaminibus*, ad Chium et ad Laden ins., *neutro feliciter prælio, vires expertus;* vide ad XXXII, 33, n. 5, et Polyb. XVI, 14, ubi conf. Schweigh.

3. *Fœdus ictum cum Antiocho S. r. divisæque... imminebant;* vide ad cap. 2, n. 2, et ad III, 51, n. 3.

4. *Per Initiorum dies;* vide ad II, 18, n. 1. *Initia* mysteria (Cereris), quoniam principia vitæ melioris fuere. Majora mysteria mense Boedromione, in autumno, agebantur. Cf. Wagner. ad Cic. Leg. II, 14, 35; Casaub. Exerc. adv. Baron. XVI, 43; Meurs. Eleus. cap. 7; Scaliger. de Emend. Temp. I, p. 29, et V, p. 318. — *Imprudentes religionis;* vide supra ad IV, 39, n. 4.

Digitized by Google

tam fœde atque hostiliter factum gens Acarnanum ad Philippum detulit; impetravitque ab eo, ut, datis Macedonum auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur. Hic exercitus, primo terram Atticam ferro ignique depopulatus, cum omnis generis præda in Acarnaniam rediit; et irritatio animorum ea prima fuit: postea justum bellum decretis civitatis ultro indicendo factum. Attalus enim rex Rhodiique, persequuti cedentem in Macedoniam Philippum, quum Æginam venissent; rex Piræeum[5], renovandæ firmandæque cum Atheniensibus societatis causa, trajecit. Civitas omnis obviam effusa cum conjugibus ac liberis, sacerdotes cum insignibus[6] suis intrantem urbem, ac dii prope ipsi exciti sedibus suis, exceperunt.

XV. In concionem extemplo populus vocatus, ut rex, quæ vellet, coram ageret: deinde ex dignitate magis visum, scribere eum, de quibus videretur, quam præsentem aut referendis suis in civitatem beneficiis erubescere, aut significationibus acclamationibusque multitudinis[1], assentatione immodica pudorem onerantis. In literis autem, quæ missæ in concionem recitatæque sunt, commemoratio erat beneficiorum primum in civitatem sociam; deinde rerum, quas adversus Philippum gessisset; ad postremum adhortatio; *Capessendum bellum, dum se, dum Rhodios, tum quidem, dum etiam Romanos haberent*[2]; ne-

5. *Rex Piræeum... trajecit;* vide ad Nep. Them. 6.

6. *Sacerdotes cum insignibus*, etc. conf. Polyb. XVI, 25, 5-7. — *Dii prope ipsi exciti sedibus suis*, πάντας μὲν τοὺς ναοὺς ἀνέῳξαν, ἐπὶ δὲ πᾶσι θύματα τοῖς βωμοῖς παραστήσαντες ἠξίωσαν αὐτὸν θῦσαι, Polyb.

Cap. XV. 1. *Significationibus acclamationibusque multitudinis*, ut ἐπισήμασία εὐνοϊκὴ καὶ προστατικὴ et simpl. ἐπισημασία favoris honorisque significatio, benevolentiæ testimonium apud Polyb. VI, 6, 8, et XXX, 1, 1. Conf. inf. ad XXXV, 43, n. 6; Schweigh. ad Polyb. XXVI, 2, 6; Victor. ad Cic. ad Attic. I, 16.

2. *Dum etiam Romanos haberent*,

Digitized by Google

quidquam postea, si tum cessassent, prætermissam occasionem quæsituros. Rhodii deinde legati auditi sunt; quorum recens erat beneficium, quod naves longas quatuor Atheniensium, captas nuper a Macedonibus recuperatasque, remiserant: itaque ingenti consensu bellum adversus Philippum decretum. Honores regi primum Attalo immodici, deinde et Rhodiis habiti: tum primum mentio illata de tribu, quam Attalida appellarent[3], ad decem veteres tribus addenda: et Rhodiorum populus corona aurea virtutis gratia donatus, civitasque Rhodiis data, quemadmodum Rhodii prius Atheniensibus dederant. Secundum hæc rex Attalus Æginam ad classem se recipit. Rhodii Ciam[4] ab Ægina, inde per insulas Rhodum navigarunt; omnibus, præter Andrum Parumque et Cythnum, quæ præsidiis Macedonum tenebantur, in societatem acceptis. Attalum Æginæ missi[5] in Ætoliam nuntii exspectâtique inde legati aliquamdiu nihil agentem tenuere[6]; et neque illos excire ad arma potuit, gaudentes utcumque composita cum Philippo pace; et ipse Rhodiique, si institissent tunc Philippo, egre-

sc. socios. — *Prætermissam occasionem quæsituros;* vide ad lib. I, cap. 11, n. 1; lib. IX, cap. 19, n. 5; lib. XXV, cap. 38, n. 8.

3. *De tribu, quam Attalida appellarent* Athenienses, *ad decem veteres tribus addenda;* conf. Polyb. XVI, 25, 9; Pausan. I, 5, 5; I, 8 pr. Steph. Byz. in Ἀτταλὶς et Βερενικίδαι. — *Secundum hæc;* vid. supra ad librum I, cap. 4, n. 1.

4. *Rhodii Ciam* insulam, Simonidis patriam, quæ ab Ægina Rhodum navigantibus non longe a Sunio prom. prima Cycladum occurrit, et vulgo Κέως, *Ceos,* Ptolem. Κία, aliis *Cea* et Κίος, hod. *Cia* vel *Zea* dicitur; vid. Intpp. Plin. IV, 12, seu 20 extr. Strab. X, pag. 486, et Schweigh. ad Polyb. XVI, 26, 10, et XVI, 41, 7. MSS h. l. *Ceiam* (forsan haud absurde), *coram, etiam,* etc., nullus *Ceam* aut *Ciam.* — *Per insulas* Cycladas.

5. *Attalum Æginæ missi,* etc. conf. Polyb. XVI, 28.

6. *Nihil agentem tenuere;* conf. ad II, 63, n. 3. Mox Duk. conj. *sed neque illos excire... et ipse Rhodiique* quum (ita quinque MSS, inter quos cod. Bamberg. Ed.), *si institissent tunc Philippo,* etc.

Digitized by Google

gium liberatæ per se Græciæ titulum[7] habere potuissent. Patiendo rursus eum in Hellespontum trajicere, occupantemque Græciæ opportuna loca[8] vires colligere, bellum aluere; gloriamque ejus gesti perfectique Romanis concesserunt.

XVI. Philippus magis regio animo est usus[1]; qui, quum Attalum Rhodiosque hostes non sustinuisset, ne romano quidem, quod imminebat, bello territus, Philocle quodam ex præfectis suis cum duobus millibus peditum, equitibus ducentis ad populandos Atheniensium agros misso, classe tradita Heraclidi[2], ut Maroneam peteret, ipse terra eodem cum expeditis duobus millibus peditum, equitibus ducentis pergit: et Maroneam quidem primo impetu expugnavit; Ænum inde cum magno labore, postremo proditione Ganymedis præfecti Ptolemæi, cepit; deinceps alia castella, Cypsela et Doriscon et Serrheum[3], occupat: inde progressus ad Chersonesum, Elæunta et Alopeconnesum, tradentibus ipsis, recepit. Callipolis quoque et Madytos dedita, et castella quædam ignobilia. Abydeni, ne legatis quidem admissis, regi portas clause-

7. *Egregium liberatæ per se Græciæ titulum*, laudem, gloriam. Conf. ad XXXIV, 32, n. 4; XLII, 52, n. 8; XLV, 11.

8. *Græciæ opportuna loca;* vide ad I, 54, n. 4. Pro *Græciæ* leg. *Thraciæ*, cujus sunt loca, quæ mox enarrantur; Gron. — Vulgatam lect. defendit Doujat. et *Græciæ loca* intelligit possessas antea a Philippo Græciæ urbes, et per cessationem Attali et Rhodiorum retentas: *occupandi* enim verbum non minus *detinere* significat, quam *invadere*. Gronovii tamen conjectura Crev. et Drak. sicut et mihi verior videtur. Ed.

Cap. XVI. 1. *Philippus magis regio animo est usus;* conf. Polyb. XVI, 28, 3. — *Philocle quodam*, etc. conf. Ind. et Polyb. XVI, 24; XXIII, 14; XXIV, 1, 3. Mox memorantur multa Thraciæ oppida, tum maritima, ut *Maronea* et *Ænus*, tum mediterranea.

2. *Classe tradita Heraclidi;* conf. c. 33, et ad XXXII, 5, n. 5.

3. *Serrheum.* Duo e nostris codd. *Sentheum;* quod in MSS varie corrumpitur. Cæterum Plinius lib. IV, cap. 11, *Serreum* montem ponit prope Doriscum; idem ait lib. cit. cap. 12, Alopeconnesum esse insulam haud procul a Cœlo, Chersonesi portu. Ed. — *Tradentibus ipsis;* vid. supra ad lib. III, cap. 47, n. 1.

Digitized by Google

runt : ea oppugnatio diu Philippum tenuit; eripique ex obsidione, ni cessatum ab Attalo et Rhodiis foret, potuerunt. Attalus trecentos tantum milites in præsidium, Rhodii quadriremem unam ex classe, quum ad Tenedum staret, miserunt. Eodem postea, quum jam vix sustinerent obsidionem, et ipse Attalus quum trajecisset, spem tantum auxilii ex propinquo ostendit, neque terra, neque mari adjutis sociis.

XVII. Abydeni primo, tormentis[1] per muros dispositis, non terra modo adeuntes aditu arcebant, sed navium quoque stationem infestam hosti faciebant. Postea, quum et muri pars strata ruinis, et ad interiorem raptim oppositum murum cuniculis jam perventum esset, legatos ad regem de conditionibus tradendæ urbis miserunt[2]. Paciscebantur autem, ut Rhodiam quadriremem cum sociis navalibus, Attalique præsidium emitti liceret, atque ipsis urbe excedere cum singulis vestimentis. Quibus quum Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus, respondisset[3]; adeo renuntiata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit, ut, ad Saguntinam rabiem versi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros ingenuos virginesque, infantes etiam cum suis nutricibus, in gymnasium includi juberent; aurum et argentum in forum deferri, vestem pretiosam in naves Rhodiam Cyzicenamque, quæ in portu erant, congeri; sacerdotes victimasque adduci, et altaria in medio poni. Ibi delecti primum, qui, ubi cæsam aciem

Cap. XVII. 1. *Abydeni primo, tormentis*, etc. cf. de situ et memorabili expugnatione Abydi Polyb. XVI, 29-35. *Abydus* urbs Troadis in Asia Minore ad Hellespontum, objacens *Sesto* in Chersoneso Thraciæ, et a Philippo una cum Sesto (vide infra ad XXXII, 33, n. 8) oppugnata ob portum præcipue ingentem, ut per eum in Asiam ingredi posset.

2. *Legatos ad regem... miserunt;* cf. Polyb. XVI, 30, 7.

3. *Nihil pacati... respondisset,* ut XLIII, 18. — *Ab indignatione simul*

Digitized by Google

suorum, pro diruto muro pugnantem, vidissent, extemplo conjuges liberosque interficerent; aurum, argentum vestemque, quæ in navibus esset, in mare dejicerent; tectis publicis privatisque, quam plurimis locis possent, ignes subjicerent : et, se facinus perpetraturos, præeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus[4], jurejurando adacti; tum militaris ætas jurare, neminem vivum, nisi victorem, acie excessurum. Hi, memores deorum, adeo pertinaciter pugnaverunt, ut, quum nox prælium diremptura esset, rex prior, territus rabie eorum, pugna abstiterit. Principes, quibus atrocior pars facinoris delegata erat, quum paucos et confectos vulneribus ac lassitudine superesse prælio cernerent, luce prima sacerdotes cum infulis ad urbem dedendam Philippo mittunt.

XVIII. Ante deditionem ex iis legatis romanis, qui Alexandriam missi erant, M. Æmilius[1] trium consensu minimus natu, audita obsidione Abydenorum, ad Philippum venit. Qui, questus Attalo Rhodiisque arma illata, et quod tum maxime Abydum oppugnaret, quum rex ab Attalo et Rhodiis ultro se bello lacessitum diceret; « Num Abydeni quoque, inquit[2], ultro « tibi intulerunt arma? » Insueto vera audire ferocior oratio visa est, quam quæ habenda apud regem esset. « Ætas, inquit, et forma et super omnia romanum « nomen te ferociorem facit : ego autem primum ve-

ac desperatione; vid. I, 1, n. 5.

4. *Præeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus;* vide ad I, 24, n. 9, et IV, 21, n. 1. — *Principes,* Glaucides et Theognetus, *quibus atrocior pars facinoris... mittunt;* cf. Polyb. XVI, 33. — *Cum infulis;* vid. II, 53, n. 6.

Cap. XVIII. 1. *M. Æmilius* Lepidus, *Alexandriam missus* tum aliam ob causam (vid. cap. 2), tum ut tutelam Ptolemæi Epiphanis pueri susciperet; vid. Justin. XXX, 3, et Val. Max. VI, 6, 1. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. XVI, 34. — *Trium* legatorum (vid. c. 2) *consensu,* h. e. amborum collegarum et suo; Gron. Cf. III, 25, n. 4.

2. *Num Abydeni quoque, inquit,* etc. Polyb. XVI, 34, τί δ' Ἀθηναῖοι; τί

« lim, vos fœderum memores servare mecum pacem. « Si bello lacesseritis, mihi quoque in animo est fa- « cere, ut regnum Macedonum nomenque, haud mi- « nus quam romanum, nobile bello sentiatis. » Ita dimisso legato, Philippus, auro argentoque, quæ coacervata erant, accepto, hominum prædam omnem amisit : tanta enim rabies multitudinem invasit, ut repente proditos rati[3], qui pugnantes mortem occubuissent, perjuriumque aliis alii exprobrantes, et sacerdotibus maxime, qui, quos ad mortem devovissent, eorum deditionem vivorum hosti fecissent, repente omnes ad cædem conjugum liberorumque discurrerent, seque ipsi per omnes vias leti[4] interficerent. Obstupefactus eo furore rex suppressit impetum militum, et, *triduum se ad moriendum Abydenis dare*, dixit. Quo spatio plura facinora in se victi ediderunt, quam infesti edidissent victores; nec, nisi quem vincula aut alia necessitas mori prohibuit, quisquam vivus in potestatem venit. Philippus, imposito Abydi præsidio[5], in regnum rediit. Quum, velut Sagunti excidium Hannibali, sic Philippo Abydenorum clades

δὲ Κιανοί; τί δὲ νῦν Ἀβυδηνοί; καὶ τούτων τὶς, ἔφη, σοὶ πρότερος ἐπέβαλε τὰς χεῖρας.

3. *Repente proditos rati;* vide ad II, 43, n. 5. — Iteratum *repente* frigere ait Walchius, Emend. pag. 20; quem vero impugnat Büttner, Obs. p. 82 sq. nam repetitio voculæ tot interjectis verbis facta nihilo majorem, illo judice, offensionem habet, quam quæ aliis locis exhibentur redundantiæ; sic iteratur *potius* ad XXXII, 21, al. Ed. — *Proditos.* Walchius loco citato interrogat, cur *proditos* dicat Livius, quos, voluntarium letum oppetentes, prodiderat nemo. Itaque, quum hic haud dubie translatio statuenda sit, requiri *quasi*, aut *veluti*. Büttner autem loco cit. hunc quoque locum defendit, particulamque non intrudendam esse contendit, suppleri tamen posse. « Immo, inquit, ne suppleta quidem opus videtur: Abydenorum multitudo suos proditos vocabat ideo quod mors eorum, quamvis voluntaria, gratuita erat principum fraude, qui contra fidem atque jusjurandum urbis deditionem Philippo fecerant. Ed.

4. *Per omnes vias leti;* vide ad IV, 48, n. 2.

5. *Imposito Abydi præsidio*, sic ut

Digitized by Google

ad romanum bellum animos fecisset, nuntii occurrerunt, consulem jam in Epiro esse, et Apolloniam terrestres copias, navales Corcyram in hiberna deduxisse.

XIX. Inter hæc legatis, qui in Africam missi erant de Hamilcare gallici exercitus duce, responsum a Carthaginiensibus est, nihil ultra se facere posse, quam ut exsilio eum mulctarent, bonaque ejus publicarent. Perfugas et fugitivos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse; et de ea re missuros legatos Romam, qui senatui satis facerent. Ducenta millia modium tritici[1] Romam, ducenta ad exercitum in Macedoniam miserunt: inde in Numidiam ad regem profecti legati; dona data Masinissæ, mandataque edita; equites mille numidæ (quum duo millia[2] daret) accepti. Ipse in naves imponendos curavit, et cum ducentis millibus modium tritici, ducentis hordei, in Macedoniam misit. Tertia legatio ad Verminam erat: is, ad primos fines regni legatis obviam progressus, ut scriberent ipsi, quas vellent, pacis conditiones, permisit. Omnem pacem bonam justamque fore sibi cum populo romano: datæ leges pacis, jussusque ad eam confirmandam mittere legatos Romam.

XX. Per idem tempus L. Cornelius Lentulus pro consule ex Hispania rediit. Qui quum in senatu res ab se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postulassetque, ut triumphanti sibi invehi

XXXVI, 12, n. 4; nisi ex quatuor MSS reponendum sit *Abydenis;* Jac. Gron. — *Nuntii occurrerunt...esse;* vid. tamen ad librum VIII, cap. 19, not. 10.

Cap. XIX. 1. *Ducenta millia mod. trit.* Creverius ait esse modios nostrates parisienses paulo plus 154166, sive quos vocamus *setiers* 12847. Ed. — *In Numidiam ad regem,* Masinissam. Ita omnes MSS et edd. ante Froben. quæ *ad reges* (Masinissam et Verminam) substituit. Sed *ad Verminam tertia legatio* fuit.

2. *Quum duo millia daret;* vide ad III, 21, n. 3.

Digitized by Google

liceret in Urbem; *res triumpho dignas esse* censebat senatus, *sed exemplum a majoribus non accepisse, ut, qui neque dictator*[1], *neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet. Pro consule illum Hispaniam provinciam, non consulem, aut prætorem, obtinuisse.* Decurrebatur tamen eo, ut ovans Urbem iniret, intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno plebis, qui nihilo magis id more majorum, aut ullo exemplo futurum diceret. Postremo victus consensu Patrum tribunus cessit, et ex senatusconsulto L. Lentulus ovans Urbem est ingressus. Argenti tulit[2] ex præda quadraginta quatuor millia pondo; auri duo millia quadringenta quinquaginta : militibus ex præda centum viginti asses divisit.

XXI. Jam exercitus consularis[1] ab Arretio Ariminum traductus erat, et quinque millia socium latini nominis ex Gallia in Etruriam transierant : itaque L. Furius, magnis itineribus ab Arimino adversus Gallos, Cremonam tum obsidentes, profectus, castra mille quingentorum passuum intervallo ab hoste posuit. Occasio egregie rei gerendæ fuit[2], si protenus de via ad castra oppugnanda duxisset : palati passim vagabantur per agros, nullo satis firmo relicto præsidio : lassitudini militum timuit, quod raptim ductum agmen erat. Galli, clamore suorum ex agris revocati, omissa præda, quæ in manibus erat, castra repetivere, et postero die in aciem progressi; nec Ro-

Cap. XX. 1. *Ut, qui neque dictator,* etc. vide ad XXVI, 21, n. 1, et XXVIII, 38, n. 4.

2. *Argenti tulit ex præda,* etc. scil. in ærarium. — *Quadraginta quat. mil.* Selibras nostrates pondo 68750. Ed. — *Duo millia quadring. quinquag.* Selibras nostrates pondo 3750. Ed. — *Centum viginti asses.* Denarios septem cum semisse, qui non totam explent argenti unciam. Ed.

Cap. XXI. 1. *Jam exercitus consularis,* etc. conf. cap. 10 pr. et 11 pr.

2. *Occasio egregie rei gerendæ fuit, si... duxisset;* vide ad I, 23, n. 4, et XXVIII, 33, n. 2.

Digitized by Google

manus moram pugnandi fecit : sed vix spatium instruendi fuit; eo cursu hostes in prælium venerunt. Dextra ala (in alas divisum socialem exercitum habebat[3]) in prima acie locata est; in subsidiis duæ romanæ legiones. M. Furius dextræ alæ, legionibus M. Cæcilius, equitibus L. Valerius Flaccus (legati omnes erant) præpositi : prætor secum duos legatos, Cn. Lætorium et P. Titinium, habebat; cum quibus circumspicere et obire ad omnes hostium subitos conatus[4] posset. Primo Galli, omni multitudine in unum locum connisi, obruere atque obterere sese dextram alam, quæ prima erat, sperarunt posse. Ubi id parum procedebat, circumire a cornibus, et amplecti hostium aciem (quod in multitudine adversus paucos facile videbatur) conati sunt. Id ubi vidit prætor, ut et ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis dextra lævaque alæ, quæ in prima acie pugnabat, circumdat, ædemque deo Jovi vovit[5], si eo die hostes fudisset. L. Valerio imperat, ut parte duarum legionum equites,

3. *Dextra ala in prima acie : in alas divisum socialem exercitum habebat*, scilic. Furius; nisi potius cum Lips. de Mil. Rom. II, 7, leg. *habebant*, ut studiose notet Livius morem, qui non suo ævo et diu ante, sed tunc obtinuerit, nec omnibus forsan fuerit notus. Nota Dukeri est : « Cur vero Livius, qui sæpe antea alas sociorum memoravit, demum h. l. tam studiose id, quod Lipsius putat, notare voluit? et cur h. l. tantum *una ala* sociorum in prima acie, et *duæ legiones* in subsidiis locatæ dicuntur? Hoc tum ideo factum credit Schel. ad Polyb. c. 12, quod Galli eo cursu in prælium venerint, ut Romanis vix spatium fuerit cæteras copias instruendi. Mihi verosimilius videtur, sinistram sociorum alam non fuisse in exercitu prætoris, sed consulem in Etruria eam subsistere voluisse, et quidem senatusconsulto jussum; conf. ad cap. 11. Nec objici potest, si tantum una ala in exercitu prætoris fuisset, non posse eam appellari *dextram;* sed potius ex hoc etiam loco probabile fit, *dextram* et *sinistram alam* non a loco appellatas fuisse, quem in acie tenuerint ». Cf. ad lib. XXV, cap. 21, n. 4, et XXVII, 14, n. 2.

4. *Obire ad omnes h. sub. conatus;* vide ad X, 25, n. 9.

5. *Ædemque deo Jovi vovit :* Sigon. conj. *ædesque duas Jovi vovit*, coll. XXXIV, 53 extr. et XXXV, 41. Cf. infra ad librum XXXIV, cap. 53, not. 5.

Digitized by Google

altera[6] sociorum equitatum in cornua hostium emittat, nec circumire eos aciem patiatur. Simul et ipse, et extenuatam mediam deductis cornibus aciem Gallorum vidit, signa inferre confertos milites, et perrumpere ordines jubet. Et cornua ab equitibus, et medii a pedite pulsi; ac repente, quum omni parte cæde ingenti sternerentur, Galli terga vertunt, fugaque effusa repetunt castra. Fugientes persequutus eques, mox et legiones insequutæ in castra impetum fecerunt : minus sex millia hominum inde effugerunt; cæsa aut capta supra quinque et triginta millia cum signis militaribus septuaginta, carpentis gallicis, multa præda oneratis, plus ducentis. Hamilcar dux pœnus eo prælio cecidit[7], et tres imperatores nobiles Gallorum. Placentini captivi ad duo millia liberorum capitum redditi colonis.

XXII. Magna victoria lætaque Romæ fuit : literis allatis, supplicatio in triduum decreta est. Romanorum sociorumque ad duo millia eo prælio ceciderunt; plurimi dextræ alæ, in quam primo impetu vis ingens hostium illata[1] est. Quanquam per prætorem prope debellatum erat, consul quoque C. Aurelius, perfectis, quæ Romæ agenda fuerant, profectus in Galliam, victorem exercitum a prætore accepit. Consul

6. *Ut parte duarum legionum equites, altera,* etc. vide ad III, 37, n. 6. — Edebatur olim *parte altera duarum,* quod vix unus et alter cod. tuentur, nostri vero ignorant : hanc tamen priorem lectionem Crev. defendere conatus est adversus Gronovium, qui primus *altera* post voc. *parte* ejecit. Ed. — *Circumire eos aciem,* ut IX, 27; XXXVI, 16; XXXVII, 29, 42.

7. *Hamilcar dux pœnus eo prælio cecidit;* quem triennio post alio captum prælio, et in triumpho ductum fuisse, alii auctores sunt; vide ad librum XXXII, cap. 30, et lib. XXXIII, cap. 23.

Cap. XXII. 1. *In quam primo impetu vis ingens hostium illata est:* vox *ingens* exsulat a MS Thuan. et Lov. 2, prob. Jac. Gron. et Duk. quia Livius ante dixit, hostes *in unum* hunc *locum omni multitudine connisos* fuisse. Cf. Duk. ad Flor. IV, 2, 72.

Digitized by Google

alter, quum autumno ferme exacto in provinciam venisset, circa Apolloniam hibernabat. Ab classe, quæ Corcyræ subducta[2] erat, C. Claudius triremesque romanæ (sicut ante dictum est[3]), Athenas missæ, quum Piræeum pervenissent, despondentibus jam animos sociis spem ingentem attulerant; nam et terrestres ab Corintho, quæ per Megaram incursiones in agros fieri solitæ erant, non fiebant; et prædonum a Chalcide naves, quæ non mare solum infestum, sed etiam omnes maritimos agros Atheniensibus fecerant, non modo Sunium superare[4], sed nec extra fretum Euripi committere aperto mari se audebant. Supervenerunt his tres Rhodiæ quadriremes, et erant Atticæ tres apertæ naves[5], ad tuendos maritimos agros comparatæ : hac classe si urbs agrique Atheniensium defenderentur, satis in præsentia existimanti Claudio esse, majoris etiam rei fortuna oblata est.

XXIII. Exsules ab Chalcide, regiorum injuriis pulsi, attulerunt, occupari Chalcidem sine certamine ullo posse; nam et Macedonas, quia nullus in propinquo sit hostium metus, vagari passim, et oppidanos, præsidio Macedonum fretos, custodiam urbis negligere. His auctoribus profectus, quanquam Sunium ita mature pervenerat, ut inde provehi ad primas angustias

2. *Corcyræ subducta* classis; vide ad VIII, 26, n. 1.

3. *Sicut ante dictum est* cap. 14. — *Per Megaram;* vide ad XXIV, 30, n. 6.

4. *Non modo* non *Sunium superare* (vide ad I, 40, n. 1, et II, 50, n. 4), *sed nec,* etiam non, vel ne quidem, ut *neque* XXXIII, 5, n. 6; nisi malis dicere post *sed* supplendum esse *etiam* (vide ad I, 40, n. 1), et *nec* positum pro simpl. *non*, ut passim *nec* et *neque;* v. c. I, 23; II, 22; III, 22, al. Cf. ad Tac. Ann. I, 32, n. 7. In multis MSS et edd. ante Ascens. *ne*, h. e. ne quidem; vide ad lib. XXXIII, 49, n. 1. — *Extra fretum Euripi;* vide tamen ad librum XXVIII, cap. 6, not. 3.

5. *Atticæ tres apertæ naves;* vide ad XXII, 19, n. 4. — Naves apertæ opponuntur constratis, et eæ sunt quæ nulla habent tabulata, *bâtiments qui ne sont pas pontés.* Ed.

Digitized by Google

Euboeæ posset; ne superato promontorio[1] conspiceretur, classem in statione usque ad noctem tenuit. Primis tenebris[2] movit; et tranquillo pervectus Chalcidem, paulo ante lucem, qua infrequentissima urbis sunt, paucis militibus turrim proximam murumque circa scalis cepit, alibi sopitis custodibus, alibi nullo custodiente. Progressi inde ad frequentia ædificiis loca, custodibus interfectis, refractaque porta, cæteram multitudinem armatorum acceperunt[3]; inde in totam urbem discursum est, aucto etiam tumultu, quod circa forum ignis tectis injectus erat. Conflagrarunt et horrea regia, et armamentarium cum ingenti apparatu machinarum tormentorumque : cædes inde passim fugientium pariter ac repugnantium fieri cœpta est; nec ullo jam, qui militaris ætatis esset, non aut cæso, aut fugato, Sopatro etiam Acarnane præfecto præsidii interfecto, præda omnis primo in forum collata, deinde in naves imposita. Carcer etiam ab Rhodiis refractus, emissique captivi, quos Philippus tanquam in tutissimam custodiam condiderat. Statuis inde regis dejectis[4] truncatisque, signo receptui dato, conscenderunt naves, et Piræeum, unde profecti erant, redierunt. Quod si tantum militum romanorum fuisset, ut et Chalcis teneri, et non deseri præsidium Athenarum potuisset; magna res principio statim belli, Chalcis et Euripus[5] adempta regi forent; nam ut terra

Cap. XXIII. 1. *Superato promontorio;* vide ad II, 50, n. 4.

2. *Primis tenebris movit;* vide ad II, 3, n. 2. — *Tranquillo pervectus;* vide ad XXIV, 8, n. 6. — *Qua infrequentissima urbis sunt;* vide ad III, 70, n. 2, et X, 11, n. 3. — *Paucis m.* vide ad I, 14, n. 4.

3. *Multitudinem armatorum acceperunt,* ceperunt. — Voss. et Lov. 1 ac 6, *ceperunt,* quo sensu locum intellexisse cl. *Ruperti* videtur: male, ut opinor. Ego locum ita capio : acceperunt suos, et introduxerunt in urbem. Ed.

4. *Statuis regis dejectis;* conf. ad XXXIX, 7, n. 4, et ad Juvenal. X, 58. Paulo ante *quos eo Philippus,* etc. conj. Gron.

5. *Chalcis et Euripus;* vide ad

Digitized by Google

Thermopylarum angustiæ Græciam, ita mari fretum Euripi claudit.

XXIV. Demetriade tum Philippus erat: quod quum esset nuntiata clades sociæ urbis, quanquam serum auxilium perditis erat, tamen, quæ proxima auxilio est, ultionem petens, cum expeditis quinque millibus peditum et trecentis equitibus extemplo profectus, cursu prope Chalcidem contendit, haudquaquam dubius opprimi Romanos posse. A qua destitutus spe, nec quidquam aliud, quam ad[1] deforme spectaculum semirutæ ac fumantis sociæ urbis quum venisset, paucis vix, qui sepelirent bello absumptos, relictis, æque raptim ac venerat, transgressus ponte Euripum[2], per Bœotiam Athenas ducit, pari incepto haud disparem eventum ratus responsurum. Et respondisset, ni speculator (hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium[3]), contemplatus regium agmen e specula quadam, prægressus nocte media Athenas pervenisset. Idem ibi somnus eademque negligentia erat, quæ Chalcidem dies ante paucos[4] prodiderat. Excitati nuntio trepido et prætor Atheniensium[5] et Dioxippus præfectus cohortis mercede militantium auxiliorum, convocatis in forum militibus, tuba signum ex arce dari jubent, ut hostes adesse omnes

XXVIII, 5, n. 8, et XXVIII, 6, n. 3.

Cap. XXIV. 1. *Nec quidquam aliud, quam ad*, etc. vide ad II, 8, n. 9.

2. *Transgressus ponte Euripum*; vide ad XXVIII, 6, n. 3.

3. *Speculator: hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium*; proprie *speculatores* Græcis ἡμεροσκόποι et ἡμεροφύλακες dicebantur: sed iidem solebant esse ἡμεροδρόμοι et δρομοκήρυκες (*Eilboten*), ut quam celerrime scitu necessaria, quæ signis indicari non possent, suis nuntiarent. Conf. Duker. ad h. l. Stephani Schediasm. VI, p. 280 (ubi græca legitur ἡμεροδρόμων descriptio); Herodot. VII, 192; Æneæ Poliorc. c. 6, ibique Casaub. Turneb. Advers. XXVII, 7.

4. *Quæ Chalcidem ... prodiderat*; vide II, 43, n. 5.

5. *Prætor Atheniensium* forte non archon, quod Duk. suspicabatur, sed

Digitized by Google

scirent : ita undique ad portas, ad muros discurrunt. Paucas post horas Philippus, aliquanto tamen ante lucem, appropinquans urbi, conspectis luminibus crebris, et fremitu hominum trepidantium (ut in tali tumultu) exaudito, sustinuit signa[6]; et considere ac conquiescere agmen jussit, vi aperta propalam usurus, quando parum dolus profuerat. Ab Dipylo accessit : porta ea, velut in ore urbis posita, major aliquanto patentiorque, quam cæteræ, est; et intra eam extraque latæ sunt viæ, ut et oppidani dirigere aciem a foro ad portam possent, et extra limes mille ferme passus[7], in Academiæ gymnasium ferens, pediti equitique hostium liberum spatium præberet. Eo limite Athenienses cum Attali præsidio et cohorte Dioxippi, acie intra portam instructa, signa extulerunt. Quod ubi Philippus vidit, habere se hostes in potestate ratus, et diu optata cæde (neque enim ulli græcarum civitatium infestior erat) expleturum[8], cohortatus milites, *ut, se intuentes, pugnarent, scirentque ibi signa, ibi aciem esse debere, ubi rex esset,* concitat in hostes equum, non ira tantum, sed etiam gloria elatus; quod, ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici se pugnantem egregium ducebat. Aliquantum ante aciem cum equitibus paucis evectus in

στρατηγός. Conf. supra ad librum VI, cap. 42, n. 7.

6. *Sustinuit signa;* vide ad II, 44, n. 6. — *Ab Dipylo accessit,* scilic. ad urbem, *porta ea,* etc. vide ad VIII, 17, n. 5, et XXIV, 21, n. 3.

7. *Et extra limes* (vide ad II, 39, n. 3) *mille ferme passus* longus (sed potius cum Duk. leg. *passuum*, quia latitudo, non longitudo limitis significatur), ab Dipylo *in Academiæ gymnasium ferens*; vid. Plin. XII, 1 seu 5; XXXI, 1 seu 3; Porteri Archæol. I, 8, p. 88 sq. vers. Ramb.; *Voyage du jeune Anacharsis*, t. II, c. 7, 8; Meursius in Ceramico gemino, c. 20 sq. et in Athen. Attic. lib. II, c. 1 sq. Menag. ad Diog. Laert. III, 7.

8. *Et diu optata cæde... expleturum* se, scil. odium; vel *diu optata,* quæ jam diu optasset, se *expleturum*, confecturum, perfecturum, *cæde* hostium. — *Ubi rex esset.* Religioni mihi foret hic non memorare præclaris-

medios hostes, ingentem quum suis ardorem, tum pavorem hostibus, injecit. Plurimos manu sua cominus eminusque vulneratos compulsosque in portam consequutus et ipse, quum majorem in angustiis trepidantium edidisset cædem, in temerario incepto tutum tamen receptum habuit; quia, qui in turribus portæ erant, sustinebant tela, ne in permixtos hostibus suos conjicerent. Intra muros deinde tenentibus milites Atheniensibus, Philippus, signo receptui dato, castra ad Cynosarges (templum Herculis gymnasiumque[9] et lucus erat circumjectus) posuit; sed Cynosarges et Lyceum, et quidquid sancti amœnive circa urbem erat, incensum est, dirutaque non tecta solum, sed etiam sepulcra[10]; nec divini humanive juris quidquam præ impotenti ira est servatum.

XXV. Postero die, quum primo clausæ fuissent portæ, deinde subito apertæ, quia præsidium Attali ab Ægina, Romanique ab Piræeo[1] intraverant urbem, castra ab urbe retulit rex tria ferme millia passuum. Inde Eleusinem profectus, spe improviso templi castellique, quod et imminet et circumdatum est tem-

sima hæc verba Henrici IV, digni Gallorum regis, audita ante prælium dictum *d'Ivry*: « Enfants, si vous perdez vos enseignes, cornettes et guidons, ne perdez point de vue mon panache blanc : vous le trouverez toujours au chemin de l'honneur et de la victoire». Ea sic retulit *Hard. de Péréfixe*, part. II, p. 123, Paris. 1816. Ea nos rescribimus, rati quoque, ubi Rex est, ibi laudem esse, honorem et virtutem. Ed.

9. *Cynosarges (templum Herc. lucus et gymnasium*, a quo dicti Κύνιχοι) *et Lyceum* et Academia, tria gymnasia Athenarum celeberrima, extra urbis mœnia exstructa; vid. Hesych. et Suid. v. Κυνόσαργες (qui illud ita dictum tradunt, quod Didymus jussu oraculi eo loco *templum Herculi* struxerit, quo canis albus, κύων ἀργὴς, deposuerit carnes victimæ, a se mactatæ), et auctores in not. 7 laudati.

10. *Sed etiam sepulcra*, quæ in Græcia extra urbium mœnia esse solebant. Cf. ad XXV, 9, n. 11; Vales. ad Ammian. Marcell. 18, 7; Potteri Archæol. gr. 4, 7. — *Præ impotenti ira;* vide ad III, 36, n. 2, et VI, 40, n. 1; et Horat. I, od. 16, 17. Ed.

Cap. XXV. 1. *Ab Ægina, Romanique ab Piræeo*, etc. vide ad VIII, 17, n. 5. — *Inde Eleusinem profectus*,

Digitized by Google

plo, capiendi, quum haudquaquam neglectas custodias animadvertisset, et classem a Piræeo sudsidio venire, omisso incepto, Megaram ac protenus Corinthum ducit[2]; et quum Argis Achæorum concilium esse audisset, inopinantibus Achæis, concioni ipsi supervenit. Consultabant de bello adversus Nabin tyrannum Lacedæmoniorum; qui, translato imperio Philopœmene ad Cycliadem[3], nequaquam parem illi ducem, dilapsa cernens Achæorum auxilia, redintegraverat bellum, agrosque finitimorum vastabat, et jam urbibus quoque erat terribilis. Adversus hunc hostem, quum, quantum ex quaque civitate militum scriberetur, consultarent; Philippus, dempturum se eis curam, quod ad Nabin et Lacedæmonios attineret, pollicitus, nec tantum agros sociorum populationibus prohibiturum[4], sed terrorem omnem belli in ipsam Laconicam, ducto eo extemplo exercitu, translaturum. Hæc oratio quum ingenti hominum assensu acciperetur : « Ita tamen æquum est, inquit, me vestra

opp. Atticæ Megara versus in maris ora, ad dextram Cephisi ripam, celeberrimum initiis seu mysteriis Eleusinis Cereris, *spe improviso templi* Cereris *capiendi castellique*, *quod et imminet* (vide ad III, 51, n. 3) *et circumdatum est templo*, intra templi murum et περίβολον· quod castellum, templi propugnaculum, cujus et mentio fit in Scylacis Periplo (Geogr. min. t. I, p. 20), adumbratum v. in ruinis illius templi, a Foucheroto delineatis et expressis in *Allg. Lit. Zeit.* a. 1802, vol. III pr.

2. *Megaram ac protenus Corinthum ducit;* vide ad I, 23, n. 4; XXII, 50, n. 3, et XXIV, 30, n. 6.

3. *Translato imperio a Philopœmene ad Cycliadem* (forte *Cycliadam*, ut ap. Polyb.); quæ videtur altera Philopœmenis fuisse prætura; conf. XXXII, 19, et Schweigh. ad Polyb. XVI, 36, n. 1; XVII, 1, n. 2; XVIII, 17, n. 4. De prima ejus prætura v. Polyb. II, 10 sq. de tertia, ni fallor, inf. XXXV, 25-29, 36; de quarta XXXVIII, 31 sq. Polyb. XXII, 23; XXIII, 1 sq. XXIV, 5 sq. de quinta inf. XXXVIII, 33 pr. de octava inf. XXXIX, 49, n. 1; de prudentia ejus et virtutibus inf. XXXIV, 25; XXXIX, 50, et Polyb. II, 40, 67 sq. X, 21-25; XXIV, 9, 12; XXV, 9; de natalibus, forma, studiis et rebus gestis Pausan. VIII, 49-52, et Plut. Philop. p. 356-368.

4. *Agros sociorum populationibus prohibiturum;* vide ad XXII, 14, n. 3.

Digitized by Google

« meis armis tutari, ne mea interim nudentur præsi-
« diis. Itaque, si vobis videtur, tantum parate mili-
« tum, quantum ad Oreum et Chalcidem et Corinthum
« tuenda satis sit, ut, meis ab tergo tutis, securus bel-
« lum Nabidi inferam et Lacedæmoniis ». Non fefellit Achæos, quo spectasset tam benigna pollicitatio auxiliumque oblatum adversus Lacedæmonios; id quæri, ut obsidem Achæorum juventutem educeret ex Peloponneso, ad illigandam romano bello gentem. Et id quidem coarguere Cycliades prætor Achæorum nihil attinere ratus, id modo quum dixisset, non licere legibus Achæorum de aliis rebus referre, quam propter quas convocati essent; decreto de exercitu parando adversus Nabin facto, concilium fortiter ac libere habitum dimisit, inter assentatores regios ante eam diem habitus. Philippus, magna spe depulsus, voluntariis paucis militibus conscriptis, Corinthum atque in atticam terram rediit.

XXVI. Per eos ipsos dies, quibus Philippus in Achaia fuit, Philocles præfectus regius, ex Euboea profectus cum duobus millibus Thracum Macedonumque ad depopulandos Atheniensium fines, e regione Eleusinis saltum Cithæronis[1] transcendit. Inde dimidia parte militum ad prædandum passim per agros dimissa, cum parte ipse occultus loco ad insidias opportuno consedit, ut, si ex castello ab Eleusine in prædantes suos impetus fieret, repente hostes effusos ex improviso adoriretur. Non fefellere insidiæ; itaque revocatis, qui discurrerant ad prædandum, militibus, instructisque, ad oppugnandum castellum Eleusinem profectus, cum multis inde vulneribus recessit, Phi-

Cap. XXVI. 1. *Saltum Cithæronis.* Hujus saltus meminit Plinius, Hist. Nat. IV, 7. Ed. — *Ex castello ab Eleusine;* vide ad c. 25, n. 1.

Digitized by Google

lippoque se venienti ex Achaia conjunxit. Tentata et ab ipso rege oppugnatio ejus castelli est; sed naves romanæ, a Piræeo venientes, intromissumque præsidium absistere incepto coegerunt. Diviso deinde exercitu, rex cum parte Philoclem Athenas mittit, cum parte ipse Piræeum pergit; ut, quum Philocles subeundo muros et comminanda oppugnatione[2] contineret urbe Athenienses, ipsi Piræeum levi cum præsidio relictum expugnandi facultas esset. Cæterum nihilo ei Piræei, quam Eleusinis, facilior, iisdem fere defendentibus, oppugnatio fuit. A Piræeo Athenas repente duxit; inde eruptione subita peditum equitumque inter angustias semiruti muri[3], qui brachiis duobus Piræeum Athenis jungit, repulsus, omissa oppugnatione urbis, diviso cum Philocle rursus exercitu, ad vastandos agros profectus, quum priorem populationem sepulcris circa urbem diruendis exercuisset, ne quid inviolatum relinqueret, templa deum, quæ pagatim sacrata habebant[4], dirui atque incendi jussit. Exornata eo genere operum eximie terra attica, et copia domestici marmoris, et ingeniis artificum,

2. *Subeundo muros et comminanda oppugnatione;* vide ad XXI, 5, n. 5. — *Nihilo ei Piræei* oppidi (v. intpp. Cic. ad Att. VII, 3), *quam Eleusinis, facilior... oppugnatio fuit:* forte leg. vel *felicior,* vel *expugnatio:* nam oppugnatio sæpe non admodum difficilis est, et Philippus expugnare Piræeum conabatur; Duker.

3. *Semiruti muri,* muri longi (μακρὰ τείχη, seu σκέλη) a Themistocle et Pericle exstructi ac XL stadia longi, qui tanquam *brachiis duobus Piræeum Athenis* et tres Athenarum portus a natura factos, Piræeum, Phalereum et Munychium, uno muro conclusos, inter se *jungunt;* cf. Nep. Them. 6; Herod. V, 63; VI; 116; VII, 76, 91; Pausan. I, 1; Diodor. XI, 41 sq. XIV, 32; Thucyd. I, 93, 107; II, 13; VIII, 90; Plut. in Cim., Themist. et Pericle; Meurs. Ath. Att. III, 12; Potteri Archæol. I, 8, p. 67 sq. vers. Ramb.; *Voyage du jeune Anarchasis,* t. II, c. 12, et Chandleri Itiner. c. 5.

4. *Templa deum, quæ pagatim sacrata habebant* Athenienses (cf. cap. 30, n. 3), *dirui et incendi jussit:* quod furentis esse hominis dicit Polyb. V, 11, 4. — *Copia,* ob copiam, *domestici marmoris,* Attici, inpr. Hymettii; de quo v. Strab. IX, p. 399;

Digitized by Google

præbuit huic furori materiam; neque enim diruere modo ipsa templa, ac simulacra evertere satis habuit, sed lapides quoque, ne integri cumularent[5] ruinas, frangi jussit; et, postquam non tam ira satiata, quam iræ exercendæ materia hæc deerat, agro hostium in Bœotiam excessit, nec aliud quidquam dignum memoria in Græcia egit.

XXVII. Consul Sulpicius eo tempore inter Apolloniam ac Dyrrachium ad Apsum flumen[1] habebat castra; quo arcessitum L. Apustium legatum, cum parte copiarum ad depopulandos hostium fines mittit. Apustius, extrema Macedoniæ populatus, Corrago et Gerrunio et Orgesso castellis primo impetu captis, ad Antipatriam in faucibus angustis sitam urbem, venit; ac primo evocatos principes ad colloquium, ut fidei Romanorum se committerent, perlicere est conatus; deinde, ubi, magnitudine ac mœnibus situque urbis freti, dicta adspernabantur, vi atque armis adortus, expugnavit, puberibusque interfectis, præda omni militibus concessa, diruit muros, atque urbem incendit. Hic metus Codrionem, satis validum et munitum oppidum, sine certamine ut dederetur Romanis, effecit[2]. Præsidio ibi relicto, Ilion (nomen propter

Plin. XVII, 1; XXXVI, 3, 24; Hor. Od. II, 18, 3.

5. *Sed lapides quoque frangi jussit, ne integri cumularent ruinas*, nec templa restitui possent. Cf. Polyb. XVI, 1, qui Philippum eodem modo in templa Pergami sævisse tradit. Pars historiarum ejus ad hoc cap. et seqq. pertinens deperdita.

Cap. XXVII. 1. *Ad Apsum flumen*, etc. cf. Plut. in Quintio, p. 370. — *Corrago et Gerrunio et Orgesso castellis* non aliunde notis; nisi sunt eadem, quæ Κρεώνιον, Γεροῦντα, seu Γερτοῦντα et Ὄργυσον vel Ὄργυσσον appellat Polyb. V, 108, 2 et 8, ubi id suspicatur Schweigh. et ubi *Antipatria* quoque memoratur. Κόῤῥαγον in Æschin. orat. c. Ctesiph. p. 553, ed. Reisk. ducis nomen esse, jam alii monuere.

2. *Hic metus Codrionem... sine certamine ut dederetur Romanis, effecit* pro : *Codrion ut dederetur*. Cf. ad II, 57, n. 3. *Condrionem* quidam MSS. Χρυσονδίωνα vel χρυσονδύωνα apud

Digitized by Google

alteram in Asia urbem, quam oppidum, notius) vi capitur. Revertentem legatum ad consulem cum satis magna præda Athenagoras quidam regius[3] præfectus in transitu fluminis a novissimo agmine adortus, postremos turbavit : ad quorum clamorem et trepidationem quum revectus equo propere legatus signa convertisset, conjectisque in medium sarcinis aciem direxisset; non tulere impetum romanorum militum regii; multi ex iis occisi, plures capti. Legatus, incolumi exercitu reducto ad consulem, remittitur inde extemplo ad classem.

XXVIII. Hac satis felici expeditione bello commisso, reguli ac principes accolæ Macedonum in castra romana veniunt, Pleuratus Scerdilædi filius, et Amynander Athamanum rex; et ex Dardanis[1] Bato, Longari filius : bellum suo nomine Longarus cum Demetrio Philippi patre gesserat. Pollicentibus auxilia respondit consul, Dardanorum et Pleurati opera, quum exercitum in Macedoniam induceret, se usurum; Amynandro Ætolos concitandos ad bellum at-

Polyb. V, 108, 2, esse forsan nomen ejusdem vel duorum oppidorum, nec tamen cum Jac. Gron. Κνίδον, Κοδρίονα, et mox in hoc c. Liv. *Cnidus* pro *Ilion* legendum esse, ibi monet Schweigh. In MSS quidem et antt. edd. *nidus*, *indus* et *nudus* reperitur pro *Ilion*, et notissima *Cnidus* seu Gnidus urbs Doridis Asiaticæ in Caria, ubi Venus sanctissime colebatur; sed Cnidum Thessalicam seu Macedonicam nemo memoravit præter Steph. Byz. et Scol. Callim. H. in Cer. 25, ubi Cnidus Asiatica intell. v. ibi Intpp. et Wessel. ad Diodor. t. I, p. 379. Ἴδιον inter Macedoniæ oppida idem recenset Steph. Byz. — Goeller quoque e cod. Bamberg. vult *Cnidus*, cujus recentes notas adi, p. 369 sq. Nostri quoque MSS huc alludunt dantes *indus* et *nidus*. Ed.

3. *Athenagoras regius præfectus* (cf. Polyb. XVIII, 5, 2) *in transitu fluminis* Apsi, ad quod consul castra habebat (v. cap. pr.), *a novissimo agmine a.* vide ad VIII, 17, n. 5.

Cap. XXVIII. 1. *Ex Dardanis* (cf. ad XXVI, 25, n. 4) *Bato*, cujus nominis Dalmatiæ regem Dio, sed rectius Pannonium ducem memorat Suet. Tib. 2. Cf. ibi intpp. et ad Ovid. ex Ponto, II, 1, 46. — *Longari filius* sex MSS *Langari* prob. Drak. quia Λάγγαρος ὁ τῶν Ἀγριάνων βασι-

Digitized by Google

tribuit. Attali legatis (nam ii quoque per id tempus venerant) mandat, ut Æginæ rex, ubi hibernabat, classem romanam opperiretur, qua adjuncta, bello maritimo, sicut ante, Philippum urgeret. Ad Rhodios quoque missi legati, ut capesserent partem belli. Nec Philippus segnius (jam enim in Macedoniam pervenerat) apparabat bellum : filium Persea[2], puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui ætatem ejus regerent, cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quæ ad Pelagoniam sunt, mittit. Sciathum et Peparethum, haud ignobiles urbes, ne classi hostium prædæ ac præmio essent, diruit. Ad Ætolos mittit legatos, ne gens inquieta[3] adventu Romanorum fidem mutaret.

XXIX. Concilium Ætolorum statuta die[1], quod Pa-

λεὺς apud Arrian. de exped. Alex. M. I, 5; ubi conf. Gron.

2. *Filium Persea, puerum*, etc. cf. Tac. Ann. II, 44. — *Sciathum et Peparethum*. Drak. monet variare quidem codd. et editt. in harum urbium nominibus, sed veram hanc esse orthographiam, quæ primum apparuit in ed. Mog. Fuerunt autem insulæ maris Ægæi, quarum quæque urbem ejusdem nominis habuit. Vid. Ptol. Geogr. III, 13. Ed.

3. *Ne gens inquieta fidem mutaret*; vide ad XXVI, 25, n. 6.

Cap. XXIX. 1. *Concilium Ætolorum statuta die*. — In cod. Bamberg. legitur *stata die*, quod recipi vult Goeller; quippe quia dicitur *statum*, quod certo ac definito tempore recurrit; *statutum* vero, quod tempore indicto. Ed. — *Quod Panætolium vocant*, Thermi esse quotannis autumnali tempore, ibique tum nundinæ ludique agi, et populi magistratus creari solebant; vid. XXXV, 32; Polyb. V, 8; XXVIII, 4, 1; Strab. X, pag. 463; Potteri Archæol. lib. I extr. Idem concilium *Thermaicum*, τὴν τῶν Θερμαικῶν σύνοδον, appellat Polyb. XVIII, 31, n. 5, ubi Schweigh., Palmerio (in Exerc. ad Auct. græc. p. 89) et Duk. præeuntibus, jam recte notavit errorem Liv. XXXIII, 35, qui verba Polybii cepit de *frequenti Græciæ conventu ad Thermopylas*, quem inde *Pylaicum appellant*, τὴν σύνοδον Πυλαίαν vel τὴν Πυλαίαν (vid. Strab. IX, p. 490; Suid. et Hesych.), quoniam locus ille dicebatur proprie Πύλαι (ut *Pylæ* XXXII, 4; XXXVI, 15, et hinc *portæ* XXXVI, 17, n. 2), et deinde a vicinis aquis calidis Θερμοπύλαι· vid. XXXVI, 15 extr. Strab. IX, pag. 428; Herodot. VII, 201; Appian. Syr. 17, et Pausan. X, 8, qui etiam docet, ad Pylos convenisse ex pluribus Græciæ populis XXX legatos, et in his duos tantum

Digitized by Google

nætolium vocant, futurum erat. Huic ut[2] occurrerent, et legati regis iter accelerarunt, et ab consule missus L. Furius Purpureo legatus venit; Atheniensium quoque legati ad id concilium occurrerunt: primi Macedones, cum quibus recentissimum fœdus erat, auditi sunt. Qui, *nulla nova re, nihil se novi habere, quod afferrent,* dixerunt: *quibus enim de causis, experta inutili societate romana, pacem cum Philippo fecissent, compositam semel servare eos debere.* « An imi-
« tari, inquit unus ex legatis, Romanorum licentiam,
« an levitatem dicam, mavultis? qui, quum legatis ve-
« stris Romæ responderi ita jussissent: Quid ad nos
« venitis, Ætoli, sine quorum auctoritate pacem cum
« Philippo fecistis? iidem nunc, ut bellum secum ad-
« versus Philippum geratis, postulant: et antea pro-
« pter vos, et pro vobis arma sumpta adversus eum
« simulabant; nunc vos in pace esse cum Philippo pro-
« hibent. Messanæ ut auxilio essent[3], primo in Sici-
« liam conscenderunt; iterum, ut Syracusas oppres-
« sas ab Carthaginiensibus in libertatem eximerent:
« et Messanam et Syracusas et totam Siciliam ipsi ha-

fuisse Ætolorum Πυλαγόρας. *Panætolium*, ut Παμβοιώτια, Πανελλήνια, Παναχαΐα seu Παναχαϊκά, Πανιώνια, Παναθήναια. Cæterum Bauer. notat, infra et alibi *Panætolicum* scribi, magis ex analogia, ut et *Pylaicum* et *Achaicum* concilium, sed et *Panætolium*, τὸ Παναιτώλιον, recte habere, et substant. esse.

2. *Huic ut occurrerent* ut mox *ad id;* vide ad XXI, 61, n. 1. — *Nulla nova re,* sc. oblata, quum nihil novi inciderit aut accesserit: ablativi simpl. positi in adjectivo; Bauer.

3. *Messanæ ut auxilio essent* (vid. ad XXVIII, 28, n. 3), *primo in Siciliam conscenderunt*, h. e. naves conscenderunt (ut XXXVII, 11; XLIV, 23, 35, et græce ἐμβαίνειν), ut in Siciliam navigarent; Drak. *Transcenderunt* (ut XXXIV, 4) conj. Crever. et *exscenderunt* Gron. Sed *exscensionem facere* eos dici, qui prædandi causa milites e navibus in terram exponant, eoque animo Romanos primo in Siciliam non trajecisse, monet Duker. — *Transcenderunt* est in cod. Bamb. quare Goeller recipi vult Creverii emendationem. Ed. — *Ut Syracusas, oppressas a Carth.* (vid. ad XXIV, 27 sq.), *in libertatem eximerent*, eximerent servitio (ut lib. XXVIII, cap.

Digitized by Google

« bent, vectigalemque provinciam[4] securibus et fasci-
« bus subjecerunt. Scilicet, sicut vos Naupacti legibus
« vestris[5] per magistratus a vobis creatos concilium
« habetis, socium hostemque libere, quem velitis,
« lecturi, pacem ac bellum arbitrio habituri vestro;
« sic Siculorum civitatibus Syracusas aut Messanam
« aut Lilybæum indicitur concilium[6]. Prætor romanus
« conventus agit[7] : eo imperio evocati conveniunt; ex-
« celso in suggestu superba jura reddentem, stipatum
« lictoribus vident; virgæ tergo, secures cervicibus
« imminent; et quotannis alium atque alium dominum
« sortiuntur. Nec id mirari debent aut possunt, quum
« Italiæ urbes Rhegium, Tarentum, Capuam, ne fini-
« timas nominem, quarum ruinis crevit urbs romana,
« ejusdem subjectas videant imperio. Capua quidem,
« sepulcrum ac monimentum campani populi, elato
« et extorri ejecto ipso populo[8], superest; urbs trunca,
« sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodi-
« gium; relicta crudelius habitanda, quam si deleta
« foret. Furor est, si alienigenæ homines, plus lingua
« et moribus et legibus, quam maris terrarumque

39 extr.) et in libertatem restituerent.

4. *Vectigalem provinciam* (vide ad V, 10, n. 5) *securibus et fascibus subjecerunt*, h. e. sævo imperio. Cf. seqq. *Fasces* designant jus animadvertendi summumque imperium; *secures* jus vitæ et necis. Cf. II, 7, n. 7.

5. *Sicut vos Naupacti* (vid. XXVI, 26, n. 1) ... *concilium habetis*, etc. cf. XXXV, 12, et Polyb. V, 103.

6. *Lilybæum indicitur concilium;* vide ad IV, 25, n. 4.

7. *Pr. rom. conventus* (ἀγοραίους) *agit*, quod propr. dicitur de magistratu provinciali, diem indicente, quo jus dicturus sit in aliquo provinciæ oppido, quod hinc etiam ipsum *conventus* appellatur. — *Ejusdem subjectas videant imperio.* Creverio magis placuisset *eidem subj.* ut non modo Romanis subjectæ dicantur, sed et eodem modo, eadem superbia a Romanis regi. Hanc conject. firmat codex Bamb. Ed.

8. *Capua ... sepulcrum ac monimentum campani populi, elato ... populo;* vide ad XXIV, 22, n. 11. — *Prodigium relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret*, ita continentibus verbis legendum, ut sensus sit, Capuam relictam sic habitandam esse prodigium crudelius, seu majus crudelitatis monstrum, quam foret deleta; Gron. Vul-

Digitized by Google

« spatio, discreti, hæc tenuerint, sperare, quidquam « eodem statu mansurum. Philippi regnum officere « aliquid videtur libertati vestræ; qui, quum merito « vestro vobis infestus esset, et nihil a vobis ultra, « quam pacem, petiit, fidemque hodie pacis pactæ « desiderat[9]. Assuefacite his terris legiones externas, « et jugum accipite : sero ac nequidquam, quum do- « minum romanum habebitis, socium Philippum quæ- « retis[10]. Ætolos, Acarnanas, Macedonas, ejusdem « linguæ homines, leves ad tempus ortæ causæ dis- « jungunt conjunguntque; cum alienigenis, cum Bar- « baris æternum omnibus Græcis bellum est eritque. « Natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus « in diem causis, hostes sunt. Sed, unde cœpit oratio « mea, ibi desinet. Hoc eodem loco iidem homines « de ejusdem Philippi pace[11] triennio ante decrevistis, « iisdem improbantibus eam pacem Romanis, qui « nunc pactam et compositam turbare volunt : in « qua consultatione nihil fortuna mutavit, cur vos « mutetis, non video. »

XXX. Secundum Macedonas[1], ipsis Romanis ita concedentibus jubentibusque, Athenienses, qui fœda passi justius in crudelitatem sævitiamque regis invehi poterant, introducti sunt. Deploraverunt vastationem populationemque miserabilem agrorum. *Neque id se*

gatam distinct. probant Duk. et Periz. qui *prodigium* ad præc. referunt, et *crudelius* accipiunta dverbialiter. — *Hæc tenuerint:* si Græciam occupaverint, et vos alienigenas in potestate habuerint. Ed.

9. *Fidemque* (pro *et fidem*, ut duo *et* sint h. l., nisi *et* ante *nihil* del.) *hodie pacis pactæ desiderat*, post hoc verbum sustuli interr. signum : nam post *qui* intell. *tamen*, et verba *Philippi regnum*, etc. non interrogantis, sed referentis, animo dici, magis est e more Livii, ut XXXIII, 13, *libertati graves videri reges;* Bauer.

10. *Socium Philippum quæretis;* vide ad IX, 19, n. 5. Mox post *leves* excidisse videatur *et;* Bauer.

11. *De Philippi pace*, de pace cum eo. Cf. ad c. 1, n. 7.

Cap. XXX. 1. *Secundum Macedonas;* vide ad I, 4, n. 1.

Digitized by Google

queri[2], *quod hostilia ab hoste passi forent; esse enim quædam belli jura; quæ ut facere, ita pati sit fas: sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi, misera magis, quam indigna, patienti esse. Verum enim vero id se queri, quod is, qui Romanos alienigenas et Barbaros vocet, adeo omnia simul divina humanaque jura polluerit, ut priore populatione cum infernis diis, secunda cum superis bellum nefarium gesserit: omnia sepulcra monimentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi. Delubra sibi fuisse, quæ quondam pagatim*[3] *habitantes, in parvis illis castellis vicisque consecrata, ne in unam urbem quidem contributi majores sui deserta reliquerint; circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes; semiusta et truncata simulacra deum inter prostratos jacere postes templorum. Qualem terram atticam fecerit, exornatam quondam opulentamque, talem eum, si liceat, Ætoliam Græciamque omnem facturum: urbis quoque suæ similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subvenissent. Eodem enim scelere urbem colentes deos*[4] *præsidemque arcis Minervam*[5] *petitam;*

2. *Id se queri*, repetitio rhetorica et elegans; Duk. et Drak. — *Cum infernis diis*, sc. sepulcris circa Athenas diruendis; *cum superis*, templis incendendis. Cf. c. 26.

3. *Delubra sibi fuisse, quæ quondam pagatim*, κατὰ δῆμους, vel, ut in Præf. Thucyd., κατὰ κώμας, *habitantes in parvis illis castellis vicisque consecrata* (v. Pausan. I, 31, 32) *ne in unam urbem quidem contributi*, contracti, sc. a Theseo (ut ἀποκρίνειν in procem. Thucyd. eadem de re; Bauer.), *majores sui deserta reliquerint;* vide ad V, 5, n. 2; XXV, 5, n. 3; XXXI, 26, n. 4. Multos Atticæ fuisse δῆμους, et eam sparsim habitantes in unam urbem conductos, notum est; Duk. Romanis *tribus* et *pagi* dicebantur, nobis *Cantons*. Cf. Wolf. ad Leptin. p. 232; Valcken. ad Herodot. III, 55; Potteri Archæol. I, 9 extr. Ernesti Clav. Cic. v. *puganus*, et in Ind. Græco-Lat. v. δῆμοι.

4. *Urbem colentes deos*, ut πολισσοῦχοι et πολιοῦχοι θεοί· Gron. Cf. ad XXIV, 38, n. 4; XXIX, 27, n. 1; ad Sil. I, 27, et Spanhem. ad Callim. H. in Pall. 53.

5. *Præsidem arcis Minervam;* vide

Digitized by Google

eodem Eleusine Cereris templum, eodem Piræei Jovem Minervamque: sed ab eorum non templis modo, sed etiam mœnibus vi atque armis repulsum, in ea delubra, quæ sola religione tuta fuerint, sævisse. Itaque se orare atque obsecrare Ætolos, ut, miserti Atheniensium, ducibus diis immortalibus, deinde Romanis, qui secundum deos plurimum possint, bellum susciperent.

XXXI. Tum Romanus legatus: « Totam orationis « meæ formam Macedones primum, deinde Athenien- « ses mutarunt[1]: nam et Macedones, quum ad con- « querendas Philippi injurias in tot socias nobis urbes « venissem, ultro accusando Romanos, defensionem « ut accusatione potiorem haberem, effecerunt; et « Athenienses, in deos superos inferosque nefanda at- « que inhumana scelera ejus referendo, quid mihi aut « cuiquam reliquerunt, quod objicere ultra possim? « Eadem Cianos, Abydenos[2], Æneos, Maronitas, Tha- « sios, Parios, Samios, Larissenses, Messenios hinc ex « Achaia, existimate queri; graviora etiam acerbio- « raque eos, quibus nocendi majorem facultatem ha- « buit. Nam quod ad ea attinet, quæ nobis objecit; « nisi gloria digna sunt, fateor ea defendi non posse. « Rhegium et Capuam et Syracusas nobis objecit: « Rhegium Pyrrhi bello legio a nobis, Rheginis ipsis, « ut mitteremus, orantibus, in præsidium missa, ur- « bem, ad quam defendendam missa erat, per scelus

infra ad librum XLV, cap. 28, n. 1.

Cap. XXXI. 1. *Orationis meæ formam... mutarunt*, i. e. fecerunt, ut ego mutarem, coegerunt me mutare: metonymia effectus pro causa, ut I, 28, *memor*; Bauer. — *Ultro accusando*, quia ipsi accusarunt.

2. *Cianos*. — Ex urbe Cio in Bithynia; de quorum excidio multa queritur Polyb. lib. XV. Ed. — *Abydenos*, etc. conf. cap. 16 sq. et ad lib. XXXII, c. 21, n. 8. — *Æneos*, Αἰνείους, plerumque Ænios, Αἰνίους. Conf. ad XL, 4, n. 4. — *Thasios*; vide infra ad librum XXXIII, cap. 30, n. 2.

Digitized by Google

« possedit. Comprobavimus ergo id facinus? an bello « persequuti sceleratam legionem, in potestatem no- « stram redactam tergo et cervicibus pœnas sociis pen- « dere quum coegissemus, urbem, agros, suaque om- « nia cum libertate legibusque Rheginis[3] reddidimus? « Syracusanis oppressis ab externis tyrannis[4], quo in- « dignius esset, quum tulissemus opem, et fatigati « prope per triennium terra marique urbe munitissima « oppugnanda essemus, quum jam ipsi Syracusani ser- « vire tyrannis, quam capi a nobis mallent, captam « iisdem armis et liberatam urbem reddidimus: neque « infitias imus, Siciliam provinciam nostram esse, et « civitates, quæ in parte Carthaginiensium fuerunt, « et uno animo cum illis adversus nos bellum gesse- « runt, stipendiarias nobis ac vectigales[5] esse. Quin « contra hoc et vos et omnes gentes scire volumus, « pro merito cuique erga nos fortunam esse. An Cam- « panorum pœnæ, de qua neque ipsi quidem[6] queri « possunt, nos pœniteat? Hi homines, quum pro iis « bellum adversus Samnites per annos prope septua- « ginta cum magnis nostris cladibus gessissemus, ip- « sos fœdere primum, deinde connubio, atque inde « cognationibus, postremo civitate nobis conjunxis- « semus, tempore nostro adverso primi omnium Ita- « liæ populorum, præsidio nostro fœde interfecto[7], ad

3. *Rhegium Pyrrhi bello legio..... Rheginis reddidimus;* vid. XXVIII, 28, n. 1. — *Possedit;* vid. XXIV, 45, n. 6.

4. *Syracusanis oppressis ab externis tyrannis*, Epicyde et Hippocrate, fratribus Pœnisque, non a domesticis, *quo*, ut eo *indignius esset* (*quod* conj. Sigon. sed nil interest; Bauer.) : sed Hieronymus non minus crudelis fuit omniumque malorum auctor.

5. *Stipendiarias ac vectigales;* vid. V, 10, n. 5.

6. *Neque ipsi quidem*, leg. *ne i. q.;* Gron. et Bauer. — *Bellum adversus Samnites per annos prope LXX*, etc. vide ad XXIII, 42, n. 1. — *Connubio atque inde cognationibus, postremo civitate;* vid. supra ad lib. VIII, cap. 14, n. 9.

7. *Præsidio nostro fœde interfecto*, etc. vid. XXIII, 7.

Digitized by Google

« Hannibalem defecerunt; deinde, indignati se obsi-
« deri a nobis, Hannibalem ad oppugnandam Romam
« miserunt : horum si neque urbs ipsa, neque homo
« quisquam superesset, quis durius, quam pro me-
« rito ipsorum, statutum indignari posset[8]? Plures
« sibimet ipsi conscientia scelerum mortem conscive-
« runt, quam a nobis supplicio affecti sunt. Cæteris
« ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locum-
« que ad habitandum daremus, urbem innoxiam stare
« incolumem pateremur; ut, qui hodie videat eam,
« nullam oppugnatæ captæve ibi vestigium inveniat.
« Sed quid ego Capuam dico? quum Carthagini victæ
« pacem ac libertatem dederimus : magis illud est pe-
« riculum, ne, nimis facile victis ignoscendo, plures
« ob id ipsum ad experiendam adversus nos fortunam
« belli incitemus. Hæc pro nobis dicta sint, hæc ad-
« versus Philippum; cujus domestica parricidia et co-
« gnatorum amicorumque cædes et libidinem inhu-
« maniorem prope, quam crudelitatem, vos, quo
« propiores Macedoniæ estis[9], melius nostis. Quod ad
« vos attinet, Ætoli, nos pro vobis bellum suscepi-
« mus adversus Philippum; vos sine nobis cum eo
« pacem fecistis : et forsitan dicatis, bello punico oc-
« cupatis nobis, coactos metu vos leges pacis ab eo,
« qui tum plus poterat[10], accepisse. Et nos, quum alia

8. *Quis durius... statutum indignari posset*, « an *criminari?* Certe sic interpretandum. Nam *durius, quam pro merito, statutum*, recte quilibet *indignetur*. Sed *indignari* hic est cum indignatione queri, exprobrare, ut ἐπιμέμφεσθαι ap. Thucyd. Ita Noster XXXIV, 6, *legem... abrogari est indignatus*, i. e. conquestus, reprehendit, improbavit, noluit ». Bauer. Cf. ad III, 3, n. 1. — *Plures sibimet ipsi conscientia*, etc. vid. XXVI, 13-16. — *Cæteris ita oppidum ademimus, ut... daremus;* vid. supra ad librum I, 17, n. 5.

9. *Vos, quo propiores Macedoniæ estis;* eo seu hoc *melius nostis;* conf. ad I, 23, n. 9, et II, 45, n. 12.

10. *Qui tum plus poterat;* vide ad V, 33, n. 3.

Digitized by Google

« majora urgerent, depositum a vobis bellum et ipsi « omisimus. Nunc et nos, deum benignitate punico « perfecto bello, totis viribus nostris in Macedoniam « incubuimus, et vobis restituendi vos in amicitiam « societatemque nostram fortuna oblata est; nisi « perire cum Philippo, quam vincere cum Romanis, « mavultis. »

XXXII. Hæc dicta ab Romano quum essent, inclinatis omnium animis ad Romanos, Damocritus prætor Ætolorum, pecunia, ut fama est, ab rege accepta, nihil aut huic aut illi parti assensus, *rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam, quam celeritatem*, dixit. *Celerem enim pœnitentiam, sed eamdem seram*[1] *atque inutilem, sequi, quum præcipitata raptim consilia neque revocari, neque in integrum restitui possint. Deliberationis autem ejus, cujus ipse maturitatem exspectandam putaret, tempus ita jam nunc statui posse, quum legibus cautum esset, ne de pace bellove, nisi in Panætolico et Pylaico concilio, ageretur*[2], *decernerent extemplo, ut prætor sine fraude, quum de bello aut de pace agere velit, advocet concilium; et, quod tum referatur decernaturque,*

Cap. XXXII. 1. *Eamdem seram.* MSS plures exhibent *tandem seram*, sic et nostri; primus Frob. anno 1531 *eamdem* edidit; quod in nullo cod. sibi visum ait Drak. at in uno Mead. 2 invenit *tamen*, neque hanc vocem sensus repudiat. Quisque igitur, prout libuerit, eligere potest, vel *eamdem*, vel *tamen*. Prius magis probaret Drak. Eleganter autem talis pœnitentia *sera* vocatur, eique jungitur *inutilis* : nam *sero* fieri, quæ frustra sunt, amissa temporis occasione docuit Brouchk. ad Tibulli lib. I, IX, vs. 41. Eo sensu *serum* auxilium est *inutile*. Ed. — *Præcipitata raptim consilia* (cf. ad II, 45, n. 10) *neque revocari*, reprehendi, ut denuo sint in potestate (non sign. *widerrufen*, sed pressius *zurückgenommen werden*) : ut ap. Hor. Ep. I, 18, 71, *emissum volat irrevocabile verbum*, instar teli emissi; *neque in integrum restitui possint*, manere jus et copiam aliter de integro statuendi; Bauer.

2. *Ne de pace bellove, nisi in Panætolico et Pylaico concilio, ageretur*; vide ad c. 29, n. 1.

Digitized by Google

ut perinde jus ratumque sit, ac si in Panætolico aut Pylaico concilio actum esset. Dimissis ita suspensa[3] re legatis, egregie consultum genti aiebat; nam, utrius partis melior fortuna belli esset, ad ejus societatem inclinaturos. Hæc in concilio Ætolorum acta.

XXXIII. Philippus impigre terra marique parabat bellum; navales copias Demetriadem in Thessaliam contrahebat. Attalum romanamque classem principio veris ab Ægina ratus moturos, navibus maritimæque oræ præfecit Heraclidem, quem et ante præfecerat: ipse terrestres copias comparabat, magna se duo auxilia detraxisse Romanis credens, ex una parte Ætolos, ex altera Dardanos, faucibus ad Pelagoniam a filio Perseo interclusis. Ab consule non parabatur, sed gerebatur jam bellum; per Dassaretiorum fines[1] exercitum ducebat, frumentum, quod ex hibernis extulerat, integrum vehens; quod in usum militi satis esset, præbentibus agris. Oppida vicique partim voluntate, partim metu se tradebant; quædam vi expugnata, quædam deserta, in montes propinquos refugientibus Barbaris, inveniebantur. Ad Lyncum stativa posuit prope flumen Bevum; inde frumentatum circa horrea Dassaretiorum mittebat. Philippus consternata quidem omnia circa pavoremque ingentem hominum cernebat; sed parum gnarus, quam partem petisset consul, alam equitum ad explorandum, quonam hostes iter intendissent[2], misit. Idem error apud consulem erat;

3. *Suspensa re;* vid. II, 32, n. 5.

Cap. XXXIII. 1. *Dassaretiorum fines.* Eorum meminit Plin. lib. III, 23, et IV, 1: meminisse et Ptol. III, 13, contendit Glareanus; quanquam omnes ejus codices, quotquot ipse viderit, corrupte *Deparetii* exhibeant. Sigonius volebat *Dassaritiorum* ex Stephano et Eustathio. Ed. — *Ad Lyncum;* vide ad XXVI, 25, n. 4. *Bevus* fl. ad Bevam opp. Macedoniæ; vid. Steph.

2. *Quonam hostes iter intendissent;* vide ad IV, 19, n. 1. — *Idem error*, inscitia, ignorantia, quod ex præc. et seqq. patet. Conf. ad XXVII, 46,

Digitized by Google

movisse ex hibernis regem sciebat, quam regionem petisset ignorans : is quoque speculatum miserat equites. Hæ duæ alæ ex diverso, quum diu incertis itineribus vagatæ per Dassaretios essent, tandem in unum iter convenerunt. Neutros fefellit, ut fremitus procul hominum equorumque exauditus est, hostes appropinquare : itaque prius, quam in conspectum venirent, equos armaque expedierant; nec mora, ubi primum hostem videre, concurrendi facta est. Forte et numero et virtute, utpote lecti utrimque, haud impares, æquis viribus per aliquot horas pugnarunt. Fatigatio ipsorum equorumque, incerta victoria, diremit prælium. Macedonum quadraginta equites, Romanorum quinque et triginta ceciderunt; neque eo magis explorati quidquam, in qua regione castra hostium essent, aut illi ad regem, aut hi ad consulem retulerunt. Per transfugas cognitum est[3], quos levitas ingeniorum ad cognoscendas hostium res in omnibus bellis præbet.

XXXIV. Philippus, aliquid et ad caritatem[1] suorum, et ut promptius pro eo periculum adirent, ratus profecturum se, si equitum, qui ceciderant in expeditione, sepeliendorum curam habuisset, afferri eos in castra jussit, ut conspiceretur ab omnibus funeris honos. Nihil tam incertum nec tam inæstimabile[2] est,

n. 5. — *Movisse;* vide ad II, 3, n. 2. — *Ex diverso* itinere, e diversis locis, partibus.

3. *Per transfugas cognitum est, quos levitas*, inconstantia, *ingeniorum præbet* idoneos, vel quorum operam usumque præbet *ad*, etc.

Cap. XXXIV. 1. *Ad caritatem suorum*, etc. cf. Platonis Menexen. pr.; Lucian. de Amicit. pr. et Intpp. Hor. Od. I, 28, 23 sq.

2. *Nihil* vero *tam incertum nec tam inæstimabile est*, quod tam parum æstimare ac prævidere possis (quo confidere non licet, *worauf man nicht rechnen kann;* Ern.). *Quam animi multitudinis* (cf. XXIV, 24 extr.); quippe, etenim *quod promptiores*, etc. Similiter forsan *inæstimabile perjurium* XXXVII, 57 extr. nisi potius ironice dictum pro prorsus egregio et singulari (ut fere *inæstimabile gaudium*, lib.

Digitized by Google

quam animi multitudinis : quod promptiores ad subeundam omnem dimicationem videbatur facturum, id metum pigritiamque incussit; nam qui hastis sagittisque et rara lanceis[3] vulnera facta vidissent, cum Græcis Illyriisque pugnare assueti, postquam gladio hispaniensi detruncata corpora brachiis abscisis, aut tota cervice desecta divisa a corpore capita patentiaque viscera et fœditatem aliam vulnerum viderunt, adversus quæ tela quosque viros pugnandum esset, pavidi vulgo cernebant. Ipsum quoque regem terror cepit, nondum justo prælio cum Romanis congressum : itaque, revocato filio præsidioque, quod in Pelagoniæ faucibus erat, ut iis copiis suas augeret, Pleurato Dardanisque iter in Macedoniam patefecit. Ipse, cum viginti millibus peditum, quatuor equitum, ducibus transfugis, ad hostem profectus, paulo plus ducentos passus[4] a castris romanis tumulum propinquum Athaco fossa ac vallo communivit; ac, subjecta cernens romana castra, admiratus esse dicitur et universam speciem castrorum, et descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine[5], tum itinerum in-

XXIX, cap. 32), aut cum Gron. leg. *inexpiabili*, aut *intestabili* (vid. Tac. Ann. VI, 40, n. 6), aut *inexcusabili perjurio*, aut ex cod. N. *detestabili*. Sed cf. ibi not. 5.

3. *Hastis... lanceis*. Hinc colligendum, *lanceam* longius et validius fuisse telum quam *hastam*, monet Creverius. Ed. — *Gladio hispaniensi;* vide supra ad VII, 10, n. 1. — *Abscisis brachiis*. Quidam legunt *abscissis*, solita permutatione; vid. Gifan. in Obs. ling. lat. 5; et ad nostrum Silium V, 473. Quænam inter utrumque fuerit differentia, non per omnia convenire ait Drak. Vid. Oudend. ad Front. I, 417; Arentz. ad Aur. Vict. Epit. Cæs. XIII, 3, et quos ibi laudarunt. Ed.

4. *Paulo plus CC passus*, sed cap. seq. pr. *paulo plus D passus*. — Pro *ducentos passus* in cod. Bamb. legitur *mille passuum*, qui numerus certe verior quam vulgari Goellero videtur, et ita jam suspicatus fuerat legendum Roellius. Ed. — *Propinquum Athaco*, forte opp. Dassaretiorum.

5. *Descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine*, etc. vid. ad XXV, 6, n. 10; Lips. Mil. Rom. V, 1; Schel. ad Hygin. de Castram. pag. 1031 et 1041; Thes. Græv. t. X.

Digitized by Google

bus extemplo invasuris; octo ferme inde millia, intervallo tutiorem frumentationem habiturus, castra ad Octolophum (id est loco nomen) movit. Quum in propinquo agro frumentarentur Romani, primo rex intra vallum suos tenuit, ut cresceret simul et negligentia cum audacia hosti[4]. Ubi effusos vidit, cum omni equitatu et Cretensium auxiliariibus, quantum equitem velocissimi pedites cursu æquare poterant, citato profectus agmine, inter castra romana et frumentatores constituit signa. Inde, copiis divisis, partem ad consectandos vagos frumentatores emisit, dato signo, ne quem vivum relinquerent; cum parte ipse substitit, itineraque, quibus ad castra recursuri videbantur hostes, obsedit. Jam passim cædes ac fuga erat, necdum quisquam in castra romana nuntius cladis pervenerat, quia refugientes in regiam stationem incidebant; et plures ab obsidentibus vias, quam ab emissis ad cædem, interficiebantur. Tandem inter medias hostium stationes elapsi quidam trepidi, tumultum magis, quam certum nuntium, intulerunt castris.

XXXVII. Consul, equitibus jussis, qua quisque posset[1], opem ferre laborantibus, ipse legiones e castris educit, et agmine quadrato ad hostem ducit. Dispersi equites per agros quidam aberrarunt, decepti clamoribus aliis ex alio exsistentibus loco : pars obvios habuerunt hostes; pluribus locis simul pugna cœpit. Regia statio atrocissimum prælium edebat;

tam propinqua stativa, propter tantam propinquitatem stativorum sc. hostium; vide ad VII, 39, n. 4. Ita nil mutandum.

4. *Ut cresceret simul et negligentia cum audacia hosti*, pro vulgari *simul et negligentia et audacia*, ut *consilium cum re, animus cum re* : sed forte del. *et*; Duk. Conf. ad librum XXI, cap. 60, n. 5, et lib. XXVI, cap. 43, n. 2.

Cap. XXXVII. 1. *Qua quisque posset*; vide ad III, 70, n. 2. — *Opem ferre laborantibus*; vide ad III, 31, n. 1. — *Agmine quadrato*; vide ad II, 6, n. 3.

Digitized by Google

nam et ipsa multitudine equitum peditumque prope justa acies erat; et Romanorum, quia medium obsederat iter, plurimi in eam inferebantur. Eo quoque superiores Macedones erant, quod et rex ipse hortator aderat, et Cretensium auxiliares multos ex improviso vulnerabant, conferti præparatique in dispersos et effusos pugnantes. Quod si modum in insequendo habuissent, non in præsentis modo certaminis gloriam, sed in summam etiam belli profectum[2] foret: nunc aviditate cædis intemperantius insequuti in prægressas cum tribunis militum cohortes romanas incidere; et fugiens eques, ut primo signa suorum vidit, convertit in effusum hostem equos: versaque momento temporis fortuna pugnæ est, terga dantibus, qui modo sequuti erant. Multi cominus congressi, multi fugientes interfecti; nec ferro tantum periere, sed in paludes quidam conjecti profundo limo cum ipsis equis hausti sunt. Rex quoque in periculo fuit; nam, ruente saucio equo, præceps ad terram datus, haud multum abfuit, quin jacens opprimeretur. Saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pavidumque regem in equum subjecit[3]. Ipse quum pedes æquare cursu fugientes non posset equites, ab hostibus ad casum regis concitatis confossus, periit. Rex, circumvectus paludes pervias inviasque trepida fuga, in castra tandem, jam desperantibus plerisque incolumem evasurum, pervenit. Ducenti Macedonum equites eo prælio periere: centum ferme capti; octoginta admodum ornati equi, spoliis simul armorum relatis, abducti.

2. *In summam belli profectum;* vide ad III, 61, n. 4.

3. *Regem in equum subjecit;* vide ad IV, 19, n. 3. — *Rex circumvectus paludes.* Ita prima exhibet ed. Froben. anni 1535; antea edebatur *per paludes*, quam lectionem in nostris codicibus invenio. Drak. suspicatur forte leg. *circ. pal. per vias inviaque;* nam hæc ita sæpe junguntur. Ed.

Digitized by Google

XXXVIII. Fuerunt, qui hoc die regem temeritatis, consulem segnitiæ accusarent: nam et Philippo quiescendum fuisse, quum paucis diebus hostes, exhausto circa omni agro[1], ad ultimum inopiæ venturos sciret; et consulem, quum equitatum hostium levemque armaturam fudisset, ac prope regem ipsum cepisset, protenus ad castra hostium ducere debuisse; nec enim mansuros[2] ita perculsos hostes fuisse, debellarique momento temporis potuisse. Id dictu, quam re, ut pleraque, facilius: nam si omnibus peditum quoque copiis rex congressus fuisset, forsitan inter tumultum, quum omnes victi metuque perculsi ex prælio intra vallum, protenus inde supervadentem munimenta victorem hostem fugerent, exsui castris potuerit rex; quum vero integræ copiæ peditum in castris mansissent, stationes ante portas, præsidiaque disposita essent, quid, nisi ut temeritatem regis, effuse paulo ante sequuti perculsos equites, imitaretur, profecisset? neque enim ne regis quidem primum consilium, quo impetum in frumentatores palatos per agros fecit, reprehendendum foret, si modum prosperæ pugnæ imposuisset. Eo quoque minus est mirum, tentasse eum fortunam, quod fama erat, Pleuratum Dardanosque, ingentibus copiis profectos domo, jam in Macedoniam transcendisse. Quibus si undique circumventus copiis foret, sedentem Romanum debellaturum[3], credi poterat. Itaque, secundum duas adversas equestres pugnas, multo minus tutam moram in iisdem stativis fore Philippus ratus, quum

Cap. XXXVIII. 1. *Exhausto circa agro;* vide ad X, 44, n. 1.

2. *Nec enim mansuros;* etc. vide ad V, 55, n. 2. — Mox pro *perculsos*, e nostris Reg. 5738 dat *periculosos;* et loco τῶν *debellari.... potuisse* plures habent *debilitari... debuisse,* quod reperitur quoque in codice Bamb. Ed.

3. *Sed. R. debell.* vid. VII, 37, n. 4.

Digitized by Google

abire inde et fallere abiens hostem vellet, caduceatore sub occasum solis ad consulem misso, qui inducias ad sepeliendos equites peteret, frustratus hostem, secunda vigilia, multis ignibus per tota castra[4] relictis, silenti agmine abiit.

XXXIX. Corpus jam curabat consul, quum, venisse caduceatorem, et quid venisset[1], nuntiatum est. Responso tantum dato, mane postero die fore copiam conveniendi; id quod quæsitum erat, nox dieique insequentis pars ad præcipiendum iter Philippo data est. Montes, quam viam non ingressurum gravi agmine Romanum sciebat, petit. Consul, prima luce caduceatore datis induciis dimisso, haud ita multo post abisse hostem quum sensisset, ignarus qua sequeretur, iisdem stativis frumentando dies aliquot consumpsit. Stuberam deinde petit[2], atque ex Pelagonia frumentum, quod in agris erat, convexit : inde ad Pluvinam est progressus, nondum comperto, quam regionem hostes petissent. Philippus, quum primo ad Bryanium[3] stativa habuisset, profectus inde transversis limitibus[4], terrorem præbuit subitum hosti : movere itaque ex Pluvina Romani, et ad Osphagum flumen posuerunt castra. Rex haud procul inde et ipse, vallo super ripam amnis ducto (Erigonum incolæ vocant[5]), consedit. Inde satis comperto, Eor-

4. *Multis ignibus per castra rel.* vid. XXII, 41, n. 5.

Cap. XXXIX. 1. *Et quid venisset;* vide ad V, 51, n. 2. — *Ad præcipiendum iter;* vid. III, 46, n. 5.

2. *Stuberam deinde petit*, opp. Pelagoniæ ad Erigonem fl. Cf. XLIII, 18, 20. Στύβεῤῥα Polyb. XXVIII, 8, 8. Στύμβαρα Strab. VII, 7, 9, p. 327. Στόβηρα Suidæ dicitur. Mox pro *Pluvinam* al. *Pluinam*, et quædam edd. *Pellinam* ex emendat Sigonii, quem gravissime hallucinatum esse docet Jac. Gron. ad Arrian. I, 7.

3. *Ad Bryanium;* conf. Steph. et Strab. l. l.

4. *Transversis limitibus;* vide ad II, 39, n. 3.

5. *Erigonum incolæ vocant;* conf. XXXIX, 53 extr. et Strab. VII, 7,

Digitized by Google

dæam petituros Romanos, ad occupandas angustias, ne superare hostes arctis faucibus inclusum aditum possent, præcessit. Ibi alia vallo, alia fossa, alia lapidum congerie, ut pro muro essent, alia arboribus objectis, ita ut locus postulabat, aut materia suppeditabat, permuniit[6]; atque (ut ipse rebatur) viam, suapte natura difficilem, objectis per omnes transitus operibus inexpugnabilem fecit. Erant pleraque silvestria circa, incommoda phalangi maxime Macedonum; quæ, nisi ubi prælongis hastis velut vallum ante clypeos objecit[7] (quod ut fiat, libero campo opus est), nullius admodum usus est. Thracas quoque romphææ, ingentis et ipsæ longitudinis, inter objectos undique ramos impediebant. Cretensium una cohors non inutilis erat; sed ea quoque ipsa ut, si quis impetum faceret, in patentem vulneri equum[8] equitemque sagittas conjicere poterat, ita adversus scuta romana nec ad trajiciendum satis magnam vim habebat, nec aperti quidquam erat, quod peteret: itaque id ut vanum teli genus[9] senserunt esse, saxis passim tota valle jacentibus incessebant hostem. Ea, majore cum so-

8 et 9, pag. 327. Hic et Arrian. I, 5, Ἐρίγωνα dicunt, sed Ptol. Ἐρίγωνον. — *Eordæam*, Ἐορδαῖαν et Ἐορδαῖαν· conf. XLV, 30; Arrian. I, 7; Plin. IV, 10, et Schweigh. ad Polybium, XVIII, 6, 3.

6. *Suppeditabat, permuniit.* Antea legebatur *opere permuniit;* sed primam vocem, quæ in nostris codd. et in Bamb. exstat, ut superfluam et molestam rejecere Crev. et Drakenb. At Walchius, Emend. pag. 232, vocem hanc auctoritate codd. defendit, ita tamen mutans: *suppeditabat operi, permuniit.* Jacobs. quoque vocem *opere* non omittendam sed corrigendam censebat; itaque legendum esse *propere muniit.* Ed. — *Objectis per o. transitus operibus;* vid. XXI, 57, n. 7.

7. *Prælongis hastis* (sarissis) *velut vallum ante clypeos objecit;* vide ad IX, 19, n. 2, et XXXVI, 18, n. 6. — *Romphææ* seu *rhomphææ* et *rumpiæ* tela Thracum ap. Gell. X, 25. Ῥομφαῖος ἐράκιον, ἀμυντήριον, μάχαιρα, ξίφος, ἢ ἀκόντιον μακρόν, Hesych. Conf. Heins. ad Val. Fl. VI, 98, et Bocharti Hieroz. I, 2, 8, p. 137.

8. *Patentem vulneri equum, q.*, ut mox *nec aperti quidquam;* vid. XXII, 50, n. 3, et XXV, 16, n. 12.

9. *Vanum teli genus;* vide supra ad X, 29, n. 1.

Digitized by Google

nitu, quam vulnere ullo, pulsatio scutorum parumper succedentes Romanos tenuit; deinde, iis quoque spretis, partim, testudine facta[10], per adversos vadunt hostes; partim, brevi circuitu quum in jugum collis evasissent, trepidos ex præsidiis stationibusque Macedonas deturbant, et, ut in locis impeditis difficili fuga, plerosque etiam obtruncant.

XL. Ita angustiæ minore certamine, quam quod animis proposuerant, superatæ, et in Eordæam perventum; ubi pervastatis passim agris, in Elimeam se recepit[1]. Inde impetum in Orestidem fecit, et oppidum Celetrum est aggressus, in peninsula situm : lacus mœnia cingit; angustis faucibus unum ex continenti iter est. Primo situ ipso freti, clausis portis, imperium abnuere; deinde, postquam signa ferri ac testudine succedi ad portam obsessasque fauces agmine hostium viderunt, priusquam experirentur certamen, metu in deditionem venerunt. Ab Celetro in Dassaretios processit, urbemque Pelium vi cepit : servitia inde cum cætera præda abduxit, et libera capita sine pretio dimisit; oppidumque iis reddidit, præsidio valido imposito; nam et sita opportune urbs erat ad impetus in Macedoniam faciendos. Ita peragratis hostium agris, consul in loca jam pacata[2] ad Apollo-

10. *Testudine facta;* vid. ad V, 43, n. 2. — *Evasissent;* vid. II, 7, n. 7. — *Difficili fuga*, quum fuga difficilis esset, *ut in locis impeditis;* vide ad librum VIII, cap. 30, n. 7, et lib. IX, cap. 43, n. 6.

Cap. XL. 1. *In Elimeam se recepit*, sc. consul : Ἐλίμεια regio et urbs Illyrici apud Strab. VII, 7, 8, p. 326, et Steph. Ἔλιμα seu Ἔλυμα apud Ptol. qui etiam rectius eam ad Aoum flum. ponit, quam Liv. XLII, 53, *ad Haliacmona*, qui fluvius longe abest, et mediam percurrit Macedoniam (cf. Cellar. Geogr. ant. II, 13); cui Macedoniæ *Elimiotis* a Romanis demum *juncta* dicitur XLV, 30, in divisione regni. Ἐλυμιῶτις apud Arrian. I, 7. *Elimeam* h. l. et XLII, 53, n. 2, XLIII, 21, n. 3, regionem esse, ex adjunctis verbis et præpos. *in* probabile fit.

2. *In loca pacata;* vid. supra ad lib. II, cap. 59, n. 5.

Digitized by Google

niam, unde orsus bellum erat, copias reduxit. Philippum averterant Ætoli et Athamanes et Dardani et tot bella repente alia ex aliis locis exorta. Adversus Dardanos, jam recipientes ex Macedonia sese, Athenagoram cum expeditis peditibus ac majore parte equitatus misit, jussum instare ab tergo abeuntibus, et, carpendo postremum agmen[3], segniores eos ad movendos domo exercitus efficere. Ætolos Damocritus prætor, qui moræ ad decernendum bellum ad Naupactum auctor fuerat, idem proximo concilio ad arma conciverat, post famam equestris ad Octolophum pugnæ, Dardanorumque et Pleurati cum Illyriis transitum in Macedoniam, ad hæc classis romanæ adventum in Oreum, et, super circumfusas tot Macedoniæ gentes, maritimam quoque instantem obsidionem.

XLI. Hæ causæ Damocritum Ætolosque restituerant Romanis; et, Amynandro rege Athamanum adjuncto, profecti Cercinium obsedere[1]. Clauserant portas, incertum vi, an voluntate; quia regium habebant præsidium: cæterum intra paucos dies captum est Cercinium atque incensum: qui superfuerant e magna clade, liberi servique, inter cæteram prædam abducti. Is timor omnes, qui circumcolunt Bœben paludem[2], relictis urbibus, montes coegit petere. Ætoli, inopia prædæ inde aversi, in Perrhæbiam ire pergunt. Cynetias ibi vi capiunt fœdeque diripiunt; qui Mal-

3. *Carpendo postremum agmen;* vid. III, 5, n. 1.

Cap. XLI. 1. *Cercinium obsedere* opp. Macedoniæ, cui forte vicina palus Cercinitis ap. Arrian. et Curt. I, 3.

2. *Bœben paludem*, Βοίβη oppid. et Βοιβιὰς lacus Thessaliæ (inter Sepiadem et Penei ostia) apud Stephan. Βοιβηΐς λίμνη apud Hom. Il. II, 711; Strab. IX, 436, et Plin. IV, 8 seu 15. Conf. Voss. ad Mel. II, 3, 82. — *Cyretias* ap. Polyb. III, 13, Χυρέτιας, quam statuit inter Estiotas, Thessaliæ populos. Ed.

Digitized by Google

lœam incolunt, voluntate in deditionem societatemque accepti. Ex Perrhæbia Gomphos petendi Amynander auctor erat; et imminet Athamania huic urbi, videbaturque expugnari sine magno certamine posse. Ætoli campos Thessaliæ opimos ad prædam petiere; sequente, quanquam non probante, Amynandro, nec effusas populationes Ætolorum, nec castra, quo fors tulisset loco, sine ullo discrimine ac cura muniendi, posita. Itaque, ne temeritas eorum negligentiaque sibi ac suis etiam cladis alicujus causa esset, quum campestribus locis subjicientes eos castra Phecado urbi[3] videret, ipse paulo plus quingentorum passuum inde tumulum suis, quamvis levi munimento tutum, cepit. Quum Ætoli, nisi quod populabantur, vix meminisse viderentur, se in hostium agro esse, alii palati semiermes vagarentur, alii in castris sine stationibus per somnum vinumque dies noctibus æquarent; Philippus inopinantibus advenit. Quem quum adesse refugientes ex agris quidam pavidi nuntiassent, trepidare Damocritus cæterique duces; et erat forte meridianum tempus, quo plerique graves cibo sopiti jacebant. Excitare igitur alii alios, jubere arma capere, alios dimittere ad revocandos, qui palati per agros prædabantur : tantaque trepidatio fuit, ut sine gladiis quidam equitum exirent, loricas plerique non induerent. Ita raptim educti, quum universi[4] sexcentorum ægre simul equites peditesque numerum explessent, incidunt in regium equitatum, numero, animis armis-

3. *Phecado urbi*, forte quæ *Pheca* dicitur XXXII, 14. — Hanc conjecturam firmat cod. Bamb. in quo ultimæ litteræ *do* a sec. manu additæ sunt, quum a prima scriptum sit *Pheca*. Ed. — *Paulo plus quingentorum passuum*, immo *quingentos passus*; Crev. et Drak.

4. *Quum universi*. Vocabulum *universi*, multi ignorant MSS, quod primus Gelen. restituit, et alii subinde sequuti sunt. Ed.

Digitized by Google

que præstantem : itaque primo impetu fusi, vix tentato certamine, turpi fuga repetunt castra. Cæsi captique quidam, quos equites ab agmine fugientium interclusere.

XLII. Philippus, suis jam vallo appropinquantibus, receptui cani jussit. Fatigatos enim equos virosque non tam prælio, quam itineris simul longitudine, simul præpropera celeritate, habebat. Itaque turmatim equites in vicemque manipulos levis armaturæ aquatum ire et prandere jubet; alios in statione armatos retinet, opperiens agmen peditum tardius ductum propter gravitatem armorum. Quod ubi advenit, et ipsis imperatum, ut, statutis signis armisque ante se positis, raptim cibum caperent, binis ternisve summum[1] ex manipulis aquandi causa missis : interim eques cum levi armatura paratus instructusque stetit, si quid hostis moveret. Ætoli (jam enim et, quæ per agros multitudo sparsa fuerat, receperat se in castra), ut defensuri munimenta, circa portas vallumque armatos disponunt, dum quietos hostes ipsi feroces ex tuto spectabant. Postquam mota signa Macedonum sunt, et succedere ad vallum parati atque instructi cœpere, omnes repente, relictis stationibus, per aversam partem castrorum[2] ad tumulum, ad castra Athamanum perfugiunt. Multi in hac quoque tam trepida fuga capti cæsique sunt Ætolorum. Philippus, si satis diei superesset, non dubius, quin Athamanes quoque exsui castris potuissent, die per prælium, deinde per

Cap. XLII. 1. *Binis ternisve summum;* vide ad XXI, 35, n. 7. — *Multitudo ... receperat se,* etc. Plures MSS *receperant.* Solet ita sæpe τὸ *multitudo,* quasi nomen collectivum, adsciscere verbum plurale; quod notavit Drak. ad VI, 19, n. 7. Ed.

2. *Per aversam partem castrorum;* vide ad III, 5, n. 3. Mox forte leg. *in tumulum ad castra,* vel *ad tum. in castra;* Gron.

Digitized by Google

direptionem castrorum absumpto, sub tumulo in proxima planitie consedit, prima luce insequentis diei hostem aggressurus : sed Ætoli eodem pavore, quo sua castra reliquerant, nocte proxima dispersi fugerunt. Maximo usui fuit Amynander, quo duce Athamanes, itinerum periti, summis montibus per calles ignotos sequentibus eos hostibus[3] in Ætoliam perduxerunt. Non ita multos in dispersa fuga error intulit in Macedonum equites, quos luce prima Philippus, ut desertum tumulum vidit, ad carpendum hostium agmen misit.

XLIII. Per eos dies et Athenagoras regius præfectus, Dardanos recipientes se in fines adeptus[1], postremum agmen primo turbavit. Dein, postquam Dardani conversis signis direxere aciem, æqua pugna justo prælio erat; ubi rursus procedere Dardani cœpissent, equite et levi armatura regii, nullum talis auxilii genus habentes Dardanos, oneratos immobilibus armis, vexabant : et loca ipsa adjuvabant. Occisi perpauci sunt, plures vulnerati, captus nemo, quia non excedunt temere ordinibus suis, sed confertim et pugnant, et cedunt. Ita damna romano accepta bello, duabus per opportunas expeditiones coercitis gentibus, restituerat Philippus, incepto forti, non prospero solum eventu. Minuit deinde ei forte oblata res hostium Ætolorum numerum. Scopas princeps gentis, ab Alexandria magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo missus, sex millia peditum et equites[2] mercede conductos Ægy-

3. *Per calles* (al. *colles*) *ignotos sequentibus eos hostibus*, si forte sequerentur; Gron. Cf. ad V, 2, n. 7.

Cap. XLIII. 1. *Dardanos... adeptus;* vide ad II, 30, n. 7.—*Postquam Dardani conversis.* Vocem *Dardani* supervacua Gronovio videtur; eam tamen non delendam existimat Drak. quia sæpius similes dictiones, quæ tuto omitti poterat, perspicuitatis causa Livius repetivit. Ed.

2. *Sex millia peditum et equites*,

Digitized by Google

ptum avexit : nec ex juventute Ætolorum quemquam reliquisset, ni Damocritus, nunc belli, quod[3] instaret, nunc futuræ solitudinis admonens (incertum cura gentis, an ut adversaretur Scopæ, parum donis cultus), partem juniorum castigando domi continuisset. Hæc ea æstate ab Romanis Philippoque gesta erant.

XLIV. Classis a Corcyra ejusdem principio æstatis cum L. Apustio legato profecta, Malea[1] superata, circa Scyllæum agri Hermionici Attalo regi conjuncta est. Tum vero Atheniensium civitas, cui odio in Philippum per metum jam diu moderata erat, id omne in auxilii præsentis spem effudit[2] : nec unquam ibi desunt linguæ promptæ ad plebem concitandam ; quod genus, quum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipue Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur. Rogationem extemplo tulerunt, plebesque scivit, *ut Philippi statuæ, imagines omnes nominaque earum*[3], *item majorum ejus virilis*

forte *et M.* vel *et D equites :* quorum numerus sine dubio excidit; Gron. — In cod. Bamb. esse *D equites* testatur Goeller, Gronovio plaudens. Ed.

3. *Nunc belli, quod instaret;* vide ad III, 6, n. 5. — *Hæc ea æstate... gesta erant :* ultima voce sic non uti solet Livius; Duk.

Cap. XLIV. 1. *Malea superata ;* vide ad II, 50, n. 4. — *Scyllæum* prom. naufragiis celebre et opp. (hod. *Capo Schilli* s. *Sciglio*) in quod poetæ Scyllam fabulantur mutatam, ad fretum Siculum inter Bruttios et Argolidem, cujus opp. *Hermion* s. *Hermione* non longe ab eo abest, ad sinum Hermionicum, partem Argolici, inter Maleam et Scyllæum promm. Σκύλλαιον τὸ ἐν τῇ Ἑρμιόνῃ dixit Strabo, VIII, 373, et τὸ Ἑρμιονικὸν ἀκρωτήριον τὸ Σκύλλαιον, X, 484. Conf. Eustath. ad Hom. Il. II, 560; ad Dionys. Perieg. v. 420; Voss. ad Scylac. Peripl. p. 20, ed. Oxon.

2. *Id omne in auxilii præsentis spem*, ob eam, illa freta, *effudit ;* cf. ad VII, 39, n. 2. — *Linguæ promptæ,* propr. homines linguæ p., *quod genus* hominum, etc. Demagogos designari, monet H. Steph. in Dicæarchi Sympractore, p. 65.

3. *Nominaque earum,* inscriptiones, vel titulos Philippi statuis et imaginibus inscriptos; sed forte leg. *imagines omnes, item majorum... omnium nominaque eorum* (Philippi et majorum ejus) *tollerentur;* Crev. Sed nota Duk. est : « Vox *earum* ab aliquo forte adsuta (nam sublatis statuis imaginibusque etiam nomina ea-

Digitized by Google

ac muliebris sexus omnium tollerentur delerenturque: dies festi, sacra, sacerdotes, quæ ipsius majorumve ejus honoris causa instituta essent, omnia profanarentur. Loca quoque, in quibus positum aliquid inscriptumve honoris ejus causa fuisset, detestabilia esse, neque in iis quidquam postèa poni dedicarique placere eorum, quæ in loco puro poni dedicarique fas esset. Sacerdotes publicos, quotiescumque pro populo atheniensi sociisque et exercitibus et classibus eorum precarentur, toties detestari atque exsecrari Philippum, liberos ejus regnumque, terrestres navalesque copias, Macedonum genus omne nomenque. Additum decreto, *Si quis quid postea, quod ad notam ignominiamque Philippi pertineret, ferret, id omne populum atheniensem jussurum: si quis contra ignominiam prove honore ejus dixisset fecissetve, qui occidisset eum, jure cæsurum.* Postremo inclusum[4], *ut*

rum tollebántur); et *nomina* ea, quæ aliis operibus adscripta erant: nam hoc quoque factum fuisse, patet ex verbis seqq. *loca, in quibus positum aliquid inscriptumve*, etc. Ex his omnibus nomina Philippi eradi, quemadmodum statuas imaginesque tolli voluerunt; quod apud Romanos quoque non semel factum est. (Cf. ad Tacit. Ann. II, 32, n. 3; VI, 2, n. 2; ad Juvenal. VIII, 18; X, 58 sq.) — Vulgatam lectionem defendere conatur Walchius, Emend. p. 208, dicens, dudum Athenis receptum fuisse morem insignibus viris non statuas solum ponendi, sed basibus etiam, quo augustior species esset, imponendi, et non modo titulis, verum et epigrammatibus, multoque verborum honore accumulato condecorandi. « An igitur videri possit mirum quod et statuæ et *nomina* etiam *earum* ne relinquerentur, cautum fuerit. Quid? si exoriretur qui relictis basibus cum titulis suis clam privato sumptu novas statuas imponendas curaret, quas violari in locis sacris religio vetaret? Irritum fuerat totum illud abolendi consilium et de integro res sancienda: ut non utilis sed prope necessaria debeat videri *nominum* diserta commemoratio.» Testem præterea adhibet Cicer. in Verr. IV, 34, 35, 36 et 57. Ed. — *Virilis ac muliebris sexus.* Codex Bamb. *virile ac muliebre secus*, quod exquisitius judicat Goeller, pag. 372, conferens intpp. Tac. Ann. IV, 62, et V. Hist. 13 Charis. apud Putsch. p. 61. Ed. — De *diebus festis* et *sacris*, honoris regum principumque causa institutis, multa habet Spanhem. epist. V, ad Morellum.

4. *Postremo inclusum*, insertum, adjectum decreto, ut XLV, 25. —

omnia, quæ adversus Pisistratidas decreta quondam erant, eadem in Philippo servarentur. Athenienses quidem literis verbisque, quibus solis valent, bellum adversus Philippum gerebant.

XLV. Attalus Romanique, quum Piræeum primo ab Hermione petissent, paucos ibi morati dies, oneratique æque immodicis ad honores sociorum[1], ac quæ in ira adversus hostem fecerant, Atheniensium decretis, navigant a Piræeo Andrum[2] : et quum in portu, quem Gaureleon vocant, constitissent, missis, qui tentarent oppidanorum animos, si voluntate tradere urbem, quam vim experiri, mallent; postquam præsidio regio arcem teneri, nec se potestatis suæ esse[3] respondebant; expositis copiis omnique apparatu urbium oppugnandarum, diversis partibus rex et legatus romanus ad urbem subeunt. Plus aliquanto Græcos romana signa armaque non ante visa animique militum, tam prompte succedentium muros[4], terruere : itaque fuga extemplo in arcem facta est; urbe hostes potiti. Et in arce quum biduum loci se magis, quam armorum, fiducia tenuissent, tertio die pacti

Quæ adversus Pisistratidas, Pisistratum ejusque filios, Atheniensium tyrannos, *decreta quondam erant;* cf. Justin. II, 8, 9; Aristot. Polit. V, 5; Meursii Pisistratus in Thes. Gronov. vol. V, et *Voyage du jeune Anacharsis*, t. I, pl. II, sect. 1. — *Literis verbisque, quibus solis valent*, etc. quo nomine etiam Demosthenes eos notavit; Duk. Conf. Victor. var. lect. IX, 16.

Cap. XLV. 1. *Æque immodicis ad* (κατὰ) *honores sociorum*, Attali Romanorumque, *ac quæ in ira adversus hostem fecerant*, scilic. Athenienses, scripsi ex emend. Gronov. qui etiam conj. *atque in ira a. h. fuerant* (quod recepit Drak.), et *ac quæ ira a. h. fecerat.* In edd. ante Drak. legitur *ac quæ in iram a. h. fuerant.*

2. *Navigant a Piræeo Andrum*, septemtrionalis Cycladum insula, quæ freto ab Eubœa australi, et alio angustiore a Teno insula dirimitur. Conf. XXXVI, 20. — *Gaureleon*, multi MSS *Gaurelon.* Γαύριον τῆς Ἀνδρίας χώρας memorari Xenoph. Hist. Græc. p. 440, monet Drak.

3. *Nec se potestatis suæ esse;* vide ad III, 62, n. 5.

4. *Succedentium muros*, al. *muro;* vide tamen ad lib. XXII, c. 28, n. 7.

Digitized by Google

ipsi præsidiumque, ut cum singulis vestimentis Delium Bœotiæ[5] transveherentur. Ea ab Romanis regi Attalo concessa : prædam ornamentaque urbis ipsi avexerunt. Attalus, ne desertam haberet insulam, et Macedonum fere omnibus[6] et quibusdam Andriorum, ut manerent, persuasit. Postea et ab Delio, qui ex pacto transvecti eo fuerant, promissis regis, quum desiderium quoque patriæ facilius ad credendum inclinaret animos, revocati : ab Andro Cythnum trajecerunt[7]; ibi dies aliquot oppugnanda urbe nequidquam absumpti; et, quia vix operæ pretium erat, abscessere. Ad Prasias (continentis Atticæ is locus est) Issæorum viginti lembi classi Romanorum adjuncti sunt : ii missi ad populandos Carystiorum agros, cætera classis Geræstum, nobilem Eubœæ portum, dum a Carysto Issæi redirent, tenuit. Inde omnes, velis in altum datis, maris medio præter Scyrum insulam Icum pervenere, ibi paucos dies, sæviente borea, retenti; ubi

5. *Delium Bœotiæ* oppidulum, triginta stadiis ab Aulide, ad mare, cum templo Apollinis, ad formam ejus, quod in Delo insula erat, exstructo; vid. XXXV, 51 pr. Pausan. IX, 20; Strab. IX, p. 368, 403; Herodot. VI, 118; Thucyd. IV, 76; Appian. Syr. 12; Wessel. ad Diodor. t. II, p. 574, et Holsten. ad Steph. Byz. v. Δήλιον. In mediterraneis Bœotiæ oppidis recensetur a Ptolem. III, 15. — Post voc. *transveh.* cod. Bamb. addit *urbem arcemque tradiderunt.* Ed.

6. *Macedonum fere omnibus;* vide ad XXIV, 32, n. 4. Mox *faciles ad credendum* malebat Gron.

7. *Ab Andro Cythnum trajecerunt,* insulam juxta Ceam Atticamque sub Eubœa; v. Strab. 10 extr. et Intpp. Tac. Hist. II, 8. Hæ insulæ Cyclades præsidiis Macedonum tenebantur; v. cap. 15. — *Prasiæ, continentis Atticæ locus;* v. Strab. IX, 399. Aliæ *Prasiæ* Laconicæ in Argolico sinu; v. Duker. ad Thucyd. II, 56. — *Issa* insula et oppidum ejus, in mari Hadriatico, prope Pharum oramque Illyrici : unde *Issæi* s. Issii, et *Issaici lembi* XXXII, 21, *Issenses naves* XLIII, 9. Cf. Ind. et Schweigh. ad Polyb. II, 8 et 11; XXXII, 18. — *Carystus* Eubœæ opp. inter Caphareum et *Geræstum* (cui *Geræstus* opp. cum portu subjacet) promontoria. — *Scyrus* (hod. *Sciro*), *Icus* et *Sciathus* insulæ Cyclades in mari Ægæo. *Sciathus* male legitur in edd. recentt. XXXV, 43, 3. *Icum* inter Scyrum et Sciathum sitam, docet Strabo, l. IX, p. 436. — *Prima tranquillitas* boreæ, aut maris, ut XXV, 27.

Digitized by Google

prima tranquillitas data est, Sciathum trajecere, vastatam urbem direptamque nuper a Philippo. Per agros palati milites frumentum, et si qua alia usui esse ad vescendum poterant, ad naves retulere; prædæ nec erat quidquam, nec meruerant Græci, cur diriperentur. Inde Cassandream[8] petentes primo ad Mendin, maritimum civitatis ejus vicum, tenuere; inde quum, superato promontorio, ad ipsa mœnia urbis circumagere classem vellent, sæva coorta tempestate, prope obruti fluctibus, dispersi, magna ex parte amissis armamentis, in terram effugerunt. Omen quoque ea maritima tempestas ad rem terra gerendam fuit; nam, collectis in unum navibus[9] expositisque copiis, aggressi urbem, cum multis vulneribus repulsi (et erat validum ibi regium præsidium), irrito incepto regressi Canastræum Pallenes trajecere. Inde, superato Toronæ promontorio[10], navigantes Acanthum petiere: ibi primo ager vastatus, deinde ipsa urbs vi capta ac direpta. Nec ultra progressi (jam enim et graves præda naves habebant) retro, unde venerant, Sciathum et ab Sciatho Eubœam repetunt.

XLVI. Ibi relicta classe, decem navibus expeditis sinum Maliacum[1] intravere, ad colloquendum cum Ætolis de ratione gerendi belli. Sipyrrhicas ætolus

8. *Inde Cassandream* (vide ad XXVIII, 8, n. 8) *petentes primo ad Mendin tenuere;* vide ad I, 1, n. 8. — Præpositio *ad* Creverio non necessaria videtur; quam omittit Victor. codex: si quis tamen eam retentam velit, explicanda hoc modo, tenuere litus ad Mendin, litus vicinum vico qui vocatur Mendis. Ed. — *Inde... inde;* vide ad I, 3, n. 8. — *Superato;* vide ad II, 50, n. 4.

9. *Collectis in unum navibus;* vide ad librum XXVII, cap. 39, n. 2.

10. *Canastræum Pallenes.....superato Toronæ promontorio;* vide ad II, 50, n. 4, et XXVIII, 7, n. 6. — *Acanthus* oppid. Macedoniæ (hod. *Erisso*), ad sinum Strymonicum vel Singiticum. Cf. Herodot. VII, 121 sq. et Marcianus Heracl. p. 27. — *Retro repetunt;* vide ad librum II, c. 45, n. 10.

Cap. XLVI. 1. *Sinum Maliacum... Heracleam;* vide ad XXVIII, 5, n. 6.

Digitized by Google

princeps legationis ejus fuit, quæ ad communicanda consilia Heracleam cum rege et cum romano legato venit. Petitum ex fœdere ab Attalo est, ut mille milites præstaret; tantum enim numerum bellum gerentibus adversus Philippum debebat : id negatum Ætolis; quod illi quoque gravati prius essent ad populandam Macedoniam exire, quo tempore, Philippo circa Pergamum urente sacra profanaque[2], abstrahere eum inde respectu rerum suarum potuissent. Ita Ætoli cum spe magis, Romanis omnia pollicentibus, quam cum auxilio dimissi. Apustius cum Attalo ad classem rediit; inde consultari de Oreo oppugnando cœptum: valida ea civitas et mœnibus, et, quia ante fuerat tentata[3], firmo erat præsidio. Conjunxerant se iis post expugnationem Andri cum præfecto Agesimbroto viginti rhodiæ naves, tectæ omnes : eam classem in stationem au Zelasium miserunt (Isthmiæ id super Demetriadem[4] promontorium est peropportune objectum), ut, si quid inde moverent Macedonum naves, in præsidio essent. Heraclides præfectus regius classem[5] ibi tenebat, magis per occasionem, si quam negligentia hostium dedisset, quam aperta vi quidquam ausurus. Oreum diversi Romani et rex Attalus oppugnabant;

2. *Philippo circa Pergamum urente sacra*, in his *templum Veneris* et *Nicephorium*, lucum juxta Pergamum ab Eumene consitum, teste Strabone, XIII, pag. 624. Conf. ad XXXII, 33, 34; Polyb. XVI, 1; XVII, 2 et 6.

3. *Quia antea fuerat tentata;* vide XXVIII, 5 sq. et ad IX, 35, n. 1. — *Rhodiæ naves, tectæ omnes;* vide ad XXII, 19, n. 4.

4. *Ad Zelasium miserunt, Isthmiæ id super Demetriadem*, ultra D. *est*, vel potius e regione Demetriadis in alto mari (cf. ad XXVII, 32, n. 5, et XXXI, 47, n. 3), *promontorium;* sed Gron. emend. *ad Phalasiam miserunt, Istiææ id* vel *Istriæoridos super D. p.* Non male. *Phalasia* prom. Euboeæ, et Oreus olim dicta *Istiæa*, seu Histiæa, seu Hestiæa, ut regio illa Istiæotis, seu Histiæotis; v. Strab. X, p. 683 B; Pausan. VII, 26; Cellar. Geogr. ant. II, 14, pag. 811, 812.

5. *Heraclides præfectus regius classem*, etc. vide ad XXXII, 5, n. 5.— *Diversi Romani et Attalus;* vide ad III, 60, n. 1.

Digitized by Google

Romani a maritima arce, regii adversus vallem inter duas jacentem arces, qua et muro intersepta urbs est: et ut loca diversa, sic dispari modo etiam oppugnabant; Romani testudinibus et vineis et ariete admovendo muris; regii ballistis catapultisque et alio omni genere tormentorum tela ingerentes. Et pondere ingenti saxa jaciebant et cuniculos[6], et quidquid aliud priore oppugnatione expertum profuerat. Cæterum non plures tantum Macedones, quam ante, tuebantur urbem arcesque, sed etiam præsentioribus animis, et, castigationibus regis in admissa culpa[7], simul minarum, simul promissionum in futurum memores, ita ut parum in expugnatione celeri spei esset. Interim et aliud agi posse ratus legatus, relictis, quot satis videbantur ad opera perficienda, militibus[8] trajicit in proxima continentis; Larissamque (non illam in Thessalia nobilem urbem, sed alteram, quam[9] Cremasten vocant) subito adventu, præter arcem, cepit. Attalus

6. *Tela ingerentes et pondere ingenti saxa, et cuniculis*, etc. emend. Gron. verbo *jaciebant* deleto, quod *cuniculis* non convenit. Malim: *tela ingerentes et pondere ingenti saxa: agebant et cuniculos*, etc. Vulgatam lect. servari posse putabant Crev. et Drak. si ad *cuniculos* suppleatur *agebant*. Sed quomodo hæc notio in præc. *jaciebant* latet? Cf. ad librum I, cap. 33, n. 7.

7. *Et castigationibus regis in admissa culpa*, etc. immo leg. *et castigationis regiæ... memores*: nam quum peccassent antea, Philippus eos sermonibus ita castigavit, ut partim minis, si culpam iterarent, partim pollicitis, si fortiter facerent, ageret; Gron. Cf. XXVIII, 8. *Præsentioribus animis ex castigationibus*, etc. conj. Dujat. Nihil vero mutandum monent Duk. et Drak. sed *castigationibus* accipiendum pro *propter castigationes*.

8. *Relictis, quot satis videbantur ad o. p., militibus*; vox ultima abest a multis MSS et edd. In plerisque vero edd. vett. ante Gron. legitur *quod satis videbatur*. Illud non improbabat Drak., hoc Duker. ut *quod* dictum sit pro *quod militum* vel *eorum*, h. e. *quantum*, ut XXIV, 40, n. 6. Cf. Periz. ad Sanctii Min. III, 6, 1; IV, 4, 77, et Burm. ad Ovid. Her. VIII, 5.

9. *Larissam Cremasten* (pensilem), seu Pelasgiam in Phthiotide Thessal., prope Echinum et XX stadia a mari; vid. Strab. IX, 5, 13, p. 435; Polyb. XVII, 3, 8; XVIII, 21; Ptol. III, 13. Mox malim cum Crev. pro *timen-*

Digitized by Google

quoque Ægelcon, nihil minus quam tale quidquam in alterius oppugnatione urbis timentibus, oppressit. Et jam quum opera in effectu erant circa Oreum, tum præsidium, quod intus erat, labore assiduo, vigiliis diurnis pariter nocturnisque, et vulneribus confectum : muri quoque pars, ariete incusso subruta, multis jam locis prociderat; perque apertum ruina iter nocte Romani, quodque super portum est, in arcem perruperunt. Attalus luce prima, signo ex arce dato ab Romanis, et ipse urbem invasit, stratis magna ex parte muris : præsidium oppidanique in alteram arcem perfugere; unde biduo post deditio facta : urbs regi, captiva corpora Romanis cessere.

XLVII. Jam autumnale æquinoctium instabat : et est sinus Euboicus, quem Cœla vocant[1], suspectus

tibus legere *timentes* et jungere *Ægelcon timentes;* vide ad III, 47, n. 1. Pro *Ægelcon* forte leg. *Ptelcon*. — *Muri quoque pars*, etc. Hunc locum valde impugnat Walchius, Emend. p. 128 sqq. Eum enim offendunt *muri pars* juncta cum *multis locis*, *subruta* cum *prociderat;* offendit *ruina*, singulari numero, de muro, qui multis partibus procidit; offendit *quodque super portum est:* et horum pleraque non immerito. Itaque locum sic vult refingi : *muri quoque (pars ariete inc. subruta) mult. jam loc. quodque supra port. est prociderat, perque ap. ruina it. nocte Rom. in arc. perr.* Non hac emendatione contentus fuit Büttner qui, Obs. p. 85 sqq. plura quoque disputat, eamque de hoc loco perfert conjecturam : *Muri quoque pars, ariete inc. subruti multis jam locis, prociderat : perque ap. rui. it. noc. Rom.* [*quodque super port. est*] (de his desperat) *in arcem perr.* Judicet lector. Ed.

Cap. XLVII. 1. *Sinus Euboicus, quem Cœla vocant :* nota Dukeri est : « Hic *sinus Euboicus* vocatur etiam Oros. VI, 15, et κοῖλος Εὐβοϊκὸς μυχὸς Eurip. Troad. 84, de naufragio Græcorum ad Caphareu in reditu a Troja : nam circa hunc proprie fuisse, quæ τὰ κοῖλα τῆς Εὐβοίας et κοῖλα Εὔβοια dicebantur, patet ex Dion. Chrys. Orat. VII; Tzetze ad Lycophr. v. 384, et Philostr. Heroic. X, 11, et in vita Apollon. I, 24; III, 23. Strab. l. X pr. auctor est, Εὐβοίας τὰ κοῖλα vocari τὰ μεταξὺ Αὐλίδος (Βοιωτίας) et τῶν περὶ Γεραιστὸν (Euboeæ) τόπων : nam latius productam fuisse hanc appellationem, intelligi potest ex Val. Max. I, 8, 10; Lucano, V, 195, 230 sq. et Philostr. vita Apoll. I, 24, ubi conf. Olear. Malim tamen cum Casaub. ex Epit. Strab. legere Καφαρέως pro Αὐλίδος, quia, si Αὐλίδος scripsisset Strabo, *Caphareu* potius, quam *Geresium*, nominaturus fuisse videtur. » Cæterum ad *sinum* maritimum trans-

Digitized by Google

nautis : itaque, ante hiemales motus[2] evadere inde cupientes, Piræeum, unde profecti ad bellum erant, repetunt. Apustius, triginta navibus ibi relictis, super Maleam[3] navigat Corcyram : regem spatium Initiorum Cereris, ut sacris interesset, tenuit. Secundum[4] Initia et ipse in Asiam se recepit, Agesimbroto et Rhodiis domum remissis. Hæc ea æstate terra marique adversus Philippum sociosque ejus a consule et legato Romanis, adjuvantibus rege Attalo et Rhodiis, gesta. Consul alter C. Aurelius ad confectum bellum[5] quum in provinciam venisset, haud clam tulit iram adversus prætorem, quod absente se rem gessisset : misso igitur eo in Etruriam, ipse in agrum hostium legiones induxit; populandoque, cum præda majore, quam gloria, bellum gessit. L. Furius, simul quod in Etru-

lata, quæ de tractu terræ docent geographi, Ptol. III, 15, et Strab. X pr. sc. tractum Eubœæ a Geræsto prom. ad Aulidem sive Chalcidem dictum fuisse τὰ Κοῖλα *(die Höhlung)* τῆς Εὐβοίας propter situm, quoniam ibi κολποῦται ἡ παραλία, sinuatur ora maritima, et ab Chalcide κυρτοῦται πάλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, curvatur denuo in continentem. Conf. Oros. VI, 16; Lucan. V, 231 sq. et Valer. Max. I, 8, 9. Similiter Κοῖλα vocantur loca concava, humilia et depressa, cavæ et profundæ valles, seu convalles, verbi c. *Cœla Thessaliæ* XXXII, 4; fauces ejus concavæ, *confragosa loca implicatæque flexibus vallium viæ; Cœle Syria* XXXIII, 19; XLII, 29; ubi etiam *Cœlen Syriam* edidit Drak. pro vulg. *Cœlesyriam*, quia in MS et edd. antt. legitur *Cœlensyriam*, conf. ad XXXII, 5, n. 4, XLV, 11; ἡ Κοίλη Συρία, Cœlesyria, cava Syria (*Hohlsyrien*), et simpl. *Cœle* ap. Mel. I, 11, propr. planities seu valles inter Libanum et Antilibanum, deinde tractus Syriæ per totam Phœnicen et Palæstinam pertinens usque ad Raphiam finesque Ægypti; et τὰ Κοῖλα τῆς Ναυπακτίας, convalles agri Naupactii, apud Polyb. V, 103, 4.

2. *Ante hiemales motus*, maris et fluctuum agitationemque, qualis hieme esse solet.

3. *Super Maleam*, supra, ultra Maleam (*Malea superata* XXXI, 44 pr.), ut XLII, 56, n. 1, et gr. ὑπὲρ τὴν Μαλέαν. Conf. ad XXVIII, 8, n. 6; XXX, 4, n. 6; XXXI, 46, n. 4; XLIII, 21, n. 4; Sall. Jug. 19 (22); Virg. Æn. VI, 795; Duk. ad h. l. Victor. et Manut. ad Cic. ad Fam. IV, 12.

4. *Secundum Initia;* vide ad I, 4, n. 1, et XXXI, 14, n. 4.

5. *Consul alter C. Aurelius ad confectum bellum quum*, etc. vid. c. 22.

Digitized by Google

ria nihil erat rei, quod gereret, simul gallico triumpho imminens[6], eumque, absente consule irato atque invidente, facilius impetrari posse ratus, Romam inopinato quum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit[7]; expositisque rebus gestis, ut triumphanti sibi in Urbem invehi liceret, petit.

XLVIII. Apud magnam partem senatus et magnitudine rerum gestarum valebat et gratia. Majores natu negabant triumphum, *et quod alieno exercitu rem gessisset*[1], *et quod provinciam reliquisset aviditate rapiendi per occasionem triumphi*[2]; *id vero eum nullo exemplo fecisse.* Consulares præcipue, *exspectandum fuisse consulem*, dicebant; *potuisse enim castris prope Urbem positis, tutanda colonia, ita ut acie non decerneret, in adventum ejus rem extrahere; et, quod prætor non fecisset, senatui faciendum esse. Consulem exspectarent; ubi coram disceptantes consulem et prætorem audissent, verius de causa existimaturos*[3] *esse.* Magna pars senatus nihil præter res gestas, et an in magistratu suisque auspiciis gessisset, censebant spectare senatum debere. *Ex duabus coloniis*[4], *quæ velut claustra ad cohibendos gallicos tumultus oppositæ fuis-*

6. *Gallico triumpho imminens;* vide ad III, 51, n. 3. Mox *eumque* scripsi pro vulg. *quem* suadente Gron. Ita Hearnii L. 1.

7. *Senatum in æde Bellonæ h.* etc. vide ad XXVI, 21, n. 1.

Cap. XLVIII. 1. *Negabant triumphum, et quod alieno exercitu rem*, etc. vide ad XXVI, 21, n. 1. C. Aurelio consuli bellum erat mandatum; vid. cap. 11.

2. *Rapiendi per occasionem triumphi;* vide ad VI, 23, n. 3. — *Consulem exspectarent.* Hæc nimis imperatorie dicta videntur Goellero, qui commodius legendum putat e cod. Bamb. *senatui fac. esse, ut consulem exspectaret.* In nostris omnibus, quos consuluerim, *exspectare* legitur, nullo signo superscripto. Ed.

3. *Verius de causa existimaturos;* vide ad III, 19, n. 8, et IV, 15, n. 1. — *An in magistratu suisque auspiciis gessisset* res; vide ad XXVI, 21, n. 1, et XXVIII, 38, n. 4. De rebus ab eo gestis, vid. cap. 21.

4. *Ex duabus coloniis*, Placentia et Cremona, . . . *quum una*, Placentia,

Digitized by Google

sent, quum una direpta et incensa esset, trajecturumque id incendium, velut ex continentibus tectis, in alteram tam propinquam coloniam esset, quid tandem prætori faciendum fuisse? nam, si sine consule geri nihil oportuerit, aut senatum peccasse, qui exercitum prætori dederit (potuisse enim, si non cum prætoris, sed consulis, exercitu rem geri voluerit, ita finire senatusconsultum, ne per prætorem, sed per consulem gereretur), aut consulem, qui non, quum exercitum ex Etruria transire in Galliam jussisset, ipse Arimini occurrerit, ut bello interesset, quod sine eo geri fas non esset. Non exspectare belli tempora moras et dilationes imperatorum; et pugnandum esse interdum, non quia velis, sed quia hostis cogat. Pugnam ipsam eventumque pugnæ spectari oportere: fusos cæsosque hostes; castra capta ac direpta; coloniam liberatam obsidione; alterius coloniæ captivos recuperatos restitutosque suis; debellatum uno prælio esse. Non homines tantum ea victoria lætatos, sed diis quoque immortalibus per triduum supplicationes habitas[5], *quod bene ac feliciter, non quod male ac temere, respublica a L. Furio prætore gesta esset. Data fato etiam quodam Furiæ genti gallica bella.*

XLIX. Hujus generis orationibus ipsius amicorumque victa est, præsentis gratia prætoris, absentis consulis majestas; triumphumque frequentes L. Furio decreverunt. Triumphavit de Gallis in magistratu L. Furius prætor. In ærarium tulit trecenta viginti millia[1] æris, argenti centum septuaginta millia pondo;

etc. cap. 10 et 21. — *Velut claustra ad cohibendos*, etc. vid. ad librum XXI, cap. 25.

5. *Supplicationes habitas;* vid. cap. 22 pr. et ad III, 63, n. 2. — *Furiæ genti;* conf. V, 49; VI, 42, et VII, 25 sq.

Cap. XLIX. 1. *Trecenta vig. millia.* Grave æs hic cum Creverio intelligimus; itaque summa hæc æris par erit

neque captivi ulli ante currum ducti, neque spolia prælata, neque milites sequuti. Omnia, præter victoriam, penes consulem esse apparebat. Ludi deinde a P. Cornelio Scipione, quos consul in Africa voverat, magno apparatu facti : et de agris militum ejus decretum, ut, quot quisque eorum annos in Hispania aut in Africa militasset, in singulos annos bina jugera acciperet; eum agrum decemviri assignarent[2]. Triumviri inde creati ad supplendum Venusinis colonorum numerum, quod bello Hannibalis attenuatæ vires ejus coloniæ erant, C. Terentius Varro, T. Quintius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio : hi[3] colonos Venusiam adscripserunt. Eodem anno C. Cornelius Cethegus, qui proconsul Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum in agro sedetano fudit : quindecim millia Hispanorum eo prælio dicuntur cæsa, signa militaria capta octo et septuaginta. C. Aurelius consul, quum ex provincia Romam comitiorum causa venisset, non id, quod animis præceperant, questus est, *non exspectatum se ab senatu, neque disceptandi cum prætore consuli potestatem factam;* sed *ita triumphum decresse senatum, ut nullius, nisi ejus, qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret. Majores ideo instituisse, ut legati, tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adessent, ut veritas rerum gestarum ejus, cui tantus honos haberetur, publice videretur*[4]. *Ec-*

denariis 32,000, et marcis argenti nostratibus 500. Ed. — *Argenti cent. sept. millia*, selibras nostrates pondo 265,625. Ed. —*Ludi deinde a P. Cornelio Scipione, quos consul in Africa voverat*, etc. vide ad XXVIII, 39, n. 1, et cf. Polyb. XVI, 23, 7.

2. *Bina jug. acciperet; eum agrum decemviri assignarent;* cf. cap. 4, et ad VI, 36, n. 5.

3. *Hi colonos Venusiam adscripserunt;* vide tamen ad lib. IV, 25, n. 4.

4. *Ut veritas rerum gestarum... publice videretur*, palam et ab omnibus

Digitized by Google

quem ex eo exercitu, qui cum Gallis pugnaverit, si non militem, lixam saltem fuisse, quem percunctari posset senatus, quid veri prætor vanive referret? Comitiis deinde diem edixit[5]; quibus creati sunt consules L. Cornelius Lentulus, P. Villius Tappulus: prætores inde facti L. Quintius Flamininus, L. Valerius Flaccus, L. Villius Tappulus, Cn. Bæbius Tamphilus.

L. Annona quoque eo anno pervilis[1] fuit. Frumenti vim magnam ex Africa advectam ædiles curules M. Claudius Marcellus et Sex. Ælius Pætus binis æris in modios populo diviserunt: et ludos Romanos magno apparatu fecerunt; diem unum[2] instaurarunt: signa ænea quinque ex mulctaticio argento in ærario posuerunt. Plebeii ludi ab ædilibus L. Terentio Massiliota et Cn. Bæbio Tamphilo, quem prætorem designaverant, ter toti instaurati: et ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Lævini causa, a P. et M. filiis ejus facti; et munus gladiatorium[3] datum ab iis: paria quinque et viginti pugnarunt. M. Aurelius Cotta, decemvir sacrorum,

perspiceretur, cognosceretur. — Pro *veritas* duo e nostris habent *virtutes*, quod et alii jam notaverunt. Goeller e cod. Bamb. sic locum restituit: *ut verum rer. gest....hab. populus romanus videret.* Ed.

5. *Comitiis deinde diem edixit* MSS optimi. *Indixit* edd. ante Drak. Similiter *edicere senatum* III, 38; *diem militibus, supplicationem populo, comitia* XXII, 12 (ubi v. not. 1); XXII, 33; XXIV, 37; XXXII, 1; XXXIII, 14; XL, 59, et *indicere concilio diem, comitia*, etc. XXVII, XXX, XXXVI, 6 al. *edicere* et *indicere justitium* III, 3; IV, 26; *edicere* et *indicere delectum* II, 55; III, 10; V, 19; XXV, 57. Cf. ad XXI, 63, n. 1, et Drak. ad h. l. et III, 38, n. 13.

Cap. L. 1. *Annona...pervilis fuit;* vide ad II, 34, n. 10. — *Populo diviserunt* « h. e. plebi, fæci populi, ut XXX, 26; XXXI, 4; XXXIII, 42; ap. Suet. Cæs. 41, et Aug. 40, 41, 42 ». Duk. Quæ loca omnia de largitionibus frumentariis agunt, ad quas tenuis tantum plebecula admittebatur. Similiter tribuni ad *populum*, h. e. plebem, rogationes tulisse dicuntur III, 9; VII, 42; X, 13 al. Cf. ad Epit. Liv. 115, 3.

2. *Ludos Romanos...instaurarunt;* vide ad II, 36, n. 1.

3. *Ludi funebres...munus gladia-*

Digitized by Google

mortuus : in ejus locum M'. Acilius Glabrio suffectus. Comitiis ædiles curules creati sunt forte ambo, qui statim occipere magistratum non possent; nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, quum Hispaniam obtineret provinciam[4]; C. Valerius Flaccus, quem præsentem creaverant, quia flamen dialis erat, jurare in leges non poterat; magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solveretur, senatus decrevit, ut, si ædilis, qui pro se juraret, arbitratu consulum daret, consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent : datus, qui juraret pro fratre, L. Valerius Flaccus, prætor designatus. Tribuni ad plebem tulerunt, plebesque scivit, ut

torium, etc. vid. XXIII, 30, n. 9. — *M. Valerii Lævini causa a P. et M. filiis;* cf. quæ de iis Drak. disputavit adversus Pigh. in Ann. ad a. U. 563, 566, 576.

4. *C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, quum Hispaniam obtineret provinciam:* Sigonius recte ex Livio ordinat successionem eorum, qui Hispaniis præfuere : qui an. U. 533 fuere P. et Cn. Cornelii Scipiones (XXI, 17, 32); an. 539 P. Scipio P. F. Africanus; a. 544 L. Lentulus et L. Manlius Acidinus (XXVIII, 38); an. 550 C. Cornelius Cethegus (XXXI, 20, 49, 50). « Sed non tollit, quod in narratione Livii de L. Manlii Acidini et L. Cornelii Lentuli successoribus difficile et obscurum est. Hi P. Scipioni successerunt XXVIII, 38; ubi quum quinque annos fuissent, de successione actum in senatu, XXX, 41. Sexto anno Lentulus ex Hispania rediit accepto successore Cornelio Cethego (XXXI, 20, 49), et relicto in provincia Acidino, qui anno post decessit, et successorem habuit L. Stertinium, XXXII, 50; XXXII, 7. » Duk. Hæc parum accurate traduntur a Livio : unde etiam mutilatum esse quadam parte hunc librum, suspicati sunt Glar. et Pigh. ad an. 553. — *Quia flamen dialis erat, jurare in leges non poterat,* πότερον ὅτι βάσανός τις ἐλευθέρων ὁ ὅρκος ἐστὶ, δεῖ δὲ ἀβασάνιστον εἶναι καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν τοῦ ἱερέως ; ἢ ὅτι περὶ μικρῶν ἀπιστεῖσθαι τὸν τὰ θεῖα καὶ μέγιστα πεπιστευμένον οὐκ εἰκός ἐστιν ; ἢ ὅτι πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας, κατάρα δὲ δύσφημον καὶ σκυθρωπόν ; ἢ κοινὸς ὁ τῆς ἐπιορκίας κίνδυνος, ἂν ἀνὴρ εὐσεβὴς καὶ ἐπίορκος εὐχῶν κατάρχηται καὶ ἱερῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως ; Plutarch. Quæst. Rom. 44; Opp. t. II, p. 275. Temporibus tamen imperatorum in acta eorum jurabant; vid. Dio Cass. LIX, 13, et Gell. X, 15, ubi et Fabius Pictor. — *Jurare in leges..., magistratum autem*, etc. vid. ad lib. XXIX, cap. 37, n. 9.

Digitized by Google

perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset. Et de altero ædile scitum plebis est factum, rogantibus tribunis, quos duos in Hispaniam cum imperio ad exercitus ire juberent, ut C. Cornelius ædilis curulis ad magistratum gerendum veniret, et L. Manlius Acidinus decederet de provincia multos post annos. Plebes Cn. Cornelio Lentulo et L. Stertinio pro consulibus imperium esse in Hispania jussit.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXII.

BREVIARIUM.

Cap. I; Provinciæ et legiones divisæ. Feriæ Latinæ instauratæ ob carnem non datam legatis Ardeatium. Prodigia nuntiata ac procurata. — II; Carthaginienses argentum in stipendium impositum primum Romam advehunt, iisque petentibus obsidum pars redditur, pars alio traducitur. Gaditanis petentibus remittitur, ne præfectus mittatur Gades; et Narniensibus colonorum numerus expletur. — III; P. Villius consul in Macedonia comprimit seditionem militum, missionem postulantium. — IV; Philippus frustra oppugnat Thaumacos, et inde in Macedoniam in hiberna copias reducit. — V; Ibi popularium animos sibi conciliat, Heraclide in vincula conjecto; belloque magna cura apparato, cum Athenagora ad Aoum amnem idonea munit loca. — VI; Consul adversus eum nihil memorabile gerit. — VII; Censores creantur P. Cornelius Scipio Africanus et P. Ælius Pætus. L. Manlius Acidinus, ex Hispania decedens, ovans Urbem ingreditur. Cn. Bæbius Tamphilus prætor, circumventus a Gallis Insubribus, multos milites amittit, et, exercitu L. Lentulo consuli tradito, abire Romam jubetur. Creantur consules (Sex. Ælius Pætus et T. Quintius Flamininus, qui consulatum ex quæstura petierat), et prætores. Ludi plebeii et Romani. — VIII; Consules prætoresque sortiuntur provincias, et delectus habetur. Attalus nuntiat senatui rom., regnum suum invadi ab Antiocho. — IX; Prodigiis procuratis Ælius proficiscitur in Galliam, Quintius in Macedoniam. — X; Philippus et consul in arctissimis Aoi ripis

Digitized by Google

faucibusque Epiri veniunt in colloquium; sed re infecta recedunt. — XI; Pastor quidam, a Charopo principe Epirotarum missus, partem exercitus romani per saltum, a Macedonibus obsessum, supra caput eorum deducit in verticem montis. — XII; Pugna inde exorta hostes circumventi fugiunt, petuntque Thessaliam. — XIII; Ibi rex urbes sociorum, mox futuras hostium, incendit, et in Macedoniam regreditur: quo facto Ætoli, — XIV; Amynander et Athamanes multa Thessaliæ oppida diripiunt. — XV; Eamdem terram vastat T. Quintius. — XVI; Interea frater ejus, L. Quintius, cum classe rom. Piræeum, et inde, conjunctus Attali Rhodiorumque navibus, Eubœam petit, capitque Eretriam — XVII; et Caristum. Consul vero Atracem diu ac frustra oppugnat: — XVIII; nec rationem procul a mari et in Thessalia belli cladibus evastata hibernandi ullam cernens transgreditur in Phocidem, et nonnulla ejus oppida castellaque expugnat. — XIX; Eo auctore a fratre, Atheniensibus, Attalo ac Rhodiis, Corinthum oppugnare parantibus, ad Achæos eorumque prætorem, Aristænum, qui Cycliadæ successerat Romanisque gentem jungi cupiebat, legati mittuntur; quorum perpetuis orationibus Sicyone absumitur dies. — XX - XXI; Aristænus suadet societatem romanam. — XXII; Inter demiurgos seu magistratus Achæorum certamen oritur nihilo segnius, quam inter multitudinem, et prius, quam decretum fit, Dymæi, Megalopolitani ac quidam Argivorum relinquunt concilium. — XXIII; Cæteri Achæorum populi societatem cum Attalo ac Rhodiis præsenti confirmant decreto, cum Romanis in id tempus differunt, quo Romam mitti possunt legati. Tum Corinthus omni vi oppugnatur; sed irrito tandem incepto Attalus Piræeum, Romani Corcyram petunt. — XXIV; Interim consul in Phocide scalis capit Elatiam. — XXV; Cæterum adventu in Achaiam Philoclis regii præfecti non Corinthus tantum liberatur obsidione, sed Argos quoque ei proditur. — XXVI; Sex. Ælius in Gallia totum prope annum Cremonensibus Placentinisque cogendis redire in colonias consumit. Circa Urbem vero tumultus pæne excitatur a servis conjurantibus, quorum magna vis erat Setiæ cum obsidibus Carthaginiensium. — XXVII; Attalus legatos Romam, et Masinissa triticum auxiliaque ad exercitum rom. mittit. M. Porcius Cato e Sardinia fugat feneratores, sumptusque a sociis in cultum prætorum factos circumcidit aut tollit. Consules creantur C. Cornelius Cethegus et Q. Minucius

Digitized by Google

Rufus, primumque illo anno sex prætores. — XXVIII; Consulibus, Italiam Macedoniamque sortiri parantibus, bellum mandatur cum Gallis Cisalpinis, et Quintiis imperium in Macedonia prorogatur.—XXIX; Prodigia procurantur; et quinque coloniæ deducuntur in oram maritimam. Consules ambo in Galliam proficiscuntur, et brevi omnia fere cis Padum sub ditionem rom. redigunt. — XXX; Insubres a Cornelio vincuntur, et Cenomani, ad defectionem ab iis sollicitati, dedunt se Romanis. — XXXI; Minucius populatur agros Boiorum, et Ligustinos Ilvates subigit. — XXXII; T. Quintius Opuntem oppugnare statuit, et Philippo petenti colloquium concedit prope Nicæam. — XXXIII - XXXVI; Res altercationibus, regis maxime sociorumque consulis, teritur, et bis differtur in alium diem. Tandem inducias facere placet, donec legati Romam mittantur ad senatum. — XXXVII; Hi infecta pace redeunt. — XXXVIII; Philippus, de longinquis Achaiæ oppidis sollicitus, Philocli solam Corinthum dat tuendam, et Argos Nabidi velut fiduciarium tradit. Is ibi sævit in principes, — XXXIX; et mox a Quintio atque Attalo colloquium petit impetratque, in quo de conditionibus amicitiæ agitur. — XL; Auxilia mittit Romanis, et, Lacedæmonem regressus, Argos præsidio firmatos uxorem remittit ad feminas spoliandas. Quintius, Philocle et Corintho frustra tentatis, Anticyram; Attalus Sicyonem et inde Cenchreas trajicit.

I. Consules prætoresque, quum idibus martiis magistratum inissent, provincias sortiti sunt. L. Cornelio Lentulo Italia, P. Villio Macedonia; prætoribus, L. Quintio urbana[1], Cn. Bæbio Ariminum, L. Valerio Sicilia, L. Villio Sardinia evenit. Lentulus consul novas legiones scribere jussus; Villius a P. Sulpicio exercitum accipere : in supplementum ejus quantum militum videretur, ut scriberet, ipsi permissum. Prætori Bæbio legiones, quas C. Aurelius consul habuisset, ita decretæ, ut retineret eas, donec consul novo cum exercitu succederet. In Galliam ubi is venisset, omnes

Cap. I. 1. *L. Quintio urbana* (vid. ad II, 40, n. 9), et simul peregrina; vid. ad XXV, 41, n. 8. — *Bæbio Ariminum;* vide ad XXIV, 44, n. 2.

Digitized by Google

milites exauctorati domum dimitterentur[2], præter quinque millia socium. His obtineri circa Ariminum provinciam satis esse. Prorogato imperio prætoribus prioris anni (Cn. Sergio, ut militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia[3] stipendia per multos annos fecissent, agrum assignandum curaret; Q. Minucio, ut in Bruttiis[4] idem de conjurationibus quæstiones, quas prætor cum fide curaque exercuisset, perficeret, et eos, quos sacrilegii compertos[5] in vinculis Romam misisset, Locros mitteret ad supplicium, quæque sublata ex delubro Proserpinæ essent, reponenda cum piaculis curaret), feriæ Latinæ pontificum decreto instauratæ sunt; quod legati ab Ardea[6] questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse. Ab Suessa nuntiatum est, duas portas, quodque inter eas muri erat, de cælo tactum; et Formiani legati ædem Jovis, item Ostienses ædem Jovis, et Veliterni Apollinis et Sanci ædes[7], et in Herculis æde capillum enatum: et ex Bruttiis ab Q. Mi-

2. *Omnes milites exauctorati d. d.;* vide ad VIII, 34, n. 8.

3. *Prorogato imperio... Cn. Sergio, ut militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia,* etc. cf. XXXI, 4 et 49, unde suspicari possis, voc. *Africa* h. l. excidisse. Prorogato imperio *prætori prioris anni* (vid. XXXI, 6) *C. Sergio;* vide ad XXVII, 22, n. 2. — *Agrum assignandum curaret,* sc. per mensores.

4. *Q. Minucio, ut in Bruttiis,* etc. cf. XXXI, 12, 13. — Testis est Gellius, X, 3, quem hic citat Crev. Romanos ita severe cum Bruttiis egisse, ut eos ignominiæ causa milites non scriberent, verum magistratibus in provincias euntibus apparere et præministrare servorum more juberent. Hinc *Bruttiani* interdum lictores magistratuum dicuntur. Ed.

5. *Sacrilegii compertos;* vide ad VII, 4, n. 2.

6. *Legati ab Ardea* (vide ad X, 14, n. 2) *questi, sibi Latinis in monte Albano* et epulis solennibus sacrisque (v. Dionys. Hal. lib. IV, p. 250 sq.) *carnem datam non esse;* cujus rei causa non memoratur, ut nec XXXVII, 3, in simili re. — *Ab Suessa nuntiatum est,* forte *nuntiarunt,* ut melius conveniant seqq. *et Formiani legati, Ostienses, Veliterni,* sc. nuntiarunt; Gron. Sic *ab Suessa* dictum pro *legati Suessani.*

7. *Apollinis et Sanci* (vide ad VIII, 20, n. 10) *ædes,* sc. de cælo tactas esse. — *Et in Herculis æde capillum*

Digitized by Google

nucio proprætore scriptum, equuleum cum quinque pedibus, pullos gallinaceos tres cum ternis pedibus natos esse. Inde a P. Sulpicio proconsule ex Macedonia literæ allatæ, in quibus inter cætera scriptum erat, lauream in puppi navis longæ enatam[8]. Priorum prodigiorum causa senatus censuerat, ut consules majoribus hostiis, quibus diis videretur, sacrificarent. Ob hoc unum prodigium haruspices in senatum vocati, atque ex responso eorum supplicatio populo in diem unum edicta, et ad omnia pulvinaria res divinæ factæ.

II. Carthaginienses eo anno argentum in stipendium impositum primum Romam advexerunt. Id quia probum non esse quæstores renuntiaverant, experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutua sumpta, intertrimentum argenti[1] suppleverunt. Petentibus deinde, ut, si jam videretur senatui, obsides sibi redderentur, centum redditi obsides; de cæteris[2], si in fide permanerent, spes facta. Petentibus iisdem, qui non reddebantur obsides, ut ab Norba, ubi parum commode essent, alio traduceren-

enatum, obscurum prodigium; conf. Heyn. Opusc. Acad. t. III, p. 264, et Steger *von den Prodigien*, p. 180. Forte tenuis plantæ fibra aut crinis e pariete seu pavimento, nescio quo casu, eminuit. Rob. Titius loc. controv. XVIII, 3, conject. e Plut. de Pythiæ orac. pag. 397, *caprificum enatum* (v. ad Juvenal. X, 145), vel potius *in Herculis sede* (natibus) *capillum enatum*, quem pilum referebat ad Herculem μελάμπυγον (vid. Suid. et Plut. de discr. amici et adulat.), putabatque, quum pili in statuis effingi minime consueverint, et Hercules iis ægre careret, ne πύγαργος et λευκόπυγος, h. e. mollis et effeminatus, existimaretur, eum voluisse hos ex illa sui parte erumpere, et maximum præbere prodigium. — *Equuleum*. In pluribus MSS legitur *equum*. Ed.

8. *Lauream in puppi enatam*; cf. XLIII, 13; Plin. XVII, 38 seu 25, et Steger l. l. p. 178. — *Supplicatio edicta ad omnia pulvinaria*, etc. vide ad III, 63, n. 2; V, 13, n. 5, et XXXI, 49, n. 5.

Cap. II. 1. *Intertrimentum argenti*, quod decoquendo (ut etiam terendo et absumendo XXXIV, 7, n. 5) argento perierat; Erm.

2. *Centum redditi obsides; de cæteris*, etc. vide ad XXX, 37, n. 3. — *Signiam*, forte leg. *Setiam* e cap. 26;

Digitized by Google

tur, concessum, ut Signiam et Ferentinum transirent. Gaditanis item petentibus remissum, ne præfectus Gades mitteretur[3], adversus quod iis, in fidem populi romani venientibus, cum L. Marcio Septimo convenisset. Et Narniensium legatis querentibus, ad numerum sibi colonos non esse, et immixtos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum causa tresviros creare L. Cornelius consul jussus : creati P. et Sex. Ælii (Pætis fuit ambobus cognomen) et C. Cornelius Lentulus. Quod Narniensibus datum erat, ut colonorum numerus cogeretur[4], id Cosani petentes non impetraverunt.

Sigon. Sed potuit primo *concessum esse, ut Signiam transirent* obsides, et deinde pro Signia placuisse Setia, cujus mutatæ sententiæ Livius non dedita opera certiorem fecerit lectorem; Drak.

3. *Gaditanis petentibus remissum, ne præfectus Gades mitteretur* (vide ad IX, 20, n. 2), *adversus quod iis, in fidem populi rom. venientibus* (vide ad VII, 18, n. 1), *cum L. Marcio Septimo convenisset;* vide ad I, 3, n. 4. Dukeri nota est : « Dubitari potest, utrum his verbis significetur, Gaditanis *in fidem... convenisse*, ut præfectum rom. acciperent (quæ est sententia Sigon. de ant. Jur. Prov. I, 5 : nam *remitti* fere dicuntur, quæ jure exigi possunt); an, quum convenisset, ne acciperent, et imperatores rom. in Hispania deinde, adversus quod iis cum Marcio convenerat, præfectos Gades mittere cœpissent, iis petentibus, ne hoc deinde adversus pacta cum Marcio fieret, concessum. Si quis ita accipiendum putabit, *remissum* erit id. qd. datum, concessum (vide ad XXXV, 17, n. 2; XXXV, 45, n. 1, et Gron. Obss. IV, 2). Non posset esse dubia sententia hujus loci, si de conditionibus, quibus Gaditani in fidem Romanorum venerunt, constaret. Sed de ea re nihil aliud proditum invenio, quam quod Livius XXVIII, 37, scribit, *Gaditanos Romanis deditos*, et Cic. p. Balbo, 15, *L. Marcium fœdus cum Gaditanis fecisse, quod magis fide illius populi et justitia Romanorum, quam aliquo publico vinculo religionis teneretur.* E quo loco videtur colligi posse, eos nec præfectum cum præsidio rom., quod civitatem in fide contineret, nec præfectum, qui ibi ex legibus rom. jus diceret (vide ad IX, 20, n. 2), accepisse. Hoc quidem nequaquam probabile est, quoniam sua voluntate deditionem fecere, et alia quoque fœderata oppida suis legibus vivebant. Cf. Cic. p. Balbo, c. 19 ».—*C. Cornelius Lentulus* non alibi memoratur; nec tamen propterea cum Periz. *Cn. Cornelium* ex XXXI, 50, substituendum monet Drak.

4. *Ut colonorum numerus cogeretur*, ita MSS et primæ edd. ante Froben. qui *augeretur* substituit, forte e XXXIII, 24 extr. Sed illud oppido elegantius; nam *cogitur* numerus, qui conficitur,

Digitized by Google

III. Rebus, quæ Romæ agendæ erant, perfectis, consules in provincias profecti. P. Villium, in Macedoniam quum venisset, atrox seditio[1] militum, jam ante irritata, nec satis in principio compressa, excepit. Duo millia ea militum fuere, qui ex Africa post devictum Hannibalem in Siciliam, inde anno fere post in Macedoniam pro voluntariis transportati[2] erant. Id voluntate factum negabant: *Ab tribunis recusantes in naves impositos; sed utcumque, seu injuncta, seu suscepta*[3] *foret militia, et eam exhaustam, et finem aliquem militandi fieri æquum esse. Multis annis sese Italiam non vidisse; consenuisse sub armis in Sicilia, Africa, Macedonia : confectos jam se labore, opere, exsangues tot acceptis vulneribus esse.* Consul, *causam postulandæ missionis probabilem, si modeste peteretur, videri,* dixit. *Seditionis nec eam, nec ullam aliam satis justam causam esse : itaque si manere ad*

hic quidem partim, ut infra loquitur, cogendo redire in coloniam, qui alio dissipati erant, partim adscribendo novos, si quæ familiæ interierant : sic *cogere militem, pecuniam, stipendium* est cujusque rei definitum numerum conficere : sic *cogitur pecus*, ne quod exerret, et *cogitur agmen* ab iis, qui operam dant, ne quis resistat ac deficiat numerum; Gron. *Cogere* propr. est *coagere*, et hinc vel contrahere (v. c. *vim navium* XXI, 26, et *agmen hominum* XLII, 10) seu coarctare (ut *potestatem intra anni spatium* IX, 33, n. 4, et *saltus in arctas coactus fauces* XXII, 15, n. 6), vel congregare (v. c. *senatum* I, 48, n. 1; III, 39, n. 5; *in senatum* XXVI, 12, n. 4; *feminas* XLIV, 32 extr. nisi potius ibi cum Drak. leg. *coacta cibaria*), vel conscribere (*militiam;* de quo vide ad IV, 26, n. 2), densare (*agmen* XXXVIII, 18), claudere (XXXIV, 28; XXXV, 27; XXXVI, 44; XLII, 64; XLIV, 4), supplere, ut h. l. *numerum*. Cf. Drak. ad IV, 26, n. 3; XXX, 4, n. 1, et Corte ad Sallust. Jug. 54. Cæterum de aucto colonorum numero cf. XXXI, 49; XXXIII, 24; XXXVII, 46. — Goeller e cod. Bamb. *augeretur*, sed vulgata optime se habet. Ed. — *Id Cosani petentes non impetraverunt;* cf. tamen ad XXXIII, cap. 24 extr.

Cap. III. 1. *Villium... seditio... excepit;* vide ad I, 53, n. 5. — *Duo millia ea :* τὸ *ea* post Gronovium Creverius expunxit, sed restituit Drak. recte. Ed.

2. *Pro voluntariis transportati.* Cod. Bamb. *transportata*, quod jam multi protulerunt; sed vide ad II, 7, n. 4. Ed.

3. *Seu injuncta, seu suscepta;* vid.

Digitized by Google

signa et dicto parere velint, se de missione eorum ad senatum scripturum. Modestia facilius, quam pertinacia, quod velint, impetraturos.

IV. Thaumacos eo tempore Philippus summa vi oppugnabat aggeribus vineisque; et jam arietem muris admoturus erat. Cæterum incepto absistere eum coegit subitus Ætolorum adventus, qui, Archidamo duce inter custodias Macedonum mœnia ingressi, nec die, nec nocte finem ullum erumpendi, nunc in stationes, nunc in opera Macedonum, faciebant. Et adjuvabat eos natura ipsa loci; namque Thaumaci[1] a Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti loco alto siti sunt, ipsis faucibus imminentes, quas Cœla vocant: Thessaliæque transeunti confragosa loca implicatasque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente, velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis[2] haud facile queas; ab eo miraculo Thaumaci appellati: nec altitudine solum tuta urbs, sed quod, saxo undique absciso[3], rupibus imposita est. Hæ difficultates, et

ad II, 43, n. 2. — *Modestia facilius.* Eamdem sententiam sic expressit *bonus* ille nostras *Lafontaine*, lib. VI, fab. 3, vs. ultimo:

Plus fait douceur que violence. Ed.

Cap. IV. 1. *Thaumaci* in Phthiotide Thessal. *a Pylis* (vide ad XXXI, 29, n. 1) *sinuque Maliaco* (v. ad XXVII, 30, n. 3) *per Lamiam eunti loco alto siti sunt;* vide ad I, 8, n. 5. — *Ipsis faucibus imminentes, quas Cœla vocant;* vide ad XXXI, 47, n. 1. Alii *quas Cœlen vocant*, et *quam Cœlen v.* Hoc elegantius est; Gron. cf. ad XXIV, 42, n. 6. Sed ita malim *quæ Cœle vocant;* vide ad XXXI, 47, n. 1. *Quas Cœla vocant. Thessaliæ quæ transeunti*, vel *quas Cœla vocant Thessaliæ: quæ transeunti*, etc. conj. Drak. et posterius etiam Crever. Sed ille jungebat *quæ confragosa loca transeunti, quæ* (Thessalia) *panditur.*

2. *Subjectos campos terminare oculis*, eorum terminos, fines videre, übersehen, überschauen. — *Ab eo miraculo Thaumaci appellati:* a Thaumaco conditore, Pœantis filio, teste Steph. Byz. *Thaumaci* etiam XXXVI, 14; XXXVII, 7; Strab. IX, 434, et Steph. *Thaumacus* forte inf. cap. 13, n. 7. *Thaumacia*, seu *Thaumaciæ*, Plin. IV, 9 seu 16.

3. *Saxo undique absciso*, al. *abscisso;* vide ad IV, 19, n. 5. — Creverius ait vocem *rupibus* ibi sapere glossema quoddam additum interpretandis

Digitized by Google

quod haud satis dignum tanti laboris periculique pretium erat, ut absisteret incepto Philippus, effecerunt. Hiems quoque jam instabat, quum inde abscessit, et in Macedoniam in hiberna copias reduxit.

V. Ibi cæteri quidem, dat[illegible]ntacumque quiete temporis, simul animos corporaque remiserant[1]. Philippum quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat annus, tanto magis intentum in universum eventum belli[2] curæ angunt, non hostes modo timentem, qui terra marique urgebant; sed nunc sociorum, nunc etiam popularium animos, ne et illi ad spem amicitiæ Romanorum deficerent, et Macedonas ipsos cupido novandi res caperet. Itaque et in Achaiam legatos misit, simul qui jusjurandum (ita enim pepigerant, quotannis juraturos in verba Philippi[3]) exigerent; simul qui redderent Achæis Orchomenon et Heræam et Triphyliam, Eleis Alipheram, contendentibus, nunquam eam urbem fuisse ex Triphylia, sed sibi debere restitui, quia una esset ex iis, quæ ad condendam Megalopolim ex concilio Arcadum contributæ forent[4]; et cum Achæis quidem per hæc societatem fir-

præcedd. verbis. Drak. legendum proponit *saxi undique abscisi rupibus*, ut per *saxum* intelligatur mons saxeus; vel potius distinguendum est, sicut distinximus. Ed.

Cap. V. 1. *Animos corporaque remiserant*, ut *relaxare* vel mox *laxare*, et contra *intendere*. — *Philippum quantum*, quanto scil. magis (vide ad I, 40, n. 1, et ad Tac. Ann. VI, 21, n. 4) *ab assiduis laboribus i. p. laxaverat* (vide ad II, 34, n. 13) *annus*, illa anni pars, qua cessatur ab armis, scilicet tempus hibernum, ut græce ἐνιαυτὸς pro tempore anni, ὥρα ἔτους, seu pro qualibet ejus parte; Gronov. cujus nota est: « *annus* leg. pro vulg. *animum* (al. *animi*, *animos* et *animus*): nam remissus labor itinerum præliorumque non tam animum reficit, quam membra, quæ exercitio illo et contentione fatigantur; et de corpore Philippi intelligi vult Livius, docens, alios membris simul animoque avide quietem sumpsisse, regem, quantum corpore cessarit, tanto magis exercitam mentem habuisse ».

2. *In universum eventum belli*; vide ad I, 38, n. 2.

3. *Juraturos* se *in verba Philippi*; vide ad II, 32, n. 1.

4. *Qui redderent Achæis Orchome-*

mabat. Macedonum animos sibi conciliavit cum Heraclide[5]; nam quum eum maximæ invidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratum in vincula conjecit, ingenti popularium gaudio. Bellum, si quando unquam ante alias, tum magna cura apparavit, exercuitque in armis et Macedonas, et mercenarios milites : principioque veris cum Athenagora omnia externa auxilia, quodque levis armaturæ erat, in

non et Heræam et Triphyliam, *Eleis* (immo *Megalopolitis*) *Alipheram*, *contendentibus*, dictantibus, asseverantibus, *nunquam eam urbem fuisse ex Triphylia*, ejus partem, *sed...ad condendam Megalopolim contributæ forent;* Gron. vide ad XXVIII, 8, n. 3. *Heræan*, *Triphylian* et *Alipheran* multi codd. velle videntur; Drak. *Megalempolin* MS Pet. unde Gronov. conj. *Megalenpolin*, ut *Cœlen Syriam* XLII, 29, et ἡ Μεγάλη πόλις Plut. Polyb. Steph. *Megalenpolin* Lov. 4. *Megalepolin*, *Megalepolim*[1] et *Megalepolin* multi MSS. Conf. Drakenb. — Pauca hic memorat Crev. de Megalopoli, quæ condita fuit, auctore Epaminonda, multis ignobilibus Arcadiæ vicis oppidisque in unam urbem, majoris roboris gratia, contributis ex communi gentis Arcadum decreto. Vid. Pausan. in Arcadicis. Ed.

5. *Macedonum animos sibi conciliavit cum Heraclide*, præfecto classis, Tarentino, perdito homine et astuto, qui, postquam, Tarento Romanis prodita, profugerat ad Philippum, in familiaritatem ejus se insinuaverat, et auctor illi fuerat ministerque omnis crudelitatis; conf. XXXI, 16, 33; Athen. VI, 13, p. 251 (ed. Schweigh. VI, 59); Polyb. XIII, 4, 5; XVI, 15; Diodor. Eclog. p. 573; Polyæni Strat. V, 17, 2. Alius fuit *Heraclides* Gyrtonius, thessalico equitatui a Philippo præfectus; vid. Polyb. XVIII, 5. Alteruter aut tertius aliquis designatur XXXI, 46, n. 5. Verba *cum Heraclide* corrupta esse, vix est quod moneam. Jacobs ad Anthol. Græc. vol. I, P. II, p. 358, ingeniose emend. *Macedonum animos sibi conciliavit. Nam Heracliden amicum quum maxime invidiæ sibi esse cerneret*, etc. Sed ita saltem post *Macedonum* excidisse *quoque* aut simile quid censendum est; et in vulgata lect. nihil videtur esse, quod displicere possit præter voc. *cum*. Cui si substitueris *punito* vel aliud hujus generis verbum, τὰ *punito Heraclide* τοῖς *per hæc* et singula verba singulis præcedentibus exacte respondebunt: *causa Heraclidis* conj. Drak. Verba *sibi conciliavit* absunt ab omnibus MSS et edd. ante Ascens. a. 1513; unde alia eorum loco scripsisse Livium suspicari possis. — Absunt quoque a nostris codd. verba *sibi conciliavit*, quæ pariter ignorat cod. Bamberg. unde Goeller locum ita exhibet: *Et cum Ach.... firmabat; Macedonum* (quoque firmabat) *animos, quum Heracliden amicum max. inv. s. esse cerneret. Multis*, etc. Mihi autem durior ea videtur loquendi forma, quam quæ Livio intrudi possit. Facilius Jacobsio accederem, qui de prima parte dubitans, de reliquis affirmat scribendum :

Digitized by Google

Chaoniam[6] per Epirum ad occupandas, quæ ad Antigoneam fauces sunt (Stena vocant Græci), misit. Ipse post paucis diebus[7] graviore sequutus agmine, quum situm omnem regionis adspexisset, maxime idoneum ad muniendum locum credidit esse præter amnem Aoum[8] : is inter montes, quorum alterum Æropum, alterum Asnaum incolæ vocant, angusta valle fluit, iter exiguum super ripam præbens. Asnaum Athenagoram cum levi armatura tenere ac communire jubet : ipse in Æropo posuit castra. Qua abscisæ rupes erant[9], statio paucorum armatorum tenebat; quæ minus tuta erant, alia fossis, alia vallis, alia turribus muniebat. Magna tormentorum etiam vis, ut missilibus procul arcerent hostem, idoneis locis disposita est. Tabernaculum regium pro vallo, in conspecto maxime tumulo[10], ut terrorem hostibus suisque spem ex fiducia faceret, positum.

VI. Consul, per Charopum Epiroten[1] certior factus, quos saltus cum exercitu insedisset rex, et ipse, quum Corcyræ hibernasset, vere primo in continentem tra-

quum Heracliden amicum max. inv. s. esse cerneret, multis, etc. Ed.

6. *In Chaoniam* (quæ septemtrionalis Epiri pars fuit, ut *Thesprotia* mediterranea et *Molossia* australis) *per Epirum ad occupandas, quæ ad Antigoneam*, Chaoniæ urbem, et in Ceraunii montibus, *fauces sunt: Stena vocant Græci;* τὰ παρὰ τὴν Ἀντιγόνεια στενὰ apud Polyb. II, 5, 6, et II, 6, 6. Conf. Plut. in Quintio, p. 370, et Palmer. Græc. Antt. II, 3, p. 251.

7. *Post paucis diebus;* vide ad II, 31, n. 2.

8. *Præter amnem Aoum*, etc. vide ad XXIV, 40, n. 2. Ad Apsum fl. cladem Philippi fuisse tradit Plutarch. Flamin. pag. 370, forte quia Aous et Apsus non longe distant. Conf. Strab. VII, 5, 9, p. 316, et Palmer. Græc. Antt. I, 23, 26, et II, 3.

9. *Qua abscisæ rupes e.* vide ad III, 70, n. 2, et IV, 19, n. 5. — *Statio p. armatorum tenebat;* vide supra ad XXVIII, 1, n. 4.

10. *In conspecto maxime tumulo;* vide ad II, 5, n. 8.

Cap. VI. 1. *Per Charopum Epiroten;* conf. cap. 11; Plut. in Quintio, pag. 370, et Polyb. XX, 3; XXVII, 13, cui constanter dicitur Charops, nisi quod XXXI, 8, 12, Χάροπον in omnibus legitur libris. Hinc cum Gronovio scrib. *Charopem* h. l. et al. Fuit

Digitized by Google

jectus, ad hostem ducere pergit[2]. Quinque millia ferme ab regiis castris quum abesset, loco munito relictis legionibus, ipse cum expeditis progressus ad speculanda loca, postero die consilium habuit, utrum per insessum ab hoste saltum, quanquam labor ingens periculumque proponeretur, transitum tentaret, an eodem itinere, quo priore anno Sulpicius Macedoniam intraverat, circumduceret copias. Hoc consilium per multos dies agitanti nuntius venit, T. Quintium consulem factum, sortitumque provinciam Macedoniam, maturato itinere jam Corcyram trajecisse. Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequierit, omnibus a rege insessis, sequutum vallem[3], per quam mediam fertur Aous amnis; ponte raptim facto, in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse; fusum fugatumque regem, castris exsutum; duodecim millia hostium eo prælio cæsa, capta duo millia et ducentos, et signa militaria centum triginta duo, equos ducentos triginta: ædem etiam Jovi in eo prælio votam, si res prospere gesta esset. Cæteri græci latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum, integrumque bellum insequentem consulem T. Quintium accepisse tradunt.

autem vir probus et amicus Romanis: at nepos ejus Charops, Machætæ filius, qui Romæ sermonem literasque Romanorum didicerat, pessimus et sævissimus homo, cædium civilium auctor, et invisus tum popularibus, tum Romanis factus; vid. Polyb. XXVII, 13; XXX, 10, 14; XXXI, 8; XXXII, 21, 32; Diodor. t. II, p. 578; Duker. ad Thucyd. II, 80; Arntzen. ad Aurel. Victor. de Vir. ill. c. 51. Mox pro *trajectus* plerique libri *trabeatus*, quidam *transvectus*: unde forsan leg. *travectus;* Gron. — Et est *travectus* in cod. Bamberg. Ed. — *Trajectus* active dictum pro *quum trajecisset*, ut cap. 22, *juratus* pro *postquam juraverat*, Drak. Conf. supra ad XXVI, 33, n. 9.

2. *Ad hostem ducere pergit;* vide ad XXVII, 17, n. 6. — *Cum expeditis;* vide ad V, 16, n. 2. — *Consilium habuit;* vide ad VIII, 6, n. 6.

3. *Sequutum vallem* esse, h. e. petiisse, adiisse; vid. IV, 17, n. 8. — *Integrumque bellum;* vid. II, 5, n. 1.

Digitized by Google

VII. Dum hæc in Macedonia geruntur, consul alter L. Lentulus, qui Romæ substiterat, comitia censoribus creandis habuit. Multis claris petentibus viris, creati censores P. Cornelius Scipio Africanus et P. Ælius Pætus. Hi, magna inter se concordia, et senatum sine ullius nota legerunt[1], et portoria venalium Capuæ Puteolisque, item Castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt[2]; colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab senatu erat) adscripserunt[3], et sub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt. Sub idem tempus L. Manlius Acidinus, ex Hispania decedens, prohibitus a P. Porcio Læca tribuno plebis, ne ovans rediret, quum ab senatu impetrasset, privatus Urbem ingrediens mille ducenta pondo argenti, triginta pondo ferme auri in ærarium tulit. Eodem anno Cn. Bæbius Tamphilus, qui ab C. Aurelio consule anni prioris provinciam Galliam acceperat, temere ingressus Gallorum Insubrium fines, prope cum toto exercitu est circumventus: supra sex millia et sexcentos milites amisit. Tanta ex eo bello, quod jam timeri desierat, clades accepta est. Ea res L. Lentulum consulem ab Urbe excivit; qui, ut in provinciam venit plenam tumultus, trepido exercitu accepto, prætorem multis probris increpitum provincia

Cap. VII. 1. *Senatum sine ullius nota legerunt;* vide ad XXIII, 22, n. 1, et XXIV, 16, n. 5. — *Portoria venalium* rerum, solvenda pro invectione et evectione mercium, quæ promercii et negotiandi, non utendi, causa portubus importabantur. Conf. ad II, 9, n. 4, et Burm. de Vectig. pop. rom. cap. 5, p. 55. — *Castrorum portorium*, vel ibi jam ante exactum, vel novum; vid. Burm. ibid. pag. 51. *Castra* forte castellum illud; de quo vid. XXV, 20, quo nunc *coloni adscripti*, sed colonia serius deducta; Drak. coll. XXXII, 29, et XXXIV, 45.

2. *Fruendum locarunt portorium;* vide ad XXVII, 3, n. 1.

3. *Colonos eo trecentos adscripserunt;* vide ad IV, 25, n. 4. — *Privatus Urbem ingrediens;* vid. Gruch. cap. 4; Refut. ad poster. Sigon. Disp. et supra ad XXVI, 21, n. 1. — *Mille ducenta pondo*, etc. suspecti numeri

Digitized by Google

decedere, atque abire Romam jussit[4]: neque ipse consul memorabile quidquam gessit, comitiorum causa Romam revocatus; quæ ipsa per M. Fulvium et M'. Curium tribunos plebis impediebantur, quod T. Quintium Flamininum consulatum ex quæstura[5] petere non patiebantur. *Jam ædilitatem præturamque fastidiri: nec per honorum gradus, documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad consulatum, sed, transcendendo media, summa*[6] *imis continuare.* Res ex campestri certamine in senatum venit. Patres censuerunt, *Qui honorem, quem sibi capere per leges liceret*[7], *peteret, in eo populo creandi, quem velit, potestatem fieri æquum esse.* In auctoritate Patrum[8] fuere tribuni. Creati consules Sex. Ælius Pætus et T. Quintius Fla-

Dukero, quia Manlius multos annos cum Lentulo fuerit in Hispania, et multa fortiter ac feliciter gesserit, Lentulus autem XXXI, 20, multo plus in ærarium tulisse dicatur. *Mille* abest a 3 MSS, quo suspicionem suam confirmari putabat. — *Mille ducenta pondo*, sunt marcæ nostrates pondo 1875; *triginta* autem *pondo* sunt ponderis nostratis selibræ 46 cum septem unciis. Ed.

4. *Provincia decedere prætorem jussit* consul ex auctoritate senatus. Cf. ad XXXIX, 3, n. 2.

5. *T. Quintium Flamininum consulatum ex quæstura* (vide ad IV, 31, n. 1) *petere*, etc. conf. Plut. in Quintio, t. I, p. 369, ubi eum triginta nondum annos natum fuisse prodit. Conf. ad XXV, 2, n. 4. Eidem Plut. *Flaminius* dicitur, quod gentis potius plebeiæ nomen esse putatur, ut *Flamininus* cognomen Quintiorum, gentis patriciæ. Quod si verum est, etiam inter honorum gradus, ab eo transcensos, idem Plut. male refert tribunatum plebis. Cf. Drak. ad XXXIX, 59 pr. Duker. ad Flor. II, 7, 10; Bongars. ad Justin. XXX, 3, 6. Nostram quoque scripturam firmant lapides Capitol. Sed in optimis græcorum latinorumque auctorum exemplaribus cognomen Quintiorum scribi *Flaminium*, talemque consensum vix ex librariorum errore profectum videri, monet Schweigh. ad Appian. Maced. Exc. VI.

6. *Transcendendo media, summa*, summos honores, *imis continuare* (vide ad IV, 22, n. 4), per saltum, quasi adscendentes; ut *transcendere ordinem ætatis, naturæ, moris* XL, 9 et 11. — *Campestri certamine;* vid. ad VII, 1, n. 2.

7. *Honorem, quem sibi capere per leges liceret* (vide ad V, 12, n. 6), nondum latis legibus annalibus, quæ magistratus ordine geri jusserunt; Duk. et Gruch. de Com. Rom. I, 3. Conf. ad XXV, 2, n. 4, et Plut. l. l.

8. *In auctoritate Patrum f. t.* vide ad II, 56, n. 16.

Digitized by Google

mininus. Inde Prætorum comitia habita : creati L. Cornelius Merula, M. Claudius Marcellus, M. Porcius Cato[9], C. Helvius, qui ædiles plebis fuerant. Ab iis ludi plebeii instaurati; et epulum Jovis fuit ludorum causa : et ab ædilibus curulibus C. Valerio Flacco flamine diali et C. Cornelio Cethego ludi Romani magno apparatu facti. Ser. et C. Sulpicii Galbæ pontifices eo anno mortui sunt : in eorum locum M. Æmilius Lepidus et Cn. Cornelius Scipio pontifices suffecti sunt.

VIII. Sex. Ælius Pætus, T. Quintius Flamininus consules, magistratu inito, senatum in Capitolio quum habuissent, decreverunt Patres, *ut provincias Macedoniam atque Italiam consules compararent inter se sortirenturve*[1]. *Utri eorum Macedonia evenisset, in supplementum legionum tria millia militum romanorum scriberet et trecentos equites; item sociorum latini nominis quinque millia peditum, quingentos equites*. Alteri consuli novus omnis exercitus decretus. L. Lentulo prioris anni consuli prorogatum imperium est; vetitusque aut ipse provincia decedere prius, aut veterem exercitum deducere, quam cum legionibus novis consul venisset. Sortiti consules provincias; Ælio Italia, Quintio Macedonia evenit. Prætores, L. Cornelius Merula urbanam[2], M. Claudius Siciliam, M. Porcius Sardiniam, C. Helvius Galliam est sortitus.

9. *M. Porcius Cato;* conf. Cic. de Sen. 4, et ibi intpp.

Cap. VIII. 1. *Compararent inter se sortirenturve;* vide ad III, 2, n. 1.

2. *L. Cornelius Merula urbanam;* vide ad II, 40, n. 9. Mox forte leg. *nam, præter consules, prætores*, etc. et deinde *Marcellus in Sic.... Cato in Sard.* — Leniori mutatione locum expediit Creverius, afferens *prætoribus;* ita ut consules etiam prætoribus copias scriberent. Nec est quod τὸ *consulares exercitus*, plurali numero offendat; nam, ut notat Drak. etsi uni consulum exercitus decretus est, alter tamen in supplementum non paucos milites scribere fuit jussus : unde Livius etiam *cons. ex.* dicere potuit. Ed.

Digitized by Google

Delectus inde haberi est cœptus; nam, præter consulares exercitus, prætores quoque jussi scribere milites erant. Marcello in Siciliam quatuor millia peditum socium latini nominis et trecentos equites; Catoni in Sardiniam ex eodem genere militum tria millia peditum, ducentos equites: ita ut hi prætores ambo, quum in provincias venissent, veteres dimitterent pedites equitesque. Attali deinde regis legatos in senatum consules introduxerunt. Hi, regem classe sua copiisque omnibus terra marique romanam rem juvare, quæque imperarent romani consules, impigre atque obedienter ad eam fecisse, quum exposuissent, *Vereri* dixerunt, *ne id præstare ei per Antiochum regem ultra non liceret*[3] *: vacuum namque præsidiis navalibus terrestribusque regnum Attali Antiochum invasisse : itaque Attalum orare Patres conscriptos, si sua classe suaque opera uti ad macedonicum bellum vellent, mitterent ipsi præsidium ad regnum ejus tutandum : si id nollent, ipsum ad sua defendenda cum classe ac reliquis copiis redire paterentur.* Senatus legatis ita responderi jussit, *Quod rex Attalus classe copiisque aliis duces romanos juvisset, id gratum senatui esse*[4]. *Auxilia nec ipsos missuros Attalo adversus Antiochum, socium et amicum populi romani; nec Attali auxilia retenturos, ultra quam regi commodum esset. Semper populum romanum alienis rebus, arbitrio alieno, usum : et principium et finem in potestate ipsorum, qui ope sua velint adjutos Romanos, esse. Legatos ad Antiochum missuros, qui nuntient, Attali naviumque ejus et militum*

3. *Per Antiochum r. non liceret;* vide ad V, 12, n. 6.

4. *Id gratum senatui esse :* Gronov. reposuit *fore*, ut sensus sit : ejus rei memorem fore senatum gratiis operaque referendis, ut IV, 48, n. 6, *gratum id singulis* Patribus *fore* pro : eos gratiam relaturos. Sed ita dicen-

Digitized by Google

opera adversus Philippum communem hostem uti populum romanum. Gratum eum facturum[5] *et senatui, si regno Attali abstineat, belloque absistat. Æquum esse, socios et amicos populi romani reges inter se quoque ipsos pacem servare.*

IX. Consulem T. Quintium, ita habito delectu, ut eos fere legeret, qui in Hispania aut Africa meruissent spectatæ virtutis milites, properantem in provinciam[1] prodigia nuntiata atque eorum procuratio Romæ tenuerunt. De cælo tacta erant via publica Veiis, forum et ædes Jovis Lanuvii, Herculis ædes Ardeæ, Capuæ murus et turres et ædes, quæ Alba dicitur : cælum ardere visum[2] erat Arretii : terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat : Suessæ Auruncæ nuntiabant agnum cum duobus capitibus natum, et Sinuessæ porcum humano capite. Eorum prodigiorum causa supplicatio unum diem habita : et consules rebus divinis operam dederunt, placatisque diis, profecti in provincias sunt. Ælius cum C. Helvio prætore in Galliam : exercitumque ab L. Lentulo acceptum, quem dimittere debebat, prætori tradidit; ipse novis legionibus, quas secum adduxerat, bellum gesturus. Neque memorabilis rei quidquam gessit. Et

dum fuisse *gratum senatum fore*, et *gratum esse alicui* tam h. l. quam IV, 48, non aliter accipi posse, quam placere, voluptatem afferre, jam monuit Drak.

5. *Gratum eum facturum et senatui*, non Attalo tantum. Tò *et* delevere Gelen. et alii. *Gratum ei* (populo rom.) *futurum* (ita MS Buflid.) *et senatui* non male conj. Ruben., et *utenti populo romano gratum eum facturum et senatui ;* Gron.

Cap. IX. 1. *Properantem in provinciam*, propere profecturum, *prodigia Romæ tenuerunt;* vide ad II, 63, n. 3.

2. *Cælum ardere visum*, etc. vid. I, 31, n. 1. — *Terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat* in imum, in profundum ruerat; ut passim *sidere*, *desidere*, *subsidere*. Cf. Drak. ad h. l. nos ad Juvenal. VI, 411; ad Tac. Ann. II, 47, n. 3 ; Cic. Div. I, 35 et 43. —*Suessæ Auruncæ agnum cum d. c. natum* esse *nuntiabant*, sc. homines, quidam; i. e. nuntiabatur. — *Porcum humano capite*, forte *porcum cum h. c.;* Duk.

Digitized by Google

T. Quintius alter consul maturius, quam priores soliti erant consules, a Brundisio quum transmisisset, Corcyram tenuit[3] cum octo millibus peditum, equitibus octingentis. Ab Corcyra in proxima Epiri quinqueremi trajecit; et in castra romana magnis itineribus contendit : inde Villio dimisso, paucos moratus dies, dum se copiæ ab Corcyra assequerentur, consilium habuit, utrum recto itinere per castra hostium vim[4] facere conaretur; an, ne tentata quidem re tanti laboris ac periculi, per Dassaretios potius Lycumque tuto circuitu Macedoniam intraret; vicissetque ea sententia, ni timuisset, ne, quum a mari longius recessisset, misso e manibus hoste, si (quod antea fecerat) solitudinibus silvisque se tutari rex voluisset, sine ullo effectu æstas extraheretur[5]. Utcumque esset igitur, illo ipso tam iniquo loco aggredi hostem placuit; sed magis fieri id placebat, quam, quomodo fieret, satis expediebat.

X. Dies quadraginta sine ullo conatu sedentes in conspectu hostium absumpserant : inde spes data Philippo est, per Epirotarum gentem tentandæ pacis; habitoque consilio delecti ad eam rem agendam, Pausanias prætor et Alexander magister equitum[1], consulem et regem, ubi in arctissimas ripas Aous cogitur amnis, in colloquium adduxerunt. Summa postula-

3. *Corcyram tenuit;* vide ad I, 1, n. 8.

4. *Recto itinere per castra hostium vim*, impetum, *facere*, ea vi perrumpere. Conf. XXXVI, 16 pr. inpr. XXXVII, 11, n. 4, et XLIV, 35. *Viam* pro *vim* alii, non minus apte. *Vi viam facere*, ut IV, 38, et apud Virg. Æn. II, 494; ex Plut. Flamin. p. 370 (ἔγνω προσβαλὼν ἀνὰ κράτος διὰ τῶν ἄκρων βιάσασθαι τὴν πάροδον), conj. Duk. et Drakenb. — *Per Dassaretios Lycumque;* vide supra ad XXVII, 32, n. 3.

5. *Sine ullo effectu æstas extraheretur;* vide ad IV, 43, n. 6. — *Satis expediebat*, exponebat, scil. consul. *Expediebatur* vel *expediebant* emend. Gronov.; et ultimam hanc lectionem habet cod. Bamb. Ed.

Cap. X. 1. *Alex. magister equitum*, ἵππαρχος.

Digitized by Google

torum consulis erat, præsidia ex civitatibus rex deduceret : iis, quorum agros urbesque populatus esset, redderet res, quæ compararent[2] : cæterorum æquo arbitrio æstimatio fieret. Philippus *aliam aliarum civitatium conditionem esse* respondit. *Quas ipse cepisset, eas liberaturum : quæ sibi traditæ a majoribus essent, earum hereditaria ac justa possessione non excessurum. Si quas quererentur belli clades eæ civitates, cum quibus bellatum foret; arbitrio, quo vellent, populorum, cum quibus pax utrisque fuisset, se usurum.* Consul, *nihil ad id quidem arbitro aut judice opus esse*, dicere. *Cui enim non apparere, ab eo, qui prior arma intulisset, injuriam ortam? nec Philippum ab ullis bello lacessitum, ipsum priorem vim omnibus fecisse.* Inde quum ageretur, quæ civitates liberandæ essent, Thessalos primos omnium nominavit consul. Ad id vero adeo accensus indignatione est rex, ut exclamaret, « Quid victo gravius « imperares[3], T. Quinti? » atque ita se ex colloquio proripuit. Et temperatum ægre est, quin missilibus, quia dirempti medio amni fuerant, pugnam inter se consererent. Postero die per excursiones ab stationibus primo in planitie, satis ad id patenti, multa levia commissa prælia sunt : deinde recipientibus se regiis in arcta et confragosa loca, aviditate accensi certaminis eo quoque Romani penetravere. Pro his ordo et militaris disciplina et genus armorum erat, aptum urgendis regiis[4]; pro hoste loca et catapultæ balistæ-

2. *Redderet res, quæ compararent* (vide ad VI, 1, n. 6); *cæterorum*, forte leg. *cæterarum.* — *Arbitrio, quo vellent, populorum :* lege *quorum vellent;* Gronov. Vulgatum Drak. dictum putabat, ut similia, I, 29, n. 4, et IV, 39, n. 6; Duker. ut XXXI, 36, *quo auxilio* pro *quorum auxilio.*

3. *Quid victo gravius imperares*, mihi, si jam victus essem. — *Se ex coll. proripuit;* vide ad II, 24, n. 6.

4. *Aptum urgendis regiis.* Hic locus in omnibus fere manuscriptis corruptus est adeo fœde, ut vix inde quid-

Digitized by Google

que, in omnibus prope rupibus, quasi in muris, dispositæ. Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis, quum etiam, ut in prælio justo, aliquot cecidissent, nox pugnæ finem fecit.

XI. Quum in hoc statu res esset, pastor[1] quidam, a Charopo, principe Epirotarum, missus, deducitur ad consulem. *Is se in eo saltu, qui regiis tunc oneratus castris erat, armentum pascere* ait : *omnes montium eorum amfractus callesque nosse. Si secum aliquos mittere velit, non iniquo nec perdifficili aditu supra caput hostium deducturum. Hæc*, Charopus renuntiari jubet, *ita crederet, ut suæ potius omnia, quam illius, potestatis essent*[2]. Quum magis vellet credere, quam auderet, consul, mixtumque gaudio ac metu animum gereret, auctoritate motus Charopi, experiri spem oblatam statuit; et, ut averteret rem a suspicione, biduo insequenti lacessere hostem, dispositis ab omni parte copiis, succedentibusque integris in locum defessorum, non destitit. Quatuor millia inde lecta peditum et trecentos equites tribuno militum tradit : equites, quoad loca patiantur, ducere jubet : ubi ad invia equiti ventum sit, in planitie aliqua locari equi-

quam possis eruere. Goeller tamen e cod. suo proponit lectionem non dedignandam *amplum tegendis corporibus*, cujus vestigia latent in varietate lectionum, quas Drak. adscripsit. Ed.

Cap. XI. 1. *Pastor quidam* (pastores apud Plut. in Quintio, p. 370, E.) *a Charopo*, etc. vide ad cap. 6, n. 1. Conf. Appian. Maced. 4. — *Oneratus castris*, forte *occupatus castris*; Duk. — Walchius, Emend. p. 233, conjicit *obseratus*, quia mire sibi placent Romani in lequendi formulis translatis a *sera, obice*, etc. sed aliam huic loco medicinam infert Goeller, codice suo fretus, qui pro *oneratus...erat*, dat *teneretur*; et quidem *erat* abest a nostris. Mox cod. Bamb. ita habet : ... *deducturum. Hæc ubi consul audivit percunctatum ad Charopum mittit, satisne credendum super tanta re agresti censeret? Charopus renuntiari jubet*, etc. Quum ea in nullo, quod sciam, alio codice appareant, glossema puto ab aliquo librario textui adsutum. Ed.

2. *Ita crederet, ut suæ potius omnia, quam illius, potestatis essent* : verba obscura, de quibus Gronov. hæc notavit : « Potest sensus non unus

Digitized by Google

tatum; pedites, qua dux monstraret viam, ire: ubi, ut polliceretur, super caput hostium perventum sit, fumo dare signum; nec ante clamorem tollere, quam ab se signo accepto pugnam cœptam arbitrari posset[3]. Nocte itinera fieri jubet (et pernox forte luna erat), interdiu cibi quietisque sumeret tempus. Ducem promissis ingentibus oneratum, si fides exstaret, vinctum tamen tribuno tradit. His copiis ita dimissis, eo intentius Romanus[4] undique instat capi stationes.

XII. Interim die tertio quum verticem, quem petierant, Romani cepisse ac tenere se fumo significarent; tum vero, trifariam divisis copiis, consul valle media cum militum robore succedit; cornua dextra lævaque admovet castris. Nec segnius hostes obviam eunt; et, dum, aviditate certaminis provecti, extra munitiones pugnant, haud paulo superior est romanus miles et virtute, et scientia, et armorum genere.

dari: vel, huic homini ita fidat, ut ipsum potius in potestate suorum, quos cum illo erat missurus; habeat, quam suos ei secure committat atque in potestatem dedat; vel, quam mihi crederes, si ego me ducem fore promitterem, tam huic licet credas. Hoc videtur confirmare Plutarch. loco l. γνώστην δὲ τῆς πίστεως παρείχοντο καὶ βεβαιωτὴν χάροπα τὸν Μαχάταν. Parum enim certum notorem vademque dedisset suæ fidei pastor, qui ultro moneret, ne nimium illi fideretur. Is vero sensus videtur requirere, ut legamus: *ut si suæ*. Nam quod Quintius nihilominus eum vinctum tribuno tradidit, providentiam decuit ducis: non hoc prohibet tamen, quominus suam pro illo fidem interposuerit Charops. Denique possunt et sic accipi, ut videatur Charops non quidem diffidentia, sed spe certa eventus et voluntate pastoris, et quo major fides fieret Quintio, ultro hominem offerre ad vincula et quamvis arctam custodiam, dum promissa præstaret».

3. *Pugnam cœptam arbitrari posset*, immo *possent*, et mox *sumere*; Gron. Sed *posset* referendum ad tribunum militum, cui soli hoc *arbitrandi* jus datum; *sumeret* vero et *sumere* perinde est, et utrumvis tum auctoritate codd., tum exemplis Livianis defendi potest; Drak. — *Si fides exstaret* pro vulg. *exstet* recepi ex quibusdam MSS et omnibus edd. antt. ante Froben.

4. *Eo intentius romanus* dux, consul (ut IV, 10, n. 3; XXI, 59, n. 3; XXVI, 17, n. 3; XXVII, 17, n. 9; XXVII, 41 et 42; XXXII, 32, n. 2; XXXII, 40; XXXIII, 29; et *Veiens* IV, 18, n. 2; cf. Cort. ad Sallust. Jug. 81), *undique instat capi stationes*,

Digitized by Google

Postquam, multis vulneratis interfectisque, recepere se regii in loca, aut munimento, aut natura tuta, verterat periculum in Romanos[1], temere in loca iniqua nec faciles ad receptum angustias progressos. Neque impunita temeritate inde recepissent sese, ni clamor primum ab tergo auditus, dein pugna etiam cœpta, amentes repentino terrore regios fecisset. Pars in fugam effusi sunt[2]; pars magis, quia locus fugæ deerat, quam quod animi satis esset ad pugnam, quam substitissent, ab hoste, et a fronte et ab tergo urgente, circumventi sunt : deleri totus exercitus potuit, si fugientes persequuti victores essent; sed equitem angustiæ locorumque asperitas, peditem armorum gravitas impediit. Rex primo effuse ac sine respectu[3] fugit; dein, quinque millium spatium progressus, quum ex iniquitate locorum, id quod erat, suspicatus esset, sequi non posse hostem, substitit in tumulo quodam, dimisitque suos per omnia juga vallesque, qui palatos in unum colligerent. Non plus duobus millibus hominum amissis, cætera omnis multitudo, velut signum aliquod sequuta, in unum quum convenisset, frequenti agmine petunt Thessaliam. Romani, quoad tutum fuit insequuti, cædentes spoliantesque cæsos, castra regia, etiam sine defensoribus difficili aditu, diripiunt, atque ea nocte in suis castris manserunt.

XIII. Postero die consul per ipsas angustias, qua se inter valles flumen insinuat, hostem sequitur. Rex

urget milites, ut eorum opera capiantur stationes, et ex iis pellatur hostis, perstat jubendo et adigendo ad id militem, ut capiantur; Gron. Cf. ad X, 27, n. 4.

Cap. XII. 1. *Verterat periculum in Rom.* vide ad lib. II, cap. 3, n. 2. — *Loca iniqua*, etc. τὰς ἀπηλπισμένας ἐν Ἠπείρῳ δυσχωρίας dixit Polyb. XVIII, 6, 4.

2. *Pars in fugam effusi sunt;* vide ad I, 14, n. 7, et I, 41, n. 1. Mox clarius erit, si legas : *si fugientem persequuti;* Gron.

3. *Effuse ac sine respectu fugit;* vide ad VIII, 38, n. 9.

Digitized by Google

primo die ad Castra Pyrrhi[1] pervenit; locus, quem ita vocant, est in Triphylia terræ Melotidis : inde postero die (ingens iter agminis, sed metus urgebat) in montem Lingon[2] perrexit. Ipsi montes Epiri sunt, interjecti Macedoniæ Thessaliæque : latus, quod vergit in Thessaliam, oriens spectat; septemtrio a Macedonia objicitur : vestiti frequentibus silvis sunt; juga summa campos patentes aquasque perennes habent. Ibi stativis rex per aliquot dies habitis fluctuatus animo est, utrum protenus is regnum se reciperet, an reverti in Thessaliam posset[3] : inclinavit sententia, suum[4] in Thessaliam agmen demittere, Triccamque

Cap. XIII. 1. *Castra Pyrrhi* alia laudantur XXXV, 27. — *In Triphylia terræ Melotidos*, forte leg. *Stymphaliam inter et Elimiotidem :* nam Elis cum sua Triphylia hinc longe (et *Melotis* nemini memoratur); Gron. *In Tymphæa* vel *Stymphæa terræ Elimiotidis* (ut *terra Erythræa* XXXVI, 45) conj. Drak. quia talem hic fuisse locum, non *Stymphaliam*, docuerit Palmer. Græc. Antiq. II, 9, qui XLV, 30, *Stymphæis* conj. pro *Stymphalis*, putans librarios notissimum ob fabulam de avibus Stymphalidibus et Hercule nomen pro minus noto passim supposuisse. Cf. etiam Cellar. G. A. II, 13, p. 664, et inf. ad XLV, 30, n. 5.

2. *In montem Lingon*, non aliis, quod sciam, memoratum. *Lyncon* conj. Sigon. Sed Lyncus fuit opp. Epiri, non mons. *Pindum* forte leg. cum Drak. coll. Strab. IX, 434; cujus descriptio in multis convenit, quique *Triccam* quoque Pindo vicinam fuisse, innuit p. 437. Idem Drak. mox emend. *orientem spectat et septemtrioni a Macedonia objicitur*. In omnibus sane MSS et edd. ante Froben. a. 1535 est *septemtrioni*, et vulgatum videtur inceptum. — *Fluctuatus animo est;* vid. IV, 24, n. 2.

3. *An reverti in Thessaliam posset*, h. e. an reverti auderet, an commode et sine magno periculo reverteretur : nam verbum *posse* sæpe venustatis magis quam necessitatis causa aliis jungitur, ut inf. cap. 40, *ut id sciri posset*, i. e. sciretur, cognosceretur, et XLIII, 10, *ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent*, h. e. ne sustinerent : nam potuissent utique, si ducem romano nomine dignum habuissent, nisi incompositi, longo agmine effusi, infrequentes venissent, et erat omnis ille terror vanus adversus vere æstimantes; Gron. Sed utroque loco verbum *posse* proprio sensu capiendum videtur. Conf. tamen, quos Drakenborch. laudat, Barth. ad Calpurnium, Ecl. III, 41; Broekh. ad Tibullum, I, 11, v. 31; ad Prop. I, 1, v. 15; Snakenb. ad Curt. VII, 1, 28; Burm. ad Ovid. Her. XVII, 209; ad Phædr. I, 15, 6; loco verbum *posse* proprio sensu capiendum videtur.

4. *Inclinavit sententia, suum* (forte *citum;* Gron. certe *suum* plane friget;

Digitized by Google

proximis limitibus petit; inde obvias urbes raptim peragravit. Homines, qui sequi possent, sedibus excibat; oppida incendebat; rerum suarum, quas possent, ferendarum secum dominis jus fiebat: cætera militis præda erat. Nec, quod ab hoste crudelius pati possent, reliqui quidquam fuit, quam quæ ab sociis patiebantur[5]. Hæc etiam facienti Philippo acerba erant; sed e terra, mox futura hostium, corpora saltem eripere sociorum volebat. Ita evastata sunt oppida, Phacium, Iresiæ, Euhydrium, Eretria, Palæpharus. Pheras quum peteret, exclusus, quia res egebat mora, si expugnare vellet, nec tempus erat, omisso incepto, in Macedoniam transcendit: nam etiam Ætolos appropinquare fama erat; qui, audito prælio, quod circa amnem Aoum factum erat, proximis prius evastatis circa Sperchias[6] et Macran (quam vocant) Comen, transgressi inde in Thessaliam, Cymines et Angeas

Duk.) *in Thessaliam agmen demittere;* nam Thessalia Macedoniæ subjecta, et stativa in monte erant. Cf. ad XXVIII, 25, n. 8. — Walchius, Emend. p. 235, pro *suum* conjicit *subitum*, et exemplis pluribus conjecturam firmat. Ed. — *Tricca* opp. Hestiæotidis, occidentalis partis Thessaliæ.

5. *Quam quæ ab sociis patiebantur:* supervacuum τὸ *quæ*, aut mutandum in *tum;* Gron. Sed quod hic legitur, idem est ac si esset: nihil crudelius, vel nihil ultra crudeliter, ab hoste pati potuerunt, *quam quæ* ab sociis patiebantur; Duk. coll. IX, 1, 5; X, 13; XXIII, 7; XXVI, 30, al. vide ad XXXV, 1, n. 1. — *Phacium, Iresiæ, Euhydrium, Eretria, Palæpharus* oppida Hestiæotidis. Pro *Palæpharus* MSS et edd. antt. *Pala Epharus*, ed. Paris. 1573 et seqq. *Palæphatus:* sed cum Ortelio et Drak. videtur leg. *Palæpharsalus.* — *Palæpharsalus* quoque e cod. suo restituendum vult Goeller; hujus enim urbis mentio fit inf. lib. XLIV, 1; vide quoque ad Frontin. II, 3, 22, et Cell. Geogr. ant. II, 13, p. 686. Ed.

6. *Circa Sperchias:* forte Sperchion, Doridis opp., Dujat. Cf. Plin. IV, 7. Σπερχεία Thessaliæ Phthiotidis urbs, non longe a Σπερχείου fl. ostio et Thebis Phthioticis, ap. Ptol. III, 13, et Steph. Sed nondum *transgressi in Thessaliam* erant. *Sperchias* fuisse *circa Aoum* fl., parum probabilis est sententia Ortelii in Thes. Geogr. nam nemini persuadebit, Ætolos, audito prælio, quod *circa Aoum* factum erat, in Macedoniam prius, et ita in Thessaliam profectos esse; Drak. — *Macra Come*, i. e. longus vicus. — *Cymines* et *Angeas* vel *Angeias* videntur esse

Digitized by Google

primo impetu potiti sunt. A Metropoli, dum vastant agros, concursu oppidanorum ad tuenda mœnia facto, repulsi sunt. Callithera inde aggressi, similem impetum oppidanorum pertinacius sustinuerunt; compulsisque intra mœnia, qui eruperant, contenti ea victoria, quia spes nulla admodum expugnandi erat, abscesserunt; Theuma inde et Calathana vicos expugnant diripiuntque; Acharras per deditionem receperunt; Xyniæ simili metu a cultoribus desertæ sunt. Hoc sedibus suis extorre agmen in præsidium incidit, quod Thaumacum, quo tutior frumentatio esset, ducebatur[7] : incondita inermisque multitudo, mixta imbelli turba, ab armatis cæsa est. Xyniæ desertæ diripiuntur. Cyphara inde Ætoli capiunt, opportune Dolopiæ imminens castellum. Hæc raptim intra paucos dies ab Ætolis gesta; nec Amynander atque Athamanes, post famam prosperæ pugnæ Romanorum, quieverunt.

XIV. Cæterum Amynander, quia suo militi parum fidebat, petito ab consule modico præsidio, quum Gomphos peteret, oppidum protenus nomine Phecam[1], situm inter Gomphos faucesque angustas, quæ ab Athamania Thessaliam dirimunt, vi cepit : inde Gomphos adortus, et per aliquot dies summa vi urbem tuentes, quum scalas ad mœnia erexisset, eo[2] de-

genitivi more Græcorum formati; Drak. — *Acharras*, alii *Acharas* et *Achorras*. Omnia nomina ignota.

7. *In præsidium incidit, quod Thaumacum ducebatur;* vid. ad cap. 4, n. 2. *Thaumacum* e MSS Voss. et Victor. recepi. In aliis codd. *Taumacum*, *Athaumacum*, *Atheumacum*, *Atheumatum*, *Athaumatum;* in nullo *Athamanum*, quod in omnibus edd. legitur, et ab h. l. alienum est. *Thaumacos* conj. Ruben., et Gron. *Ithomen*, quam Strab. XI, 637, τῆς Μητροπολιτῶν εἶναι χώρας dicit. — Goeller e cod. Bamb. conjicit ita esse legendum: *quod ad Theuma tum, quo*, etc. cujus urbis paulo ante mentio facta est. Ed.

Cap. XIV. 1. *Oppidum nomine Phecam;* vide ad XXXI, 41, n. 3.

2. *Eo demum metu*, sc. scalarum jam ad mœnia erectarum edidi pro

Digitized by Google

mum metu perpulit ad deditionem. Hæc traditio Gomphorum ingentem terrorem Thessalis intulit: dedidere deinceps sese, qui Argenta, quique Pherinum et Thimarum et Lisinas et Stimonem et Lampsum habent, aliaque castella juxta ignobilia[3]. Dum Athamanes Ætolique, submoto Macedonum metu, in aliena victoria suam prædam faciunt, Thessaliaque a tribus simul exercitibus, incerta quem hostem, quemve socium crederet, vastatur; consul faucibus, quas fuga hostium aperuerat[4], in regionem Epiri transgressus, etsi probe scit, cui parti, Charopo principe excepto, Epirotæ favissent, tamen, quia ab satis faciendi quoque[5] cura imperata enise facere videt, ex præsenti eos potius, quam ex præterito, æstimat habitu, et ea ipsa facilitate veniæ animos eorum in posterum conciliat. Missis deinde nuntiis[6] Corcyram, ut onerariæ naves in sinum venirent Ambracium; ipse, progressus modicis itineribus, quarto die in monte Cercetio posuit castra, eodem Amynandro cum suis auxiliis accito; non tam virium ejus egens, quam ut duces in Thessaliam ha-

vulg. *eodem metu* ex emend. certissima Periz. Vid. ejus Anim. hist. cap. 2, p. 65, et sup. ad I, 5, n. 10. — *Dedidere deinceps sese;* vide ad I, 21, not. 8.

3. *Castella juxta ignobilia;* vide ad V, 6, n. 3. — *In aliena victoria*, sc. Romanorum ad Aoum fl. (c. 12) qua territus Philippus redierat in Macedoniam. — *Thessalia a tribus simul exercitibus ... vastatur*, sc. Philippi, quamvis *socii* (v. cap. 13), Athamanum Ætolorumque.

4. *Consul* e *faucibus, quas fuga hostium aperuerat*, monstraverat; Ern. (cf. ad XXII, 19, n. 5.) Immo: pervias fecerat Romanis, per quas tutum iis transitum dederat. De *faucibus* his vid. cap. 9-12.

5. *Ab satis faciendi cura*, ob curam studiumque gratiæ et veniæ ejus impetrandæ; vide ad I, 1, n. 5. — *Habitu* animorum, cogitandi agendique ratione.

6. *Missis deinde nuntiis, ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. — *Ambracius sinus* inter Epirum et Acarnaniam (hod. *golfo di Larta*), sic dictus ab Ambracia, capite Epiri Pyrrhique regia, ei adjacente. Cf. XXXVIII, 4; Strab. VII, 7, 5, 6, p. 324, 325; Plin. IV, 1. — *Cercetius mons* Thessaliæ, Κερκετήσιος Ptol. III, 13. *Cerceti* mons Plin. IV, 8 seu 15. E Stephano

Digitized by Google

beret : ab eodem consilio[7] et plerique Epirotarum voluntarii inter auxilia accepti.

XV. Primam urbium Thessaliæ[1] Phaloriam est aggressus. Duo millia Macedonum in præsidio habebat, qui primo summa vi restiterunt, quantum arma, quantum mœnia tueri poterant : sed oppugnatio continua, non die, non nocte remissa (quum consul in eo verti crederet cæterorum Thessalorum animos, si primi vim romanam non sustinuissent), vicit pertinaciam Macedonum. Capta Phaloria, legati a Metropoli et a Piera[2] dedentes urbes venerunt : venia eisdem petentibus datur; Phaloria incensa ac direpta est. Inde Æginium petit; quem locum quum vel modico præsidio tutum ac prope inexpugnabilem vidisset, paucis in stationem proximam telis conjectis, ad Gomphorum regionem agmen vertit : degressusque in campos Thessaliæ, quum jam omnia exercitui deessent, quia Epirotarum pepercerat agris, explorato ante[3], utrum Leucadem, an sinum Ambracium onerariæ tenuissent, frumentatum Ambraciam in vicem cohortes misit : et est iter a Gomphis Ambraciam, sicut impeditum ac difficile, ita spatio perbrevi. Intra

in Πιαλία *Cercetico* h. l. legendum putabat Sigon.

7. *Ab eodem consilio;* vid. I, 1, n. 5.

Cap. XV. 1. *Primam urbium Thessaliæ*, h. e. ex urbibus Th. primum *est aggressus Phaloriam*, quæ Φαλώρη et Φαλωρία dicitur Steph. Cf. XXXVI, 13, et XXXIX, 25.

2. *A Metropoli et Piera*, quæ XXXVI, 14. *Pieria*, sed in uno tantum MS vocatur; in reliquis et edd. vett. *Fieria, Gieria, Cieria, Cyeria, Egeria, Eieria.* Forte leg. *Pialia* cum Sigon.e Steph., vel potius cum Drak. *Cypæra*, quæ in his oris memoratur a Ptol. III, 13, et inf. XXXVI, 10 pr. cum *Metropoli* jungitur, ut *Pieria* h. l. et XXXVI, 14. — *Æginium* opp. Hestiæotidis ad fines Epiri, ut XXXVI, 13. Αἰγίνιον Τυμφαίων (in Epiro), ὅμορον Αἰθικίᾳ καὶ Τρίκκῃ Strab. VII, 7, 9, p. 327. *In regione, quæ Pieria appellatur a nemore* (cf. XLIV, 43 pr.), *Æginium* Plin. IV, 10 seu 17. Illyrico tribuitur a Steph.

3. *Explorato ante;* vide ad I, 41, n. 10. — *Utrum Leucadem tenuissent;* vide ad I, 1, n. 8, et XXVI, 26 n. 1. De *sinu Ambracio* et *Ambracia*, vide ad c. 14, n. 6.

Digitized by Google

paucos itaque dies, transvectis a mari commeatibus, repleta omni rerum copia sunt castra. Inde[4] Atracem est profectus : decem ferme millia ab Larissa abest; ex Perrhæbia oriundi sunt; sita est urbs super Peneum amnem. Nihil trepidavere Thessali ad primum adventum Romanorum : et Philippus, sicut in Thessaliam ipse progredi non audebat, ita, intra Tempe stativis positis, ut quisque locus ab hoste tentabatur[5], præsidia per occasiones submittebat.

XVI. Sub idem ferme tempus, quo consul adversus Philippum primum in Epiri faucibus[1] castra posuit, et L. Quintius, frater consulis, cui classis cura maritimæque oræ imperium mandatum ab senatu erat, cum duabus quinqueremibus Corcyram transvectus, postquam profectam inde classem audivit, nihil morandum ratus, quum ad Zamam insulam[2] assequutus esset, dimisso L. Apustio, cui successerat, tarde inde ad Maleam, trahendis plerumque remulco[3] navibus, quæ cum commeatu sequebantur, pervenit. A Malea,

4. *Inde Atracem* (ex emendat. Gron. pro vulg. *ad Ragen* et *Rhagen*) *est profectus... ex Perrhæbia oriundi sunt* (vide ad III, 47, n. 1), *sita est urbs super Peneum amnem;* v. Strab. IX, p. 440.

5. *Locus ab hoste tentabatur;* vide ad IX, 35, n. 1.

Cap. XVI. 1. *In Epiri faucibus,* etc. vid. cap. 9-12.

2. *Ad Zamam insulam,* a librariis haud dubie effictam. *Zacynthum* conj. Glar. et *Samen* Sigon. Sed illud voc. nimis differt a nostro, neutrumque satis aptum h. l., ubi non insula longe remota a *Malea* prom. Laconiæ, sed ei propinqua designari videtur. Præterea *Zacynthus* quidem est insula (Cephalleniæ subjecta versus austrum et ex adverso Elidi sita, hod. *Zante*); *Same* vero vel oppidum Cephalleniæ (vid. XXXVIII, 28-30), vel antiquius ejus nomen (vid. Strab. X, pag. 453; Eustath. ad Hom. Il. I, 141, et Odyss. I, 246; IV, 671; Palmer. Græc. Antt. IV, 24, et Intpp. Virg. Æn. III, 271), quam diversam ab ea et vicinam fuisse insulam, perperam ex Homeri locis collegisse videntur Mela, II, 7, et Plin. IV, 12 seu 19. *Cāmam, Caniam* et *Gamam* quidam MSS. Forte leg. *Cranaen,* quæ insula præjacet Gythio, Laconicæ opp. vid. Strab. IX, p. 612; Pausan. III, 22; Intpp. Hom. Il. III, 445, et Begeri Diss. de Cranae insula Laconica eadem et Helena dicta, etc.

3. *Trahendis remulco navibus;* vide

Digitized by Google

jussis cæteris, quantum maxime possent maturate, sequi, ipse tribus quinqueremibus expeditis Piræeum præcepit, accepitque naves ibi relictas ab L. Apustio legato ad præsidium Athenarum. Eodem tempore duæ ex Asia classes profectæ, una cum Attalo rege (eæ quatuor et viginti quinqueremes erant); Rhodia altera viginti navium tectarum[4]; Agesimbrotus præerat. Hæ circa Andrum insulam classes conjunctæ Euboeam, inde exiguo distantem freto, trajecerunt. Carystiorum primum agros vastarunt; deinde, ubi Carystus, præsidio a Chalcide raptim misso, firma visa est, ad Eretriam accesserunt. Eodem et L. Quintius cum iis navibus, quæ Piræei fuerant, Attali regis adventu audito, venit, jussitque, ut, quæ ex sua classe venissent naves, Euboeam peterent[5]. Eretria summa vi oppugnabatur; nam et trium junctarum classium naves omnis generis tormenta machinasque ad urbium excidia secum portabant, et agri affatim materiæ præbebant ad nova molienda opera. Oppidani primo haud impigre tuebantur mœnia; deinde fessi vulneratique aliquot, quum et muri partem eversam operibus hostium cernerent, ad deditionem inclinarunt. Sed præsidium erat Macedonum, quos non minus, quam Romanos, metuebant; et Philocles regius præfectus a Chalcide

ad I, 53, n. 3, et XXV, 30, n. 6. — *Jussis cæteris, quantum maxime possent maturate, sequi*, multis MSS et edd. vett. *maturare*, et Lov. 3, *maturarent sequi*. Alterutrum præferendum putabant Gron. et Drak. — *Ipse* cum *tribus quinqueremibus* (vide ad I, 14, n. 4) *expeditis*, quarum iter non impediebatur trahendis remulco navibus onerariis (vide tamen ad librum V, cap. 16, n. 2), *Piræeum præcepit*, portum Athenarum prius cepit, pervenit. Conf. supra ad librum III, cap. 46, n. 5.

4. *Viginti navium tectarum;* vide ad XXII, 19, n. 4.

5. *Jussitque, ut... Euboeam peterent;* vide ad I, 17, n. 7. — Creverius locutionem hanc notandam monuit; nam verbo *jubere* subjungitur fere verbum infiniti modi. Quare conjicit: *jussitque, ut quæque... venissent naves, Euboeam petere*. Sed vulgatam Drak. tuetur. Ed.

Digitized by Google

nuntios mittebat, se in tempore affuturum[6], si sustinerent obsidionem : hæc mixta metu spes ultra, quam vellent, aut quam possent, trahere eos tempus cogebat; deinde, postquam Philoclem repulsum trepidantemque refugisse Chalcidem acceperunt, oratores extemplo ad Attalum, veniam fidemque ejus petentes, miserunt. Dum in spem pacis intenti segnius munera belli obeunt, et ea modo parte, qua murus dirutus erat, cæteris neglectis, stationes armatas opponunt; Quintius, noctu ab ea parte, quæ minime suspecta erat, impetu facto, scalis urbem cepit. Oppidanorum omnis multitudo cum conjugibus ac liberis in arcem confugit; deinde in deditionem venit[7]. Pecuniæ aurique et argenti haud sane multum fuit : signa, tabulæ priscæ artis, ornamentaque ejus generis plura, quam pro urbis magnitudine[8] aut opibus cæteris, inventa.

XVII. Carystus inde repetita; unde, prius quam e navibus copiæ exponerentur, omnis multitudo, urbe deserta, in arcem confugit : inde ad fidem ab Romano petendam oratores mittunt. Oppidanis extemplo vita ac libertas concessa est; Macedonibus treceni[1] nummi in capita statutum est pretium, et ut armis traditis abirent : hac summa redempti, in Bœotiam inermes trajecti. Navales copiæ, duabus claris urbibus Euboeæ intra dies paucos captis, circumvectæ Sunium atticæ

6. *A Chalcide nuntios mittebat, se in tempore affuturum;* vide ad II, 47, n. 4, et VIII, 19, n. 10.

7. *Deinde in deditionem venit;* vid. ad VIII, 20, n. 7.

8. *Plura, quam pro magnitud.,* etc. vide etiam ad librum VII, cap. 33, not. 2.

Cap. XVII. 1. *Treceni nummi.* Creverius quærit quales hi nummi fuerint, græcine an romani? drachmas tamen intelligendas esse facile crederet, ex lib. XXII, cap. 58, ubi pretia in capita Romanorum constituta ab Hannibale sunt *equiti quingeni quadrigati nummi, pediti treceni.* Quadrigati autem, denarii sunt, quibus pares drachmæ. Trecentæ drachmæ efficiunt marcas argenti nostrates 4, cum 5 unciis et semuncia. Ed. —

Digitized by Google

terræ promontorium, Cenchreas Corinthiorum emporium petierunt. Consul interim omnium spe longiorem atrocioremque oppugnationem habuit; et ea, qua minimum credidisset, resistebant hostes : nam omnem laborem in muro diruendo crediderat fore; si aditum armatis in urbem patefecisset, fugam inde cædemque hostium fore, qualis captis urbibus fieri solet. Cæterum postquam, parte muri arietibus decussa[2], per ipsas ruinas transcenderunt in urbem armati, illud principium velut novi atque integri laboris fuit; nam Macedones, qui in præsidio erant et multi et delecti, gloriam etiam egregiam rati, si armis potius et virtute, quam mœnibus, urbem tuerentur, conferti, pluribus introrsus ordinibus acie firmata, quum transcendere ruinas sensissent Romanos, per impeditum ac difficilem ad receptum locum expulerunt. Id consul ægre passus, nec eam ignominiam ad unius modo expugnandæ moram urbis, sed ad summam universi belli[3], pertinere ratus, quod ex momentis parvarum plerumque rerum penderet, purgato loco, qui strage semiruti muri cumulatus erat, turrem ingentis altitudinis, magnam vim armatorum multiplici tabulato portantem, promovit, et cohortes in vicem sub signis, quæ cuneum Macedonum (phalangem ipsi vocant), si possent, vi perrumperent, emittebat. Sed ad loca angusta, haud late patente intervallo diruti muri, genus armorum pugnæque hosti aptius erat. Ubi conferti hastas ingentis longitudinis

Cenchreas Corinthiorum emporium; vide ad XXVIII, 8, n. 6. — *Atrocioremque oppugnationem habuit*, sc. Atracis; vid. cap. 15 extr. Pro *atrocioremque* Gron. conj. *Atracis* vel ad *Atracem*. — *Et ea*, sc. parte.

2. *Parte muri arietibus decussa;* vide ad XXI, 12, n. 1.

3. *Ad summam universi belli* (vid. ad III, 5, n. 6), *quod ex momentis parvarum p. rerum penderet;* vide ad III, 27, n. 6.

Digitized by Google

præ se Macedones objecissent[4], velut in constructam densitate clypeorum testudinem Romani, pilis nequidquam emissis, quum strinxissent gladios; neque congredi propius, neque præcidere hastas poterant: et, si quas incidissent, aut præfregissent, hastilia fragmento ipso acuto, inter spicula integrarum hastarum, velut vallum explebant. Ad hoc et muri pars adhuc integra utraque tuta præstabat latera; nec ex longo spatio aut cedendum, aut impetus faciendus erat: quæ res turbare ordines solet. Accessit etiam fortuita res ad animos eorum firmandos; nam quum turris per aggérem[5] parum densati soli ageretur, rota una in altiorem orbitam depressa ita turrim inclinavit, ut speciem ruentis hostibus trepidationemque insanam superstantibus armatis præbuerit.

XVIII. Quum parum quidquam succederet, cônsul minime æquo animo comparationem militum generis armorumque fieri patiebatur; simul nec maturam expugnandi spem, nec rationem procul a mari et in evastatis belli cladibus locis hibernandi ullam cernebat: itaque relicta obsidione, quia nullus in tota Acarnaniæ atque Ætoliæ ora portus erat, qui simul et omnes onerarias[1], quæ commeatum exercitui portabant, caperet, et tecta ad hibernandum legionibus præberet, Anticyra in Phocide, in Corinthium versa sinum, ad id opportunissime sita visa; quia nec procul Thessalia hostiumque locis abibant, et ex adverso Peloponnesum exiguo maris spatio divisam, ab tergo Ætoliam Acarnaniamque, ab lateribus Locridem ac Bœotiam

4. *Hastas ingentis longitudinis præ se Macedones objecissent*, non transversas, sed directas; Ern.

5. *Quum turris per aggerem*, etc. conf. Lips. Poliorc. II, 4.

Cap. XVIII. 1. *Qui simul et omnes onerarias;* vide ad XXV, 27, n. 5, et XXVI, 43, n. 2. — *Anticyra in Phocide;* vide ad XXVI, 26, n. 1, et conf. Pausan. VII, 7 extr.

Digitized by Google

habebant. Phocidis primo impetu Phanoteam[2] sine certamine cepit. Anticyra haud multum in oppugnando præbuit moræ. Ambrysus inde Hyampolisque receptæ. Daulis, quia in tumulo excelso sita est, nec scalis, nec operibus capi poterat: lacessendo missilibus eos, qui in præsidio erant, quum ad excursiones elicuissent, refugiendo in vicem insequendoque, et levibus sine effectu certaminibus, eo negligentiæ et contemptus adduxerunt, ut cum refugientibus in portam permixti impetum Romani facerent[3]. Sex alia ignobilia castella Phocidis terrore magis, quam armis, in potestatem venerunt. Elatia clausit portas[4]; nec, nisi vi cogerentur, recepturi mœnibus videbantur aut ducem, aut exercitum romanum.

XIX. Elatiam obsidenti consuli rei majoris spes affulsit, Achæorum gentem ab societate regia ad romanam amicitiam avertendi: Cycliadam[1], principem factionis ad Philippum trahentium res, expulerant. Aristænus, qui Romanis gentem jungi volebat, prætor erat: classis romana cum Attalo et Rhodiis Cenchreis stabat, parabantque communi omnes consilio Corinthum oppugnare: optimum igitur ratus est, prius quam eam rem aggrederentur, legatos ad gentem

2. *Phocidis... Phanoteam;* vide ad XLIII, 21, not. 2. — *Ambrysus, Hyampolis* et *Daulis;* vid. Strab. IX, 424, et Palmer. Græc. Antt. VI, 12, 13 et 15. — Strabo loco laud. duas Hyampoleis facit; alteram Phocensium, cujus hic mentio est; alteram in Parnasso monte. Ed.

3. *Ut cum refugientibus in portam permixti impetum Romani facerent:* « ex eo, quod sequitur, sex alia ignobilia castella in potestatem venisse, colligi quidem potest, Daulidem quoque captam fuisse; sed hæc verba incertum relinquunt, quo effectu impetum Romani fecerint: nam multi impetus sine effectu sunt. Suspicor, vel aliquid excidisse, vel leg. *impetu eam Romani caperent* ». Duk.

4. *Elatia clausit portas* (vide ad XXVIII, 7, n. 3), *nec, nisi vi cogerentur, recepturi mœnibus*, etc. vide ad III, 47, n. 1. Verba *aut ducem aut exercitum* glossam esse dubitantis, quo sensu *romanum* dixisset Livius, non male suspicabatur Drak.

Cap. XIX. 1. *Cycliadam... expulerant* Achæi, et *Aristænus prætor*

Digitized by Google

Achæorum mitti, pollicentes, si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium[2]. Auctore consule, legati a fratre ejus L. Quintio et Attalo et Rhodiis et Atheniensibus ad Achæos missi; Sicyone datum iis est concilium: erat autem non admodum simplex[3] habitus animorum inter Achæos. Terrebat eos Lacedæmonius, gravis et assiduus hostis; horrebant romana arma; Macedonum beneficiis et veteribus et recentibus obligati erant; regem ipsum suspectum habebant pro ejus crudelitate perfidiaque, neque ex iis, quæ tum ad tempus faceret, æstimantes[4], graviorem post bellum dominum futurum cernebant. Neque solum, quid in senatu quisque civitatis suæ, aut in communibus conciliis gentis pro sententia dicerent, ignorabant; sed ne ipsis quidem secum cogitantibus, quid vellent, aut quid optarent, satis constabat[5]. Ad homines ita incertos introductis legatis potestas dicendi facta est. Romanus primum legatus L. Calpurnius, deinde Attali regis legati, post eos Rhodii disseruerunt: Philippi deinde legatis dicendi potestas facta est. Postremi Athe-

erat; conf. Polyb. XVII, 1, ibique Schweigh.

2. *Corinthum iis contributuros* se, sc. Romanos *in antiquum gentis concilium*, attributuros antiquo Achæorum fœderi sociali, cui simile postea Ætolorum erat oppositum, tota fere Græcia in duas partes societatesque divisa. Conf. XLII, 37, et de utroque fœdere achaico ætolicoque Potteri Archæol. lib. I extr. et Polyb. II, 37-42.

3. *Erat autem non admodum simplex,* non unus idemque, *habitus animorum inter Achæos,* id est, incerti animis erant, et variis difficultatibus impediti nesciebant, quomodo se expedirent, quid optarent et facerent, ob rationes in utramque vel multiplicem potius partem permultas; Ern. —*Terrebat eos Laced.* Goeller e codice Bamb. velit restitui *terrebat Nabis Laced.* quia de bello adversus eum jam deliberaverant Achæi, sup. lib. XXXI, 25. Ed.

4. *Neque ex iis, quæ tum ad tempus faceret, æstimantes,* etc. h. e. regem, qui colebat ipsos tum temporis et quædam iis oppida restituerat, non ex simulata ad tempus benignitate, sed ex insita crudelitate ac perfidia æstimantes, si victor foret, nihil ab illo boni exspectabant; Gron.

5. *Sed* etiam *ne ipsis quidem... quid vellent, satis constabat;* vide ad I, 40,

Digitized by Google

nienses, ut refellerent Macedonum dicta, auditi sunt: ii fere atrocissime in regem, quia nulli nec plura, nec tam acerba passi erant, invecti sunt. Et illa quidem concio sub occasum solis[6], tot legatorum perpetuis orationibus die absumpto, dimissa est.

XX. Postero die advocatur concilium : ubi quum per præconem, sicut Græcis mos est, suadendi, si quis vellet, potestas a magistratibus facta esset, nec quisquam prodiret; diu silentium aliorum alios intuentium fuit. Neque mirum, si, quibus sua sponte, volutantibus res inter se pugnantes, obtorpuerant quodammodo animi, eos orationes quoque insuper turbaverant, utrimque quæ difficilia essent, promendo admonendoque, per totum diem habitæ. Tandem Aristænus prætor Achæorum, ne tacitum concilium dimitteret, « Ubi, inquit, illa certamina animorum, « Achæi, sunt, quibus in conviviis et circulis, quum « de Philippo et Romanis mentio incidit, vix manibus « temperabatis[1]? Nunc in concilio, ad eam rem unam « indicto, quum legatorum utrimque verba audieritis, « quum referant magistratus[2], quum præco ad suaden- « dum vocet, obmutuistis. Si non cura communis sa- « lutis, ne studia quidem, quæ in hanc aut illam par- « tem animos vestros inclinarunt, vocem cuiquam « possunt exprimere? quum præsertim nemo tam he- « bes sit, qui ignorare possit, dicendi ac suadendi, « quod quisque aut velit, aut optimum putet, nunc

n. 6. Mox *auditi, fere atrocissime,* etc. leg. cum Drak., vel cum Gron. *auditi sunt, fere atrocissime... invecti. Et illa,* etc. Certe τὸ *ii* ab Gelenio est.

6. *Sub occasum solis;* vide ad I, 35, n. 1. — *Perpetuis orationibus;* vide ad IV, 6, n. 1.

Cap. XX. 1. *Vix manibus temperabatis?* vide ad II, 23, n. 8. — Vide quæ de Achæis et de omnibus tunc temporis populis bellum in Græcia exercentibus disserit acutissime nostras *Montesquieu, Grandeur et Décad. des Romains,* cap. 5. Ed.

2. *Quum referant magistratus;* vid. ad XXVI, 2, n. 3.

Digitized by Google

« occasionem esse, prius quam quidquam decerna-
« mus. Ubi semel decretum erit, omnibus id, etiam
« quibus ante displicuerit, pro bono atque utili fœ-
« dere defendendum[3] ». Hæc adhortatio prætoris non modo quemquam unum elicuit ad suadendum; sed ne fremitum quidem[4] aut murmur concionis tantæ, ex tot populis congregatæ, movit.

XXI. Tum Aristænus prætor rursus : « Non magis
« consilium vobis, principes Achæorum, deest, quam
« lingua; sed suo quisque periculo in commune con-
« sultum[1] non vult. Forsitan ego quoque tacerem, si
« privatus essem : nunc prætor video, aut non dan-
« dum concilium legatis fuisse, aut inde sine responso
« eos dimittendos non esse. Respondere autem, nisi
« ex vestro decreto, qui possum? Et quando nemo
« vestrum, qui in hoc concilium advocati estis, pro
« sententia quidquam dicere vult, aut audet; oratio-
« nes legatorum, hesterno die dictas, pro sententiis
« percenseamus, perinde ac non postulaverint, quæ
« e re sua essent[2], sed suaserint, quæ nobis censerent
« utilia esse. Romani Rhodiique et Attalus societa-
« tem amicitiamque nostram petunt, et in bello,
« quod adversus Philippum gerunt, se a nobis adju-
« vari æquum censent. Philippus societatis secum
« admonet et jurisjurandi, et modo postulat, ut se-
« cum stemus; modo, ne intersimus armis, contentum
« ait se esse. Nulline venit in mentem, cur, qui non-

3. *Pro bono atque utili fœdere defendendum :* immo fore *defendendum :* nam nulla fœderis antea fit mentio, neque necessario illud isto decreto erant juncturi; Periz.

4. *Non modo quemquam unum... sed ne fremitum quidem*, etc. vide ad I, 40, n. 1, et III, 55, n. 13.

Cap. XXI. 1. *In commune consultum;* vide ad VI, 6, n. 7.

2. *Quæ e re sua essent*, ut mox *utilia esse;* vide ad I, 27, n. 5. — *Societatis secum* initæ, junctæ. — *Secum stemus;* vide ad VIII, 34, n. 1. — *Intersimus armis;* vide supra ad III, 15, n. 8.

Digitized by Google

« dum socii sunt[3], plus petant, quam socius? Non fit « hoc neque modestia Philippi, neque impudentia « Romanorum : Achæi portus et dant fiduciam postu- « lantibus, et demunt; Philippi præter legatum vide- « mus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat, urbium « Euboeæ spolia præ se ferens; consulem legionesque « ejus, exiguo maris spatio disjunctas, Phocidem ac « Locridem pervagantes videmus. Miramini, cur diffi- « denter Cleomedon legatus Philippi, ut pro rege arma « caperemus adversus Romanos, modo egerit; qui, si « ex eodem fœdere ac jurejurando, cujus nobis reli- « gionem injiciebat, rogemus eum, ut nos Philippus « et ab Nabide ac Lacedæmoniis et ab Romanis defen- « dat, non modo præsidium, quo nos tueatur, sed ne « quid respondeat quidem nobis, sit inventurus : non, « hercle, magis, quam ipse Philippus priore anno, « qui, pollicendo se adversus Nabidem[4] bellum gestu- « rum, quum tentasset nostram juventutem hinc in « Euboeam extrahere; postquam nos neque decernere « id sibi præsidium, neque velle illigari romano bello « vidit, oblitus societatis ejus, quam nunc jactat, va-

3. *Qui nondum socii sunt*, Romani, *plus petant, quam socius*, Philippus. — *Achæi portus et dant fiduciam postulantibus*, ad postulandum, Romanis, classem eamque victricem habentibus, *et demunt*, Philippo, non habenti classem, *cujus nihil præter legatum videmus;* Sigon. Non satis facit hæc interpretatio, et sententia pro *Achæi portus* requirit *sui exercitus* vel *suæ vires* aut quid tale; Gronov. Lenior medicina fuerit: *Arma* vel *armati potius et dant fiduciam postulantibus* societatem nostram Romanis, *et demunt* Philippo; quo sensu infra dicitur: *si victus armis cessit, Achæi arma romana sustinebimus, quæ vos Macedones non sustinuistis?* — Omnes fere MSS exhibent *dat* et *demit;* unde Walchius, Emend. p. 109, conjecturam hanc profert: *Cenchreæ portus;* nam illud ipse Livius innuere videtur, addens mox: *classis romana ad Cenchreas stat. Cenchreæ portus* dictum fuerit ut *Fregellæ colonia*, IX, 12; *Cyphanta portus*, Plin. lib. IV, cap. 5, etc. Goeller vero e cod. Bamb. vult ita legi:... *Romanorum, Achæi. Fortuna dat*, etc. facilius lectionem hanc e vulgata refingere possis. Ed.

4. *Pollicendo se adv. Nabidem*, etc. vid. XXXI, 25.

Digitized by Google

« standos depopulandosque Nabidi ac Lacedæmoniis « reliquit. Ac mihi quidem minime conveniens inter « se oratio Cleomedontis visa est : elevabat romanum « bellum[5], eventumque ejus eumdem fore, qui prio- « ris belli, quod cum Philippo gesserint, dicebat. Cur « igitur nostrum ille auxilium absens petit potius, « quam præsens nos veteres socios simul ab Nabide « ac Romanis tueatur? Nos, dico? quid ita passus est « Eretriam Carystumque capi? quid ita tot Thessaliæ « urbes? quid ita Locridem Phocidemque? quid ita « nunc Elatiam oppugnari patitur? cur excessit fauci- « bus Epiri claustrisque illis inexpugnabilibus super « Aoum amnem, aut vi, aut metu, aut voluntate, « relictoque, quem insidebat, saltu, penitus in re- « gnum abiit? Si sua voluntate tot socios reliquit ho- « stibus diripiendos, quid recusare potest, quin et « socii sibi consulant? si metu, nobis quoque igno- « scat timentibus. Si victus armis cessit, Achæi arma « romana sustinebimus[6], Cleomedon, quæ vos Mace- « dones non sustinuistis? An tibi potius credamus, « Romanos non majoribus copiis nec viribus nunc « bellum gerere, quam antea gesserint, potius quam « res ipsas intueamur? Ætolos tum classe adjuverunt; « nec duce consulari, nec exercitu bellum gesserunt; « sociorum Philippi maritimæ urbes in terrore ac tu- « multu erant; mediterranea adeo tuta ab romanis ar- « mis fuerunt, ut Philippus Ætolos, nequidquam opem

5. *Elevabat romanum bellum;* vide ad III, 21, n. 5. — *Prioris belli;* de quo vid. XXVII, 29 sq. XXVIII, 5 sq. XXIX, 12. Mox pro *tueatur* forte leg. *tuetur;* Gron.

6. *Achæi arma romana sustinebimus;* vide ad XXXIV, 32, n. 2. — *Nec duce consulari, nec exercitu consulari;* vide ad X, 25, n. 9. Sed quia hoc bellum consules gerunt, non consulares, forte cum Crev. leg. *nec duce consule, nec ex. consulari,* vel *nec duce, nec ex. consulari.* Mox *etiam* post *maritimæ* addunt MSS et edd. antt. Delevit Gelen. Sed forte pro eo leg. *tantum;* Gron.

Digitized by Google

« Romanorum implorantes, depopularetur. Nunc au-
« tem defuncti bello punico Romani, quod per sex-
« decim annos velut intra viscera Italiæ[7] toleraverunt,
« non præsidium Ætolis bellantibus miserunt, sed ipsi
« duces belli arma terra marique simul Macedoniæ
« intulerunt : tertius jam consul summa vi gerit bel-
« lum. Sulpicius, in ipsa Macedonia congressus, fudit
« fugavitque regem; partem opulentissimam regni ejus
« depopulatus : nunc Quintius tenentem claustra Epiri,
« natura loci, munimentis exercituque fretum, castris
« exsuit; fugientem in Thessaliam persequutus, præ-
« sidia regia sociasque ejus urbes prope in conspectu
« regis ipsius expugnavit. Ne sint vera, quæ Athe-
« nienses modo legati[8] de crudelitate, avaritia, libi-
« dine regis dixerunt; nihil ad nos pertineant, quæ
« in terra attica scelera in superos inferosque deos
« sunt admissa; multo minus, quæ Ciani Abydenique,
« qui procul a nobis absunt, passi sunt : nostrorum
« ipsi vulnerum, si vultis, obliviscamur; cædes dire-
« ptionesque bonorum Messenæ[9] in media Peloponneso factas; et hospitem Cyparissiæ Garitenem con-

7. *Intra viscera Italiæ;* vid. XXII, 38, n. 4. — *Tertius jam consul s. vi gerit bellum,* T. Quintius, post P. Sulpicium et P. Villium, a quo nihil memorabile actum (vid. cap. 6); unde mox ejus mentio non fit.

8. *Ne sint vera, quæ Athenienses modo legati,* etc. est concedentis, ut XXXI, 7, n. 4, *ne æquaveritis Hannibali Philippum,* etc. pro: ut jam non æquetis, ut concedam non æquandum esse Hannibali Philippum, at certe Philippum Pyrrho æquandum esse non negabitis; Duker. — *Ciani Abydenique;* de his vid. XXXI, 16 sq. *Cius* vero, *Cianorum* et Bithyniæ urbs fuit, ad oram Propontidis et Cianum sinum, qui ex Propontide in continentem influit : expugnata ac deleta a Philippo in gratiam Prusiæ, generi ejus et socii, ex quo forsan *Prusias ad mare* est appellata. Cf. cap. 33 extr. et 34 (quibus locis in omnibus fere MSS et edd. etiam Drakenb. perperam *Chium,* ut h. l. *Cluvii,* legitur); Strab. XII, pag. 563; Polyb. XV, 21-23; XVI, 34; XVII, 3-5; XVIII, 27 (ad quæ loca vid. Schweigh.); Hard. ad Plin. V, 32 seu 40 et 43; Wessel. ad Hierocl. p. 692, 694.

9. *Cædes direptionesque bonorum Messenæ,* etc. v. Plut. Arat. p. 1050 sq.

Digitized by Google

« tra jus omne ac fas inter epulas prope ipsas occisum : « et Aratum patrem filiumque Sicyonios[10], quum se- « nem infelicem parentem etiam appellare solitus esset, « interfectos; filii etiam uxorem libidinis causa in Ma- « cedoniam absportatam : cætera stupra virginum ma- « tronarumque oblivioni dentur : ne sint cum Phi- « lippo res, cujus crudelitatis metu obmutuistis omnes; « (nam quæ alia tacendi advocatis in concilium causa « est?) cum Antigono[11], mitissimo ac justissimo rege, « et de nobis omnibus optime merito, existimemus « disceptationem esse : num id postularet facere nos, « quod tum fieri non posset? Peninsula est Pelopon-

Polyb. III, 19; VII, 11, 12; VIII, 10, 14; IX, 30. — *Cyparissia*, aut Cyparissa, Cyparissiæ, Cyparissæ et Cyparissæa, opp. Messeniæ, ad Cyparissium sinum et prom.

10. *Aratum patrem* (auctorem instaurati fœderis Achaici) *filiumque Sicyonios*, Cliniæ filium nepotemque et Achæorum prætores, a Philippo *interfectos*, *filii etiam uxorem libidinis causa in Macedoniam absportatam*; vide ad XXVII, 31, n. 4; Polyb. VIII, 14; Pausan. II, 8, 9; Plut. Arat. t. I, p. 1050-1052; ex quo Plut. patet, indicari Aratum juniorem, filium ejus, quem miris laudibus ornat Strabo, l. VIII, p. 382, 385. — *Quum senem infelicem*, etc. Goelleri nota est, p. 379 : « Obscura sunt hæc; nam quæ vis est « in hoc, a filio senem infelicem pa- « rentem etiam appellari solitum? Gra- « vis sententia existet si legeris ex « codice Bamb. *quum senem inf. par.* « *et app. oblitus* esset ». Equidem valde miror virum doctum ibi hæsisse; sensus mihi planus videtur. Aristenæus memorat Aratum patrem filiumque a Philippo interfectos, eo majore flagitio, quod ipse Philippus Aratum senem parentis nomine appellare solitus esset. Sic omnia sunt plana, nedum opus immutatione sit. Ed. — *Filii etiam uxorem*. Goeller legi velit : *Polycratiam ejus* uxorem ex lib. XXVII. Ed. — *Ne sint cum Philippo res*, forte *sit*, quia frequentius dicitur hoc sensu *mihi res cum illo est*, quam *sunt*; Duk. et Drak.

11. *Cum Antigono* Dosone seu Evergete et Sotere, *mitissimo ac justissimo rege*, *et de nobis* Achæis *optime merito*; vid. ad Polyb. II, 47-54 et 70; Plut. Arat. p. 1045 sq. Pausan. II, 8, 9; VII, 7. Nepos fuit Antigoni II Gonatæ, qui duos habuit filios, Demetrium II patrem Philippi, ac nothum Alcyoneum, patrem Antigoni Dosonis (qui mortuo Demetrio II, tutor ac vitricus Philippi patruelis simulque ante eum rex factus est) et Echecratis, cujus filius fuit Antigonus. Conf. XL, 54; Diog. Laert. Vit. Philos. IV, 41; Pausan. II, 8; VI, 16; VII, 7; VIII, 8; Plut. Æmil. p. 258, et Pyrrh. p. 406; Justin. XXVIII, 3; Polyb. II, 45, 70; IV, 87; XX, 5. — *Quod tum fieri*, etc. quam vim illud tum habere possit, capere non facile est. An legendum cum Drakenb. *quod tuto fieri*;

Digitized by Google

« nesus, angustis Isthmi[12] faucibus continenti adhæ-
« rens, nulli apertior neque opportunior, quam na-
« vali, bello. Si centum tectæ naves et quinquaginta
« leviores apertæ et triginta Issaici lembi maritimam
« oram vastare, et expositas prope in ipsis litoribus
« urbes cœperint oppugnare, in mediterraneas scili-
« cet[13] nos urbes recipiemus? tanquam non intestino
« et hærente in ipsis visceribus uramur bello? Quum
« terra Nabis et Lacedæmonii, mari romana classis
« urgebunt; unde regiam societatem et præsidia Ma-
« cedonum implorem? an ipsi nostris armis ab hoste
« romano tutabimur urbes, quæ oppugnabuntur? egre-
« gie enim Dymas priore bello sumus tutati[14]. Satis
« exemplorum nobis alienæ clades præbent; ne quæ-
« ramus, quemadmodum cæteris exemplo simus. No-
« lite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id, quod
« optandum vobis ac summa ope petendum erat, fa-
« stidire. Metu enim videlicet compulsi[15] in aliena
« terra, quia sub umbra auxilii vestri latere volunt,
« in societatem vestram confugiunt, ut portubus ve-
« stris recipiantur, ut commeatibus utantur. Mare in
« potestate habent; terras, quascumque adeunt, ex-

vel cum Goellero, *quod tueri non posset?* Ed.

12. *Peninsula est Peloponnesus, angustis Isthmi* Corinthiaci seu Achaici *faucibus continenti* Græciæ, seu Helladi *adhærens, nulli apertior neque opportunior, quam navali, bello;* vide ad I, 54, n. 4; XXV, 16, n. 12, et XLV, 28, n. 3. — *Tectæ naves et apertæ;* vide ad XXII, 19, n. 4. — *Issaici lembi;* vide ad XXXI, 45, n. 7. — *Expositas in ipsis litoribus urbes;* vide ad XXV, 16, n. 12.

13. *In mediterraneas scilicet*, etc. vide ad IV, 5, n. 2. — *Hærente in visceribus uramur bello;* vide ad X, 17, n. 1, et XXII, 38, n. 4.

14. *Egregie enim Dymas priore bello sumus tutati;* vide ad XXVII, 31, n. 4. *Prius bellum* est illud, quod Romani tempore belli punici II cum Philippo gesserunt, et quo Dymas a Romanis expugnatas esse, memorant et Livius, etsi non suo loco, sed demum hic et cap. seq. data occasione, et Pausan. VII, 17, n. 3; ubi ex Liv. XXVII, 31 sq. pro Οὐλυμπικὸς leg. Σουλπίκιος; Drak.

15. *Metu enim videlicet compulsi*, etc. vide ad IV, 5, n. 2.

Digitized by Google

« templo ditionis suæ faciunt. Quod rogant, cogere « possunt; quia pepercisse volunt, committere vos, « cur pereatis, non patiuntur; nam quod Cleomedon « modo, tanquam mediam et tutissimam vobis viam « consilii, ut quiesceretis abstineretisque armis, osten- « debat; ea non media, sed nulla via est. Etenim, præ- « terquam quod aut accipienda, aut adspernanda vo- « bis romana societas est, quid aliud quam, nusquam « gratia stabili, velut qui eventum exspectaverimus, « ut fortunæ applicaremus nostra consilia, præda victo- « ris erimus[16]? Nolite, si, quod omnibus votis peten- « dum erat, ultro offertur, fastidire : non, quemadmo- « dum hodie utrumque vobis licet, sic semper liciturum « est; nec sæpe, nec diu eadem occasio erit. Liberare « vos a Philippo jam diu magis vultis, quam audetis: « sine vestro labore et periculo qui vos in libertatem « vindicarent, cum magnis classibus exercitibusque « mare trajecerunt. Hos si socios adspernamini, vix « sanæ mentis estis; sed, aut socios, aut hostes ha- « beatis, oportet. »

XXII. Secundum orationem prætoris[1] murmur ortum aliorum cum assensu, aliorum inclementer assentientes increpantium : et jam non singuli tantum, sed populi universi, inter se altercabantur. Tum inter magistratus gentis (damiurgos[2] vocant; decem numero creantur) certamen nihilo segnius, quam inter

16. *Nam quod Cleomedon...præda victoris erimus;* cf. simil. loc. XXXV, 49 extr.

Cap. XXII. 1. *Secundum orationem prætoris;* vide ad I, 4, n. 1.

2. *Magistratus gentis* Achæorum *damiurgos* (alii *demiurgos;* vide ad I, 34, n. 2) *vocant : decem numero creantur :* qui δημιουργοὶ τῶν Ἀχαιῶν dicuntur Polyb. XXIV, 5, 16, et οἱ ἄρχοντες XXIII, 10, 12; XXIV, 5, 17. Δημιουργοὶ παρὰ τοῖς Δωριεῦσιν οἱ ἄρχοντες, τὰ δημόσια πράττοντες, ὥσπερ Ἀθήνησιν οἱ Δήμαρχοι, λέγονται, Hesych. Cf. inf. XXXVIII, 30, ibique Drak. Athenis tres erant civium classes, εὐπατρίδαι, nobiles, γεωμόροι, agricolæ, et δημιουργοὶ, seu Dor. δαμιουργοὶ, opifices, inpr. statuarii.

Digitized by Google

multitudinem, esse : quinque relaturos se de societate romana[3] aiebant, suffragiumque daturos; quinque lege cautum testabantur, ne quid, quod adversus Philippi societatem esset, aut referre magistratibus, aut decernere concilio jus esset. Hic quoque dies jurgiis est consumptus : supererat unus justi concilii dies (tertio enim lex jubebat decretum fieri); in quem adeo exarsere studia, ut vix parentes ab liberis temperaverint. Rhisiasus (Pellenensis erat) filium damiurgum, nomine Memnonem, habebat, partis ejus, quæ decretum recitari perrogarique sententias[4] prohibebat. Is, diu obtestatus filium, ut consulere Achæos communi saluti pateretur, neu pertinacia sua gentem universam perditum iret, postquam parum proficiebant preces, juratus se eum sua manu interempturum, nec pro filio, sed pro hoste, habiturum, minis pervicit, ut postero die conjungeret iis se, qui referebant. Qui quum plures facti referrent, omnibus fere populis haud dubie approbantibus relationem, ac præ se ferentibus, quid decreturi essent; Dymæi ac Megalopolitani et quidam Argivorum, prius quam decretum fieret, consurrexerunt, ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo, neque improbante : nam Megalopolitanos, avorum memoria[5] pulsos ab Lacedæmoniis, restituerat in patriam Antigonus; et Dymæis, captis

3. *Relaturos se de societate rom.;* vide ad XXVI, 2, n. 3.

4. *Perrogarique sententias;* vide ad c. 23, n. 1. — *Juratus se eum... interempturum;* vid. ad cap. 6, n. 1.

5. *Megalopolitanos, avorum memoria*, temporibus, *pulsos ab Lacedæmoniis*, a Cleomene, primo sævissimoque eorum tyranno, quum capta urbe Messenam se recepissent, *restituerat in patriam Antigonus* Doson, rex Macedoniæ, qui victo Cleomene Spartaque expugnata omnibus Græcis pacem restituit; vid. Polyb. II, 48-70; IV, 3; V, 93; Plut. Cleom. c. 4, t. I, pag. 806; Pausan. IV, 29; VIII, 27. Livium haud accurate dixisse *avorum memoria*, Philippumque, Antigoni Dosonis patrui successorem, et eversam et restitutam Megalopolim vidisse, jam monuisse scitum est Crev. et Drakenb.

Digitized by Google

nuper direptisque ab exercitu romano, quum redimi eos, ubicumque servirent, Philippus jussisset, non libertatem modo, sed etiam patriam, reddiderat. Jam Argivi, præterquam quod Macedonum reges ab se oriundos[6] credunt, privatis etiam hospitiis familiarique amicitia plerique illigati Philippo erant. Ob hæc concilio, quod inclinaverat ad romanam societatem jubendam[7], excesserunt; veniaque iis hujus secessionis fuit, et magnis et recentibus obligatis beneficiis.

XXIII. Cæteri populi Achæorum, quum sententias[1] perrogarentur, societatem cum Attalo ac Rhodiis præsenti decreto confirmarunt; cum Romanis, quia injussu populi non poterat rata esse, in id tempus, quo Romam mitti legati possent, dilata est. In præsentia tres legatos L. Quintium mitti placuit, et exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoveri; captis Cenchreis, jam urbem ipsam Quintio oppugnante. Et hi quidem[2] e regione portæ, quæ fert Sicyonem, posuerunt castra. Romani ad Cenchreas versam partem urbis, Attalus, traducto per Isthmum exercitu, ab Lechæo, alterius maris portu, oppugnabant; primo segnius, sperantes seditionem intus fore inter oppidanos ac regium præsidium. Postquam uno animo

6. *Macedonum reges ab se oriundos;* vide tamen ad librum XXVII, cap. 30, n. 7.

7. *Ad romanam societatem jubendam,* alii *ineundam:* sed phrasis e comitiis populi rom. petita, quorum loco græcis populis talia erant concilia; Gron. coll. XXXIII, 2.

Cap. XXIII. 1. *Quum sententias* (ita omnes pæne MSS at edd. vett. *sententiæ,* ut c. 22, n. 4, et XXIX, 19, n. 3) *perrogarentur,* h. e. de sententiis omnes ordine interrogarentur: ut *rogatus* et *interrogatus sententiam* XXII, 60, n. 3; XXXVI, 7 pr. XXXVII, 14; et *perrogare* pro: omnes ordine rogare (vide ad XXIX, 19, n. 3; XXXII, 22, n. 4; Cort. ad Plin. Ep. IV, 22, n. 3), ut *persalutare, prescribere* (Præf. et XXXI, 1, n. 2), et similia; nisi simpl. est *iuterrogare,* et hinc *ordine* adjicitur ap. Suet. Aug. cap. 35 extr.

2. *Et hi quidem,* scil. Achæi. — *Ad Cenchreas;* vide ad XXVIII, 8, n. 6. — *Ab Lechæo;* vid. VIII, 17, n. 5.

Digitized by Google

omnes, et Macedones tanquam communem patriam tuebantur, et Corinthii ducem præsidii Androsthenem, haud secus quam civem et suffragio creatum suo, imperio justo patiebantur[3]; omnis inde spes pugnantibus in vi et armis et operibus erat. Undique aggeres haud facili aditu ad mœnia admovebantur: aries ex ea parte, quam Romani oppugnabant, aliquantum muri diruerat. In quem locum, quia nudatus munimento erat, protegendum armis quum Macedones concurrissent, atrox prælium inter eos ac Romanos ortum est. Ac primo multitudine facile expellebantur Romani: adsumptis deinde Achæorum Attalique auxiliis, æquabant certamen; nec dubium erat, quin Macedonas Græcosque facile loco pulsuri fuerint. Transfugarum Italicorum magna multitudo erat; pars ex Hannibalis exercitu metu pœnæ a Romanis Philippum sequuti, pars navales socii, relictis nuper classibus, ad spem honoratioris militiæ transgressi: hos desperata salus, si Romani vicissent, ad rabiem magis, quam audaciam, accendebat. Promontorium est adversus Sicyonem Junonis, quam vocant Acræam[4], in altum excurrens: trajectus inde Corinthum, septem millia ferme passuum. Eo Philocles, regius et ipse præfectus, mille et quingentos milites per Bœotiam duxit. Præsto fuere ab Corintho lembi,

3. *Imperio justo patiebantur*, forte leg. *imperatorem justum p.*, et deinde *oppugnantibus* pro *pugnantibus;* Gron. — Goeller e codice Bamb. affert, *imperio in se uti patiebantur*. Ed. — *Honoratioris militiæ*. In navalem militiam libertini fere conscribebantur, aut certe tenuiores ex ingenuis. Vide Lips. de Mil. Rom. lib. I, dial. 2. Ed.

4. *Promontorium Junonis, quam vocant Acræam*, Ἀκραίαν, arcium præsidem; vid. Strab. VIII, 380, al. 692, et Pausan. II, 17, 24. Sic et Τύχη Ἀκραία ap. Pausan. II, 7, 5, et *Acræus Jupiter*, qui vel ταῖς ἄκραις urbium præesse, vel ἐπὶ τῶν ἄκρων τῶν ὀρῶν coli putabatur, inf. XXXVIII, 2, n. 2, et in nummo smyrnæo ap. Spon. Cf. Tristan. Comm. t. I, p. 291; Cuper. Apoth. Hom. p. 16; Spanhem. ad Callim. Hymn. in Jov. 82, in Del. 70, 104.

Digitized by Google

qui præsidium id acceptum Lechæum trajicerent. Auctor erat Attalus, incensis operibus, omittendæ extemplo oppugnationis. Pertinacius Quintius in incepto perstabat. Is quoque ut pro omnibus portis disposita vidit præsidia regia, nec facile erumpentium impetus sustineri posse, in Attali sententiam concessit. Ita irrito incepto, dimissis Achæis, reditum ad naves est; Attalus Piræeum, Romani Corcyram petierunt.

XXIV. Dum hæc ab navali exercitu geruntur, consul, in Phocide ad Elatiam castris positis, primo colloquiis rem per principes Elatiensium tentavit: postquam, nihil esse in manu sua[1], et plures validioresque esse regios, quam oppidanos, respondebatur, tum simul ab omni parte operibus armisque urbem est aggressus. Ariete admoto, quantum inter turres muri erat prorutum, quum ingenti fragore ac strepitu nudasset urbem, simul et cohors romana per apertum recenti strage iter invasit; et ex omnibus oppidi partibus, relictis suis quisque stationibus, in eum, qui premebatur impetu hostium, locum concurrerunt. Eodem tempore Romani et ruinas muri supervadebant, et scalas ad stantia mœnia inferebant[2]; et, dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus, armatique in urbem transcenderunt. Quo tumultu audito, territi hostes, relicto, quem conferti tuebantur, loco, in arcem omnes metu, inermi quoque insequente

Cap. XXIV. 1. *Nihil esse in manu sua;* vide ad V, 20, n. 1. — *Ariete admoto.* Cod. Bamb. *admotoque;* unde Jacobsius sic locum refingit: *ariete admoto, quum, quantum inter turres muri erat prorutum cum ingenti,* etc. Ed.

2. *Scalas ad mœnia inferebant;* vide ad VIII, 38, n. 2. — *Stantia mœnia;* eam murorum partem quæ non eversa fuerat; Virg. Æn. II, 56: « Trojaque nunc stares, etc. » Ovid. Heroid. I, 67: «...Starent etiam nunc mœnia Phœbi». Sic et nostras *J. Racine, Athalie,* act. II, sc. 5: ...*et leur temple est debout.* Ed.

Digitized by Google

turba, confugerunt. Ita urbe potitur consul; qua direpta, missis in arcem, qui vitam regiis, si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fideque in hæc data, post paucos dies arcem recepit.

XXV. Cæterum adventu in Achaiam Philoclis regii præfecti non Corinthus tantum liberata obsidione, sed Argivorum quoque civitas per quosdam principes Philocli prodita est, tentatis prius animis plebis. Mos erat, comitiorum die primo velut ominis causa prætores pronuntiare Jovem Apollinemque[1] et Herculem: additum legi erat, ut iis Philippus rex adjiceretur. Cujus nomen post pactam cum Romanis[2] societatem quia præco non adjecit, fremitus primo multitudinis ortus, deinde clamor subjicientium Philippi nomen, jubentiumque legitimum honorem usurpare; donec cum ingenti assensu nomen recitatum est. Hujus fiducia favoris Philocles arcessitus nocte occupat collem

Cap. XXV. 1. *Mos erat, comitiorum die primo velut ominis causa prætores pronuntiare Jovem Apollinemque et Herculem;* de quo more haud quidquam vel ego legere memini, vel intpp. dixere. Suspicabar quondam, pro *prætores* legendum esse *præcones*, et hæc referenda ad solennem et initio comitiorum a præconibus recitandam formulam precum votorumque, quibus salus reipublicæ et felix consultationum rerumque gerendarum eventus a diis exposci solebat; quod vel ex Demosth. et *Voyage du jeune Anacharsis*, t. II, c. 14, p. 246, ed. Bipont. notum est. Sed ita Livius parum apte dixisset *pronuntiare Jovem*, etc. — *Additum legi erat:* nam *more* fieri quoque dici potest, quod lege statutum ex ejus præscripto usu et observatione constanti viget et intermitti non potest, et *mores* atque *instituta* etiam pro legibus et juribus dicuntur (conf. intpp. Virg. Æn. I, 264, et Cic. pro Marcello, cap. 8, 9); nisi h. l. *lege* scribendum; Duk.

2. *Post pactam cum Romanis societatem*, quam quidam Argivorum, non omnes, repudiaverant; vid. cap. 22. — *Legitimum honorem usurpare*, facere, quod ante factitatum fuerat, et una cum nominibus deorum nomen Philippi pronuntiare: quod ut fieret, ei honoris causa lege datum fuerat; Duk. *Legitimum omen u.* conj. Gron. prob. Crev. qui exponit: morem solennem sequi in eo omine captando, quod legibus jussum erat. Enimvero dii *ominis* causa Argivorum prætores pronuntiabantur, sed quod Philippo concessum erat, *honoris* ejus causa sancitum videtur; Drak. coll. cap. 34, ubi Achæos Philippo *omnes divinos humanosque honores decrevisse* legimus.

Digitized by Google

imminentem urbi (Larissam eam arcem[3] vocant), positoque ibi præsidio, quum lucis principio signis infestis ad subjectum arci forum vaderet, instructa acies ex adverso occurrit. Præsidium erat Achæorum nuper impositum, quingenti fere juvenes delecti omnium civitatium : Ænesidemus Dymæus præerat. Adhortator a præfecto[4] regio missus, qui excedere urbe juberet (neque enim pares eos oppidanis solis, qui idem quod Macedones sentirent, nedum adjunctis Macedonibus, esse, quos ne Romani quidem ad Corinthum sustinuissent), primo nihil, nec ducem, nec ipsos movit : post paulo, ut Argivos quoque armatos ex parte altera venientes magno agmine viderunt, certam perniciem cernentes, omnem tamen casum, si pertinacior dux fuisset, videbantur subituri. Ænesidemus, ne flos Achæorum juventutis simul cum urbe amitteretur, pactus cum Philocle, ut abire illis liceret, ipse, quo loco steterat armatus, cum paucis clientibus non excessit. Missus a Philocle, qui quæreret, quid sibi vellet? nihil fatus, tantummodo, quum projecto præ se clypeo staret, *in præsidio creditæ urbis moriturum se armatum*, respondit[5]. Tum jussu præfecti a Thracibus conjecta tela, interfectique omnes. Et post pactam inter Achæos et Romanos societatem duæ nobilissimæ civitates, Argi et Corinthus, in potestate regis erant. Hæc ab Romanis ea æstate in Græcia terra marique gesta.

3. *Larissam eam arcem* Argorum, collem (vide ad I, 55, n. 6), *vocant;* cf. ad XXXIV, 25, n. 1; Strab. VIII, 370; IX, 440, et Pausan. II, 23, 9; III, 17, 2; Cellar. Geog. ant. II, 13, pag. 782. — *Positoque ibi præsidio*, ut apud Cæs. B. C. III, 34. *Impositoque* conj. Crev.

4. *Adhortator a præfecto*, etc. 5 MSS. *Ad hos tractor.* Lege *Ad hos orator;* Gron. Crev. Drak. — Et sic exhibet cod. Bamb. Ed.

5. *Nihil fatus, quum tantummodo projecto præ se clypeo staret, missus est a Philocle, qui q., q. s. vellet? Respondit*, etc. Ita evolvenda oratio; Gron. *Misso a Philocle, qui quæreret*, vel *missis a Phil., qui quære-*

Digitized by Google

XXVI. In Gallia nihil sane memorabile ab Sex. Ælio consule gestum. Quum duos exercitus in provincia habuisset, unum retentum, quem dimitti oportebat, cui L. Cornelius proconsul præfuerat (ipse ei C. Helvium prætorem præfecit), alterum, quem in provinciam adduxit; totum prope annum Cremonensibus Placentinisque[1] cogendis redire in colonias, unde belli casibus dissipati erant, consumpsit. Quemadmodum Gallia præter spem quieta eo anno fuit, ita circa Urbem servilis prope tumultus excitatus est. Obsides Carthaginiensium Setiæ custodiebantur : cum iis, ut principum liberis, magna vis servorum erat. Augebant eorum numerum, ut ab recenti africo bello[2], et ab ipsis Setinis captiva aliquot nationis ejus ex præda empta mancipia. Quum conjurationem fecissent, missis ex eo numero, qui in setino agro, deinde circa Norbam et Circeios, servitia sollicitarent; satis jam omnibus præparatis, ludis, qui Setiæ propediem futuri erant, spectaculo intentum populum aggredi statuerant; Setia per cædem et repentinum tumultum capta, Norbam et Circeios occupare. Hujus rei tam fœdæ indicium Romam ad L. Cornelium Merulam prætorem urbis delatum est. Servi duo ante lucem ad eum venerunt, atque ordine omnia, quæ acta futuraque erant, exposuerunt. Quibus domi custodiri jussis, prætor, senatu vocato edoctoque, quæ indices afferrent, proficisci ad eam conjurationem[3] quærendam atque opprimendam jussus, cum quinque legatis pro-

rent, quid sibi vellet? nihil statu mutato vel *motus, quum projecto*, etc. conj. Drak. et sane in omnibus pæne MSS *statu* pro *fatus*, et *modo* pro *tantummodo*.

Cap. XXVI. 1. *Cremonensibus Placentinisque*, etc. cf. XXXI, 10 et 21. — Delendum esse τὸ *redire*, monent Gron. et Crev. Ed. — *Obsides C. Setiæ c.* cf. cap. 2.

2. *Ut ab recenti africo bello;* vide ad I, 1, n. 5, et VIII, 30, n. 7.

3. *Ad eam conjurationem quærendam;* vide ad II, 29, n. 3.

Digitized by Google

fectus, obvios in agris sacramento rogatos arma capere et sequi cogebat[4]. Hoc tumultuario delectu duobus millibus ferme hominum armatis, Setiam, omnibus quo pergeret, ignaris, venit. Ibi raptim principibus conjurationis comprehensis, fuga servorum ex oppido facta est; dimissi deinde per agros, qui vestigarent. Egregia duorum opera servorum indicum et unius liberi fuit. Ei centum millia gravis æris dari Patres jusserunt; servis vicena quina millia æris et libertatem : pretium eorum ex ærario solutum est dominis. Haud ita multo post, ex ejusdem conjurationis reliquiis, nuntiatum est, servitia Præneste occupatura. Eo L. Cornelius prætor profectus, de quingentis fere hominibus, qui in ea noxa erant, supplicium sumpsit. In timore civitas fuit, obsides captivosque Pœnorum ea moliri : itaque et Romæ vigiliæ per vicos servatæ, jussique circumire eas minores magistratus, et triumviri carceris lautumiarum[5] intentiorem custodiam habere jussi; et circa nomen latinum a prætore literæ missæ, ut et obsides in privato servarentur, neque in publicum prodeundi facultas daretur, et captivi ne minus decem pondo compedibus vincti in nulla alia[6], quam in carceris publici, custodia essent.

XXVII. Eodem anno legati ab rege Attalo coronam auream ducentum quadraginta sex pondo[x] in Capitolio posuerunt, gratiasque senatui egerunt, quod An-

4. *Obvios in agris sacramento rogatos arma capere et sequi cogebat;* vide ad II, 24, n. 7, et XXXIV, 56, n. 6. — *Centum millia gravis æris.* Ea Creverius æstimat denariis 10000, marcis argenti nostratibus 156, cum duabus unciis. *Vicena quina millia* denariis 2500, marcis argenti 39, cum semuncia. Ed.

5. *Triumviri carceris lautumiarum,* etc. vide ad XXV, 1, n. 7, et XXVI, 27, n. 2. — *Circa nomen latinum;* vide ad I, 10, n. 2. — *In privato... in publicum;* vide ad II, 24, n. 6.

6. *Captivi ne...in nulla alia,* etc. vide ad II, 45, n. 7. — *Decem pondo.* Octo fere libris nostratibus pondo. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Ducentum quadr.*

Digitized by Google

tiochus, legatorum romanorum auctoritate motus, finibus Attali exercitum deduxit. Eadem æstate equites ducenti et elephanti decem et tritici modium ducenta millia ab rege Masinissa ad exercitum, qui in Græcia erat, pervenerunt : item ex Sicilia Sardiniaque magni commeatus et vestimenta exercitui missa. Siciliam M. Marcellus, Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat, sanctus et innocens, asperior tamen in fenere coercendo habitus : fugatique ex insula feneratores, et sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant[2], circumcisi aut sublati. Sex. Ælius consul ex Gallia comitiorum causa Romam quum redisset, creavit consules C. Cornelium[3] Cethegum et Q. Minucium Rufum. Biduo post prætorum comitia habita : sex prætores illo anno primum creati, crescentibus jam provinciis, et latius patescente imperio; creati autem hi, L. Manlius Vulso, C. Sempronius Tuditanus, M. Sergius Silus, M. Helvius, M. Minucius Rufus, L. Atilius : Sempronius et Helvius ex iis ædiles plebis erant. Curules ædiles Q. Minucius Thermus et Ti. Sempronius Longus. Ludi Romani eo anno quater instaurati.

XXVIII. C. Cornelio et Q. Minucio consulibus, omnium primum de provinciis consulum prætorumque actum. Prius de prætoribus transacta res, quæ

sex pondo. Marcarum, seu selibrarum nostrat. 384 cum tribus unciis. Ed. — *Modiam ducenta millia.* Modii sunt nostrates 154,166. Ed. — *In fenere coercendo,* minuendo et puniendo.

2. *Sumptus, quos in cultum prætorum* (magnificentiam vitæ) *socii facere soliti erant, ci. aut s.* hæc res, ab avaritia et libidine prætorum orta, deinde quidem multis legibus coercita est, nec tamen unquam satis reprimi potuit; Duk. cf. ad XLII, 1, n. 5; Cic. p. lege Manil. 5 et 13; Plut. Cat. Maj. p. 339; Sigon. de Ant. Jur. Prov. II, 5; Burm. de Vectig. pop. rom. c. 2; Ernesti Clav. Cic. v. *vectigal.*

3. *Creavit consules C. Cornelium,* etc. vide ad VII, 16, n. 6. — *M. Sergius Silus.* De hujus incredibili fortitudine videndus est Plinius, lib. VII, c. 28. Ed.

Digitized by Google

transigi forte poterat: urbana Sergio, peregrina jurisdictio Minucio obtigit. Sardiniam Atilius, Siciliam Manlius, Hispaniam Sempronius[1] citeriorem, Helvius ulteriorem est sortitus. Consulibus Italiam Macedoniamque sortiri parantibus, L. Oppius et Q. Fulvius tribuni plebis impedimento erant, *quod longinqua provincia Macedonia esset, neque ulla alia res majus bello impedimentum ad eam diem fuisset, quam quod, vixdum inchoatis rebus, in ipso conatu gerendi belli prior consul revocaretur. Quartum jam annum esse ab decreto macedonico bello. Quærendo regem et exercitum ejus Sulpicium majorem partem anni absumpsisse: Villium, congredientem cum hoste, re infecta revocatum. Quintium, rebus divinis Romæ majorem partem anni retentum, ita gessisse tamen res, ut, si aut maturius in provinciam venisset, aut hiems magis sera fuisset, potuerit debellare. Nunc prope*[2] *in hiberna profectum, ita comparare dici bellum, ut, nisi successor impediat, perfecturus æstate proxima videatur.* His orationibus pervicerunt, ut consules in senatus auctoritate fore dicerent se, si idem tribuni facerent. Permittentibus utrisque liberam consultationem, Patres consulibus ambobus Italiam provinciam decreverunt. T. Quintio prorogarunt[3] imperium, donec successor ei venisset. Consulibus binæ legiones

Cap. XXVIII. 1. *Hispaniam Sempronius*, etc. vide ad XXVIII, 38, n. 4.

2. *Nunc prope.* Creverius hoc exponit *non ita pridem, hoc ipso prope* tempore; vel, quod longe præstare cum ipso judicat Drak., legendum conjicit, *nunc quoque:* nam duo verba *prope* et *quoque* sæpius permutantur. Ed. — *In senatus auctoritate fore se;* vide ad II, 56, n. 16.

3. *T. Quintio prorogarunt imperium* Patres, «ut Fabio, IX, 42, h. e. a populo prorogandum censuerunt ac decreverunt: nam imperium decernebat senatus (vid. XXX, 2), prorogabat populus, quod et ipsa vox *prorogare* indicat, et decretum senatus de prorogando imperio sequebatur rogatio ad populum, qua imperium ex decreto senatus prorogabatur. Sic intelligenda esse omnia loca, quibus

decretæ, et ut bellum cum Gallis Cisalpinis, qui defecissent a populo romano, gererent. Quintio in Macedoniam supplementum decretum, peditum quinque millia et trecenti equites, et sociorum navalium tria millia. Præesse idem, qui præerat, classi L. Quintius Flamininus jussus. Prætoribus in Hispanias octona millia peditum socium ac latini nominis data et quadringeni equites[4], ut dimitterent veterem ex Hispaniis militem; et terminare jussi, qua ulterior citeriorve provincia servaretur. Macedoniæ legatos P. Sulpicium et P. Villium, qui consules in ea provincia fuerant, adjecerunt.

XXIX. Prius quam consules prætoresque in provincias proficiscerentur, prodigia procurari[1] placuit; quod ædes Vulcani Summanique Romæ, et quod Fregellis murus et porta de cælo tacta erant; et Frusinone inter noctem lux orta[2]; et Asculo agnus biceps cum quinque pedibus natus; et Formiis duo lupi, oppidum ingressi, obvios aliquot laniaverant: Romæ non in urbem solum[3], sed in Capitolium penetra-

imperia prorogata dicuntur, nulla facta mentione plebisciti (ut VIII, 23; X, 22; XXVII, 22; XXIX, 13, al.), quum ex re ipsa, tum ex eo apertum est, quod, quum XXVII, 7, scribat, *M. Claudio prorogatum in annum imperium*, deinde, c. 21, id a populo factum dicat ». Duker. Cf. ad IX, 42, n. 1.

4. *Et quadringeni equites* pro *quadringenti* quædam edd. antt. probb. Crev. et Drak. Id recepi ob præc. *octona millia*, et quia in omnibus fere MSS vel *quadrigeni* vel *quadrageni* legitur.

5. *Macedoniæ legatos;* vide ad XXXVI, 1, n. 4.

Cap. XXIX. 1. *Prodigia procurari*, etc. vide ad I, 20, n. 11, et I, 31, n. 1. — *Summani ædes* ad circum maximum. *Summanus* forte Pluto, Summus Manium (v. Martian. cap. 2), vel alius deus; vid. Intpp. Ovid. Fast. VI, 731; Plin. II, 52, et Ernesti Clav. Cic. in Ind. hist. — Vide quoque Turneb. Advers. lib. XVIII, cap. 4. Creverius indicat aliud etymon hujus vocis in lexico Matth. Martinii. Ed. — Mox verba *et quod* delenda putabat Gron.

2. *Frusinone inter noctem lux orta*, noctu; vide ad XXIX, 14, n. 2. — *Asculo* Apulo? an Piceno? Leg. *Asculi*.

3. *Non in urbem solum, sed* etiam; vide supra ad librum I, cap. 40, not. 1.

Digitized by Google

verat lupus. C. Acilius tribunus plebis tulit[4], ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur; duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique, una Puteolos, una ad castrum Salerni[5]; his Buxentum adjectum : trecenæ familiæ in singulas colonias jubebantur mitti. Triumviri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati, M. Servilius Geminus, Q. Minucius Thermus, Ti. Sempronius Longus. Delectu rebusque aliis divinis humanisque, quæ per ipsos agenda erant[6], perfectis, consules ambo in Galliam profecti. Cornelius recta ad Insubres via, qui tum in armis erant, Cenomanis assumptis, Q. Minucius in læva Italiæ ad inferum mare flexit iter, Genuamque exercitu abducto, ab Liguribus orsus est bellum. Oppida Clastidium et Litubium, utraque Ligurum, et duæ gentis ejusdem civitates, Celelates Cerdiciatesque, sese dediderunt. Et jam omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Ilvates Ligurum, sub ditione erant : quindecim oppida, hominum viginti millia esse dicebantur, quæ se dediderant : inde in agrum Boiorum legiones duxit.

XXX. Boiorum exercitus haud ita multo ante trajecerat Padum, junxeratque se Insubribus et Cenomanis; quod ita acceperant, conjunctis legionibus consules rem gesturos, ut et ipsi collatas in unum

4. *C. Acilius tribunus pl. tulit;* vide ad IV, 58, n. 10; et de coloniis deductis XXXIV, 45 pr.

5. *Castrum Salerni* in Picentibus, hod. *Salerno*, Ἐπετείχισαν Σάλερνον Ῥωμαῖοι φρουρᾶς χάριν, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης. Strab. lib. V extr. — *Trecenæ familiæ*, ut XXXIV, 45, *treceni homines*, h. e. patresfamiliæ; Drak. Hæ coloniæ maxime deductæ videntur ad ea loca incolis frequentanda, quæ, quum ante tantum castra et præsidia fuissent, deinde oppidorum speciem ac nomen accepere; Duk.

6. *Rebusque aliis divinis humanisque, quæ* negotia *per ipsos agenda erant :* ita MSS et antt. edd. non *agendæ*. Cf. Gron. Obss. III, 2. — *Clastidium;* vide ad XXI, 48, n. 7. — *Litubium*, forte *Ritubium;* Cluver. Ital. Ant. I, 10, p. 78. Cf. Cellar. Geogr. ant. II, 9.

Digitized by Google

vires firmarent. Postquam fama accidit, alterum consulem Boiorum urere agros, seditio extemplo orta est; postulare Boii, ut laborantibus opem universi ferrent; Insubres negare, se sua deserturos. Ita divisæ copiæ, Boiisque in agrum suum tutandum profectis, Insubres cum Cenomanis super amnis Mincii ripam consederunt. Infra eum locum quinque millia passuum et consul Cornelius eidem flumini castra applicuit: inde mittendo in vicos Cenomanorum Brixiamque, quod[1] caput gentis erat, ut satis comperit, non ex auctoritate seniorum juventutem in armis esse, nec publico consilio Insubrium defectioni Cenomanos se adjunxisse; excitis ad se principibus, id agere ac moliri cœpit, ut desciscerent ab Insubribus Cenomani, et, signis sublatis, aut domos redirent, aut ad Romanos transirent: et id quidem impetrari nequiit; in id data fides consuli est, ut in acie aut quiescerent, aut, si qua etiam occasio fuisset, adjuvarent Romanos. Hæc ita[2] convenisse Insubres ignorabant; suberat tamen quædam suspicio animis, labare fidem sociorum: itaque, quum in aciem eduxissent, neutrum iis cornu committere ausi, ne, si dolo cessissent, rem totam[3] inclinarent, post signa in subsidiis eos locaverunt. Consul principio pugnæ vovit ædem Sospitæ Junoni, si eo die hostes fusi fugatique essent. A militibus clamor sublatus, compotem voti consulem se facturos, et impetus in hostes est factus: non tulerunt Insubres primum concursum. Quidam et a Ce-

Cap. XXX. 1. *Brixiamque, quod,* etc. vide ad XXIV, 42, n. 6.

2. *Hæc ita convenisse;* vide ad I, 3, n. 4. — *Labare fidem sociorum;* vide ad II, 30, n. 9. — *Quum in aciem eduxissent* (vide ad I, 23, n. 4), *neutrum iis cornu committere ausi,* non patiebantur, ut alterutrum cornu constituerent, quod Franci *former* dicunt; Ern.

3. *Rem totam inclinarent;* vide ad IX, 12, n. 2. — *Vovit ædem Sospitæ Junoni;* conf. ad VIII, 14, n. 4, et XXXIV, 53. — *Non tulerunt Insu-*

Digitized by Google

nomanis, terga repente in ipso certamine aggressis, tumultum ancipitem injectum[4] auctores sunt, cæsaque in medio quinque et triginta millia hostium, quinque millia et septingentos vivos captos : in iis Hamilcarem Pœnorum imperatorem[5], qui belli causa fuisset : signa militaria centum triginta, et carpenta supra ducenta. Oppida, quæ defectionem sequuta[6] erant, dediderunt se Romanis.

XXXI. Minucius consul primo effusis populationibus peragraverat fines Boiorum; deinde, ut, relictis Insubribus, ad sua tuenda receperant sese, castris se tenuit, acie dimicandum cum hoste ratus : nec Boii detrectassent pugnam, ni fama victos Insubres allata animos fregisset; itaque, relicto duce castrisque, dissipati per vicos, sua ut quisque defenderent, rationem gerendi belli hosti[1] mutarunt. Omissa enim spe per unam dimicationem rei decernendæ, rursus populari agros et urere tecta vicosque expugnare cœpit : per eosdem dies Clastidium incensum : inde in Ligustinos Ilvates[2], qui soli non parebant, legiones ductæ. Ea quoque gens, ut Insubres acie victos, Boios, ita

bres primum concursum, sane duriuscule dictum, et forte leg. *occursum;* Ern. Immo *concursus* est impetus, et similia passim obvia, v. c. *uno concursu maximam vim Barbarorum prostravit* ap. Nep. Cim. 2.

4. *Tumultum ancipitem injectum* esse Insubribus *auctores sunt* quidam; vide ad I, 25, n. 4; II, 58, n. 1; XXI, 16, n. 5.

5. *Hamilcarem Pœnorum imp.* etc. vide ad XXXI, 21, n. 7.

6. *Oppida defectionem sequuta;* vid. ad XXVI, 21, n. 7. — Insubres rebellionis principes et duces fuerant; Cenomani Insubrium defectioni sese adjunxerant. Creverius inde monet, hunc locum a Fabretto in Apolog. ad *Grunnov.* recte sic expositum : « Oppida Cenomanorum, quæ defectionem Insubrium sequuta erant, etc. » Et vero anno sequente rursus bellum cum Insubribus geritur, non amplius cum Cenomanis. Non ita tamen censebat Gronov. Diss. ad loca quædam Livii geogr. epist. IV. Ed.

Cap. XXXI. 1. *Gerendi belli hosti,* cum hoste; quod præstitisset ob ὁμοιοτέλευτα. An leg. *hostes?* et mox *consul* vel *Minucius* pro importuno *enim?*

2. *In Ligustinos Ilvates;* vide sup.

Digitized by Google

ut tentare spem certaminis metuerent, territos audivit, in ditionem venit. Literæ consulum a Gallia[3] de gestis prospere sub idem tempus Romam allatæ. M. Sergius prætor Urbis in senatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitavit : supplicatio in quatriduum decreta. Hiems jam eo tempore erat.

XXXII. Quum T. Quintius, capta Elatia, in Phocide ac Locride hiberna disposita haberet, Opunte seditio orta est. Factio una Ætolos, qui propiores erant, altera Romanos arcessebat : Ætoli priores venerunt; sed opulentior factio, exclusis Ætolis, missoque ad imperatorem romanum nuntio, usque in adventum ejus tenuit urbem. Arcem regium tenebat præsidium, neque, ut descenderent inde, aut Opuntiorum minis, aut auctoritate imperantis consulis romani, perpelli potuerunt. Mora, cur non extemplo oppugnarentur, ea fuit, quod caduceator ab rege venerat, locum ac tempus petens colloquio. Id gravate concessum regi est : non quin cuperet[1] Quintius, per se partim armis, partim conditionibus confectum videri bellum; necdum enim sciebat, utrum successor sibi alter ex novis consulibus mitteretur; an, quod, summa vi ut tenderent, amicis et propinquis mandaverat, imperium prorogaretur : aptum autem fore colloquium credebat, ut sibi liberum esset, vel ad bellum manenti,

ad librum XXXI, cap. 10, not. 2.

3. *Literæ consulum a Gallia*, etc. pro *e Gallia*, nisi sic leg. — Goeller locum e cod. suo sic restitutum vult : *Literæ consulum amborum de rebus in Gallia gestis prospere sub idem*, etc. Mox nostri habent *præfectus Urbis*, sed legendum est *prætor*, ut jam notaverunt interpretes. Ed.

Cap. XXXII. 1. *Non quin cuperet* pro : *non quia non c.* « Sed hiat oratio; nam quum hanc removeat causam, aliam ponere debuit, quæ moverit Quintium, ut difficulter permitteret colloquium. Immo ille facile concessisse videtur, et scripsisse Livius : *Id non gravate concessum regi est, quum cuperet Quintius... aptum autem fore colloquium credebat*, etc. » Gronov. — *Summa vi ut tenderent;* vide supra ad IV, 7, n. 6. *Obtinerent* edd. vett.

Digitized by Google

vel ad pacem decedenti rem inclinare. In sinu Maliaco prope Nicæam[2] litus elegere : eo rex ab Demetriade cum quinque lembis et una nave rostrata venit; erant cum eo principes Macedonum, et Achæorum exsul vir insignis Cycliadas; cum imperatore romano rex Amynander erat, et Dionysodorus Attali legatus, et Agesimbrotus præfectus rhodiæ classis, et Phæneas princeps Ætolorum, et Achæi duo, Aristæus et Xenophon. Inter hos Romanus[3], ad extremum litus progressus, quum rex in proram navis in ancoris stantis processisset, « Commodius, inquit, si in terram egre« diaris, et ex propinquo dicamus invicem audia« musque ». Quum rex facturum se id negaret; « Quem « tandem, inquit Quintius, times? » Ad hoc ille superbo et regio animo : « Neminem equidem timeo, « præter deos immortales. Non omnium autem credo « fidei, quos circa te video; atque omnium minime « Ætolis ». « Istud quidem, ait Romanus, par omni-

2. *In sinu Maliaco prope Nicæam*, etc. cf. omnino Polyb. XVII, 1. — *Principes Macedonum*, Apollodorus et Demosthenes, scribæ regis, et ex Bœotia Brachylles. — *Agesimbrotus*, Ἀκεσίμβροτος ὁ ναύαρχος. — *Phæneas princeps Ætolorum*, παρὰ δὲ τῶν Αἰτολῶν Φαινέας ὁ στρατεγὸς, καὶ πλείους δ' ἕτεροι τῶν πολιτευομένων, unde et mox : *omnium minime Ætolis credo :* quæ tamen verba etiam apta h. loco sunt, etsi unius tantum Ætoli et quidem principis antea mentio sit facta. Conf. cap. 23, not. 10.

3. *Inter hos romanus* imperator (vid. ad cap. 11, n. 4), *Commodius, inquit, et ex propinquo dicamus audiamusque :* hæc bene jungi possunt, nec est, quod vel cum Sigon. legas *dicemus audiemusque* (nam vulgatum venustius est), vel deleas copulam *et* (quam edd. antt., non MSS, omittunt), vel denique post *commodius* suppleas *erit* aut *facies* cum Gronov. qui quid sibi hac ratione voluerit, ne assequutus quidem est Bauer., et tunc *ut* pro *et* legendum putavit. Enimvero Gron. haud dubie verba illa hoc sensu cepit : *Commodius* erit, seu facies, *si in terram egrediaris et* si *ex propinquo dicamus*, etc. Ita tum copulam *et*, tum conjunctivum verbi modum aptiorem h. l. esse credidit. — *Neminem equidem timeo præter deos*. Eadem sic expressit nostras *Racine*, *Athalie*, act. I, sc. 1 :

Je crains Dieu, cher Abner, et n'ai point d'autre
crainte.

Multi quoque alii scriptores hanc sententiam enunciaverunt. Ed.

Digitized by Google

« bus periculum est, qui cum hoste ad colloquium « congrediuntur, ut nulla fides sit[4]. » « Non tamen, « inquit rex, T. Quinti, par perfidiæ præmium est, si « fraude agatur, Philippus et Phæneas : neque enim « æque difficulter Ætoli prætorem alium, ac Macedo- « nes regem in meum locum substituant. » Secundum hæc silentium fuit.

XXXIII. Quum Romanus[1] eum æquum censeret priorem dicere, qui petisset colloquium, rex, ejus esse priorem orationem, qui daret pacis leges, non qui acciperet; tum Romanus, *Simplicem suam orationem esse, ea enim se dicturum, quæ ni fiant, nulla sit pacis conditio. Deducenda ex omnibus Græciæ civitatibus regi præsidia esse : captivos et transfugas sociis populi romani reddendos : restituenda Romanis ea Illyrici loca, quæ post pacem in Epiro[2] factam occupasset : Ptolemæo regi Ægypti reddendas urbes, quas post Philopatoris Ptolemæi mortem[3] occupasset. Suas populique romani conditiones has esse; cæterum et sociorum audiri postulata verum esse*[4]. Attali regis legatus, *Naves captivosque, quæ ad Chium*[5] *navali prælio capta essent, et Nicephorium Venerisque templum*[6], *quæ spoliasset evastassetque, pro incorruptis*

4. *Ut nulla fides sit* ex emend. Gelenii. *Ut in nullo fides sit* MSS et edd. antt. unde Gron. conj. *ut in dubio fides sit.* Polyb. dicit : ἴσον εἶναι πᾶσι τὸν κίνδυνον καὶ κοινὸν τὸν καιρόν.

Cap. XXXIII. 1. Conf. ad hoc caput Polyb. XVII, 1-3. — *Simplicem orationem*, ἁπλοῦν τινα λόγον καὶ φαινόμενον. *Simplici* opponitur *perplexum* XXXIV, 57.

2. *Post pacem in Epiro factam;* vid. XXIX, 12.

3. *Ptolemæo regi.....occupasset;* vid. XXXI, 2, n. 2.

4. *Audiri postulata verum esse;* vide tamen ad librum II, cap. 48, not. 2.

5. *Ad Chium* (vide ad XXXVI, 43, n. 6, male *Cium* ed. Grut. et seqq.) *navali prælio capta;* vid. ad Polyb. XVI, 2-8, 14; XVII, 2; XXXI, 46, 2.

6. *Nicephorium Venerisque templum* (vid. ad XXXI, 46, n. 2) *pro incorruptis restitui,* quasi incorrupta, ac si non fuissent corrupta, in integrum, ita, ut erant, quum essent integra; Bauer.

Digitized by Google

restitui. Rhodii Peræam (regio est continentis[7] adversus insulam, vetustæ eorum ditionis) repetebant, postulabantque *præsidia deduci ab Iasso et Bargyliis et Euromensium urbe, et in Hellesponto Sesto atque Abydo*[8]; *et Perinthum Byzantiis in antiqui formulam juris restitui*[9], *et liberari omnia Asiæ emporia portusque*. Achæi Corinthum et Argos repetebant. Prætor Ætolorum Phæneas quum eadem fere, quæ Romani, ut Græcia decederetur, postulasset, redderenturque Ætolis urbes, quæ quondam juris ac ditionis[10] eorum fuissent; excepit orationem ejus princeps Ætolorum Alexander, vir, ut inter Ætolos, facundus. *Jam dudum se reticere*, ait, *non quo quidquam agi putet eo colloquio, sed ne quem sociorum dicentem interpellet. Neque de pace cum fide Philippum agere, neque bella vera virtute unquam gessisse. In colloquiis insidiari et captare*[11]; *in bello non congredi æquo campo, neque collatis signis dimicare, sed refugientem incendere ac diripere urbes, et vincentium præmia victum corrumpere. At non sic antiquos Macedonum*

7. *Peræa regio continentis*, Cariæ, Rhodiis subjecta et *adversus insulam*, Rhodum. Cf. c. 35; Polyb. XVII, 2, 3; Strab. XIV, 651, 664, 677. — *Jassus*, *Bargyliæ* seu Bargylia, Bargylla et Bargylos, et *Euromus* seu Eurome, oppida Cariæ. Conf. ad XXXVII, 17, n. 1.

8. *In Hellesponto Sesto et Abydo*; vide ad XXXI, 17, n. 1.

9. *Perinthum Byzantiis in antiqui formulam juris restitui*; v. XXVI, 24, n. 5. *Perinthum* (Thraciæ opp. ad Propontidem) auctore Sigon. ex XXXIII, 30, et Polyb. XVII, 2, 4, XVIII, 27, 4, reposui pro vulg. *Panopolim* (Ægypti opp.) pro quo MSS habent *Penoplum*, *Penopolum*, *Penepolum*, etc. — *Asiæ emporia*; vide ad XXI, 57, n. 7.

10. *Juris ac ditionis* e MSS Harl. recepit Drak. Vulgo legitur *aut*: sed illa duo verba semper per copulam junguntur; Duk. Cf. ad XXXV, 16, n. 4. — *Excepit orationem ejus* (vide ad IV, 43, n. 4) *princeps Ætolorum Alexander* cognomine Isius, *vir, ut inter Ætolos, facundus*; restringit *ut* et minuit: prout Ætolorum ingenium et cultura ferret, quantum Ætolus esse facundus posset, apud alios, v. c. Athenienses, minus eloquens futurus; Bauer. Cf. Drak. et ad VIII, 30, n. 7, et de Alexandro Polyb. XVII, 3, 4, 10; XVIII, 19-21; XXII, 8, 9.

11. *In colloquiis insidiari et captare*,

Digitized by Google

reges, sed acie bellare solitos, urbibus parcere, quantum possent, quo opulentius imperium haberent: nam, de quorum possessione dimicetur, tollentem[12] *nihil sibi præter bellum relinquere, quod consilium esse? Plures priore anno sociorum urbes in Thessalia evastasse Philippum, quam omnes, qui unquam hostes Thessaliæ fuerint: ipsis quoque Ætolis eum plura socium, quam hostem, ademisse. Lysimachiam*[13]*, pulso prætore et præsidio Ætolorum, occupasse eum: Cium item suæ ditionis urbem funditus evertisse ac delesse; eadem fraude habere eum Thebas Phthias*[14]*, Echinum, Larissam et Pharsalum.*

XXXIV. Motus oratione Alexandri Philippus navem, ut exaudiretur, propius terram applicuit. Orsum eum dicere, in Ætolos maxime, violenter[1] Phæneas interfatus. *Non in verbis rem verti*[2], ait: *aut bello vincendum, aut melioribus parendum esse.* « Apparet « id quidem, inquit Philippus, etiam cæco »; jocatus

studere fallere, captionibus uti; Bauer. Ἐνεδρεύειν καὶ παρατηρεῖν, Polyb. Cf. ad XXII, 28, n. 1.

12. *Nam, de quorum possessione dimicetur, tollentem*, diruentem urbes, quæ victoris præmia possent esse. Τὸ δὲ, ἀναιροῦντα περὶ ὧν ὁ πόλεμός ἐστι, τὸν πόλεμον αὐτὸν (solum) καταλιπεῖν, μανίας ἔργον εἶναι.

13. *Lysimachiam* (Thraciæ opp. in Isthmo Chersonesi Thracicæ), *pulso prætore*, etc. v. Polyb. XV, 23; XVII, 3; infra ad XXXIII, 40, n. 6.—*Cium item suæ ditionis*, etc. vid. XXXII, 21, n. 8. Τὸ *eum* ante *Cium* ex hac voce ortum, et delendum putat Bauer.

14. *Eadem fraude habere eum Thebas Phthias;* vide ad XXVIII, 7, et ibi n. 9. — *Echinum*, Thessaliæ opp. ad sinum Maliacum, captum a Philippo; vid. Polyb. IX, 41; XVII, 3; XVIII, 21. — *Larissam* Cremasten (vide ad XXXI, 46, n. 8) *et Pharsalum*, oppida Phthiotidis in Thessalia, a Philippo erepta Ætolis, quos inde repetiisse ea tradit Polyb. XVII, 3, 8; XVIII, 21, 30.

Cap. XXXIV. 1. *Orsum eum dicere violenter, in Ætolos maxime*, in Ætolicam et theatralem Alexandri orationem, etc. vid. Polyb. XVII, 4, 5, 6, et de malo Ætolorum ingenio sup. ad XXVI, 25, n. 6. Livius, qui ex Polybio superiora capp. 32 et 33, ad verbum pæne expresserat, in hoc cap. multa reddidit alio vel modo vel ordine, et nonnulla plane omisit.

2. *Non in verbis rem verti;* vide ad III, 27, n. 6.—*Melioribus parendum:* « si nominativus hic est *meliora*, sign. audire et admittere æquas conditiones; si est *meliores*, sunt potentio-

Digitized by Google

in valetudinem oculorum Phæneæ. Et erat dicacior natura, quam regem decet, et ne inter seria quidem risu satis temperans. Indignari inde cœpit[3], *Ætolos, tanquam Romanos, decedi Græcia jubere; qui, quibus finibus Græcia sit, dicere non possint. Ipsius enim Ætoliæ Agræos Apodotosque et Amphilochos, quæ permagna eorum pars sit, Græciam non esse.* « An, « quod a sociis eorum non abstinuerim, justam que- « relam habent, quum ipsi pro lege hunc antiquitus « morem servent, ut adversus socios ipsi suos, publica « tantum auctoritate dempta, juventutem suam mili- « tare sinant, et contrariæ persæpe acies in utraque « parte ætolica auxilia habeant? Neque ego Cium ex- « pugnavi[4], sed Prusiam socium et amicum oppugnan- « tem adjuvi; et Lysimachiam ab Thracibus vindicavi: « sed, quia me necessitas ad hoc bellum a custodia « ejus avertit, Thraces habent. Et Ætolis hæc[5]. Attalo « autem Rhodiisque nihil jure debeo: non enim a me, « sed ab illis, principium belli ortum est. Romanorum « autem honoris causa Peræam Rhodiis et naves Attalo « cum captivis, qui comparebunt, restituam; nam « quod ad Nicephorium Venerisque[6] templi restitu-

res, aut etiam æquiores, sapientiores; Romani haud dubie, qualibet conditione e tribus hisce »; Bauer. Conf. ad II, 51, n. 3. — *Erat dicacior natura*, ita et Polyb. — *Decet*, 8 MSS *deceret*.

3. *Indignari inde cœpit*, etc: vide ad III, 3, n. 1, et XXXI, 31, n. 8. — *Quibus finibus Græcia sit*, contineatur, qui fines ei sint, quos fines habeat. — *Agræos* (vide ad XXVIII, 5, n. 5), *Apodotos* (vide Steph. Byz. Palmer. Græc. Antt. IV, 7, et Duk. ad Thucyd. III, 94), *Amphilochos*, quorum ager seu regio Amphilochia et opp. Argos Amphilochium in Acarnania ad fines Epiri sinumque Ambracium erat situm; vid. XXXVIII, 3 sq. et 10; Thucyd. II, 68; Strab. XIV, p. 691, 710. — *Græciam non esse*, ejus populos. Eosdem etiam vi subegerant Ætoli, qui præterea ne ipsi quidem Græci erant, quorum agebant causam.

4. *Neque ego Cium expugnavi;* vid. ad XXXII, 21, n. 8.

5. *Et Ætolis hæc*, sc. dicta sint et dixisse sufficiat. Ἀλλὰ δὴ πρὸς μὲν Αἰτωλοὺς ἀρκείτωμοι ταῦτ', ἔφη. — *Peræam Rhodiis*, etc. vid. ad c. 33, n. 7. —*Qui comparebunt;* vide supra ad VI, 1, n. 6.

6. *Nicephorium Venerisque t.* etc.

Digitized by Google

« tionem attinet; quid ea restitui postulantibus re-
« spondeam? nisi, quo uno modo luci silvæque cæsæ
« restitui possunt, curam impensamque sationis me
« præstaturum; quoniam hæc inter se reges postulare
« et respondere placet. » Extrema ejus oratio adversus Achæos fuit: in qua, orsus ab Antigoni primum, suis deinde erga eam gentem meritis, recitari decreta eorum jussit, omnes divinos humanosque honores complexa[7]; atque ad ea adjecit recens de exercitu, quo ab se descivissent. Invectusque graviter in perfidiam eorum, *Argos tamen se redditurum eis*, dixit. *De Corintho cum imperatore romano deliberaturum esse; quæsiturumque simul ab eo, utrum iis tantum urbibus decedere se æquum censeat, quas a se ipso captas jure belli habeat, an iis etiam, quas a majoribus suis accepisset.*

XXXV. Parantibus Achæis[1] Ætolisque ad ea respondere, quum prope occasum sol esset, dilato in posterum diem colloquio, Philippus in stationem, ex qua profectus erat, Romani sociique in castra redierunt. Quintius postero die ad Nicæam (is enim locus placuerat) ad constitutum tempus venit. Philippus nullus usquam nec nuntius ab eo per aliquot horas veniebat[2]; et jam desperantibus venturum repente apparuerunt naves. At ipse quidem, *quum tam gravia*

vide supra ad lib. XXXI, cap. 46, not. 2.

7. *Omnes divinos humanosque honores complexa decreta* (conf. cap. 5 et 25), simulque honores Macedoniæ regibus habitos ab Achæis; vid. Polyb. — *Atque ad ea* decreta *adjecit recens de exercitu* omni Achæorum ad Corinthum admovendo; vid. ad cap. 23. *Decretum* pro *de exercitu* conj. Crev. coll. Polyb. τὸ περὶ τῆς ἀποστάσεως ψήφισμα. — Goeller. e cod. Bamb. legi vult: *atque eis adjecit recens decretum quo ab se descivissent.* Ed.

Cap. XXXV. 1. *Parantibus Achæis*, etc. conf. Polyb. XVII, 7 et 8. — *Ad Nicæam venit* iterum, πάλιν Polyb.

2. *Philippus nullus usquam... veniebat* (ut apud Cic. ad Attic. XI, 24, et XIV, 3) pro vulg. *Philippi* edidi ex emend. Dukeri, qui etiam conj. *Philippi nihil usquam*, ut cap. 21,

Digitized by Google

legatis Amynandrum Athamanum regem, ut speciem legationi adjiceret[4], Q. Fabium (uxoris Quintii sororis filius erat), et Q. Fulvium et Ap. Claudium misit.

XXXVII. Ut ventum Romam est, prius sociorum legati, quam regis, auditi sunt. Cætera eorum oratio conviciis regis consumpta est. Moverunt eo maxime senatum[1], demonstrando maris terrarumque regionis ejus situm; ut omnibus appareret, si Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia rex teneret, non posse liberam Græciam esse; et ipsum Philippum, non contumeliosius, quam verius, compedes eas Græciæ appellare[2]. Legati deinde regis intromissi: quibus, longiorem exorsis orationem, brevis interrogatio, cessurusne iis tribus urbibus esset, sermonem incidit, quum mandati sibi de his nominatim negarent quidquam[3]: sic infecta pace regii dimissi. Quintio liberum arbitrium pacis ac belli permissum: quod ut satis apparuit[4], non tædere belli

4. *Ut speciem legationi adjiceret;* vide ad IX, 17, n. 8. *Legationi* ex emend. Gron. et MS Harl. pro *legationis.* Conf. IX, 40 pr. et XXXIV, 52 extr. Pro vulg. *utque* ex multis MSS legendum *ut,* et mox ante *Q. Fabium* copulam *et* inserendam docet Drak. Ad rem conf. Polyb. XVII, 10, 7 sq. qui dicit, Amynandrum ἐξέπεμπε παραχρῆμα, et cæteros μετὰ τοῦτον, post hunc, nisi legend. τούτου. — Ante *Q. Fabium* Crever. adjicit particulam *mox,* quia Polybius Amynandrum statim missum esse; post hunc vero alios memorat. Ed.

Cap. XXXVII. 1. *Moverunt eo maxime senatum,* etc. Recidendum τὸ *eo;* Gron. *Vero* conj. Drak. Sed mox *demonstrando* quasi per appositionem τῷ *eo* additum monet Periz.

2. *Compedes eas Græciæ appellare* (urbes, quæ omnem Græciam in officio retinerent, Ern.), Demetriadem, Chalcidem et Corinthum, πέδας τῆς Ἑλλάδος seu Ἑλληνικὰς et ἐπιδέσμους. Cf. Strab. IX, p. 428; Polyb. XVII, 11, 5; XVIII, 28, 6; Appian. Maced. 6, Exc. 23; Victor. var. lect. XII, 9, et sup. ad IX, 32, 1. Teste Pausan. VII, 3, 3, Philippus Corinthum, Chalcidem et Magnesiam dixit κλεῖς τῆς Ἑλλάδος.

3. *Mandati sibi de his nominatim quidquam,* scil. esse. Sic *quidquam, nihil,* etc. genitivis junguntur; vid. Gron. et Drak.

4. *Quod ut satis apparuit;* vide ad VI, 8, n. 2. *Quo* conj. Gronov. — Sed Crever., quum Gronov. ipse agnoscat interdum vocem *quod* otiosam esse,

Digitized by Google

senatum, et ipse, victoriæ, quam pacis, avidior, neque colloquium postea Philippo dedit, neque legationem aliam, quam quæ omni Græcia decedi nuntiaret, admissurum dixit.

XXXVIII. Philippus quum acie decernendum videret, et undique ad se contrahendas vires, maxime de Achaiæ urbibus, regionis ab se diversæ[1], et magis tamen de Argis, quam de Corintho, sollicitus, optimum ratus Nabidi eam[2] Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret; si quid adversi accidisset, ipse haberet : Philocli, qui Corintho Argisque præerat, scribit, ut tyrannum ipse conveniret. Philocles, præterquam quod jam veniebat cum munere, adjicit ad pignus futuræ regi cum tyranno amicitiæ[3], filias suas regem Nabidis filiis matrimonio conjungere velle. Tyrannus primo negare, aliter urbem eam se accepturum, nisi Argivorum ipsorum decreto arcessitus ad auxilium urbis esset. Deinde, ut frequenti concione non adspernatos modo, sed abominatos etiam nomen tyranni audivit, causam se spoliandi eos nactum ratus, tradere, ubi vellet, ur-

ejus emendationem parum felicem minime necessariam judicat : melius videretur *cui*, nimirum Quintio. Ed.

Cap. XXXVIII. 1. *Regionis ab se diversæ;* vide supra ad librum IV, cap. 22, n. 3.

2. *Optimum ratus Nabidi eam*, sc. urbem, Argivorum civitatem (propr. *eos*, scil. Argos), *velut fiduciariam dare, ut* eam *victori sibi restitueret:* qualis *fiducia* erat in hereditatibus venditionibusque imaginariis. Cf. Ernesti Clav. Cic. — Res aliqua *fiduciaria* dari dicitur quæ certa lege et conditione, tanquam pignus, alterius fidei in certum tempus, quo illam reddat et restituat, traditur. Ed.

3. *Adjicit ad pignus futuræ regi cum tyranno amicitiæ*, etc. ad primum hoc *pignus f. amicitiæ*, sc. traditionem Argorum, adjicit alterum, nuptias filiarum regis cum filiis tyranni : sed magis credo, delendum esse *ad*, et pignus dici ipsas has nuptias; Duk. *id pignus* Lov. 1, 6, et Voss. non improb. Drak. qui tamen vulgatum etiam commode servari posse existimabat. — Mala interpunctione locum obscuratum esse putat Walchius, p. 116, et ita distinguen-

Digitized by Google

legatis Amynandrum Athamanum regem, ut speciem legationi adjiceret[4], Q. Fabium (uxoris Quintii sororis filius erat), et Q. Fulvium et Ap. Claudium misit.

XXXVII. Ut ventum Romam est, prius sociorum legati, quam regis, auditi sunt. Cætera eorum oratio conviciis regis consumpta est. Moverunt eo maxime senatum[1], demonstrando maris terrarumque regionis ejus situm; ut omnibus appareret, si Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia rex teneret, non posse liberam Græciam esse; et ipsum Philippum, non contumeliosius, quam verius, compedes eas Græciæ appellare[2]. Legati deinde regis intromissi: quibus, longiorem exorsis orationem, brevis interrogatio, cessurusne iis tribus urbibus esset, sermonem incidit, quum mandati sibi de his nominatim negarent quidquam[3]: sic infecta pace regii dimissi. Quintio liberum arbitrium pacis ac belli permissum: quod ut satis apparuit[4], non tædere belli

4. *Ut speciem legationi adjiceret;* vide ad IX, 17, n. 8. *Legationi* ex emend. Gron. et MS Harl. pro *legationis.* Conf. IX, 40 pr. et XXXIV, 52 extr. Pro vulg. *utque* ex multis MSS legendum *ut,* et mox ante *Q. Fabium* copulam *et* inserendam docet Drak. Ad rem conf. Polyb. XVII, 10, 7 sq. qui dicit, Amynandrum ἐξέπεμπε παραχρῆμα, et cæteros μετὰ τοῦτον, post hunc, nisi legend. τούτου. — Ante *Q. Fabium* Crever. adjicit particulam *mox,* quia Polybius Amynandrum statim missum esse; post hunc vero alios memorat. Ed.

Cap. XXXVII. 1. *Moverunt eo maxime senatum,* etc. Recidendum τὸ *eo;* Gron. *Vero* conj. Drak. Sed mox *demonstrando* quasi per appositionem τῷ *eo* additum monet Periz.

2. *Compedes eas Græciæ appellare* (urbes, quæ omnem Græciam in officio retinerent, Ern.), Demetriadem, Chalcidem et Corinthum, πέδας τῆς Ἑλλάδος seu Ἑλληνικὰς et ἐπιδέσμους. Cf. Strab. IX, p. 428; Polyb. XVII, 11, 5; XVIII, 28, 6; Appian. Maced. 6, Exc. 23; Victor. var. lect. XII, 9, et sup. ad IX, 32, 1. Teste Pausan. VII, 3, 3, Philippus Corinthum, Chalcidem et Magnesiam dixit κλεῖς τῆς Ἑλλάδος.

3. *Mandati sibi de his nominatim quidquam,* scil. esse. Sic *quidquam, nihil,* etc. genitivis junguntur; vid. Gron. et Drak.

4. *Quod ut satis apparuit;* vide ad VI, 8, n. 2. *Quo* conj. Gronov. — Sed Crever., quum Gronov. ipse agnoscat interdum vocem *quod* otiosam esse,

Digitized by Google

senatum, et ipse, victoriæ, quam pacis, avidior, neque colloquium postea Philippo dedit, neque legationem aliam, quam quæ omni Græcia decedi nuntiaret, admissurum dixit.

XXXVIII. Philippus quum acie decernendum videret, et undique ad se contrahendas vires, maxime de Achaiæ urbibus, regionis ab se diversæ[1], et magis tamen de Argis, quam de Corintho, sollicitus, optimum ratus Nabidi eam[2] Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret; si quid adversi accidisset, ipse haberet: Philocli, qui Corintho Argisque præerat, scribit, ut tyrannum ipse conveniret. Philocles, præterquam quod jam veniebat cum munere, adjicit ad pignus futuræ regi cum tyranno amicitiæ[3], filias suas regem Nabidis filiis matrimonio conjungere velle. Tyrannus primo negare, aliter urbem eam se accepturum, nisi Argivorum ipsorum decreto arcessitus ad auxilium urbis esset. Deinde, ut frequenti concione non adspernatos modo, sed abominatos etiam nomen tyranni audivit, causam se spoliandi eos nactum ratus, tradere, ubi vellet, ur-

ejus emendationem parum felicem minime necessariam judicat: melius videretur *cui*, nimirum Quintio. Ed.

Cap. XXXVIII. 1. *Regionis ab se diversæ;* vide supra ad librum IV, cap. 22, n. 3.

2. *Optimum ratus Nabidi eam*, sc. urbem, Argivorum civitatem (propr. *eos*, scil. Argos), *velut fiduciariam dare, ut* eam *victori sibi restitueret:* qualis *fiducia* erat in hereditatibus venditionibusque imaginariis. Cf. Ernesti Clav. Cic. — Res aliqua *fiduciaria* dari dicitur quæ certa lege et conditione, tanquam pignus, alterius fidei in certum tempus, quo illam reddat et restituat, traditur. Ed.

3. *Adjicit ad pignus futuræ regi cum tyranno amicitiæ*, etc. ad primum hoc *pignus f. amicitiæ*, sc. traditionem Argorum, adjicit alterum, nuptias filiarum regis cum filiis tyranni: sed magis credo, delendum esse *ad*, et pignus dici ipsas has nuptias; Duk. *id pignus* Lov. 1, 6, et Voss. non improb. Drak. qui tamen vulgatum etiam commode servari posse existimabat. — Mala interpunctione locum obscuratum esse putat Walchius, p. 116, et ita distinguen-

Digitized by Google

bem, Philoclem jussit. Nocte, ignaris omnibus, acceptus in urbem est tyrannus : prima luce occupat superiora omnia loca; portæque clausæ. Paucis principum tumultum inter primum elapsis, eorum absentium direptæ fortunæ; præsentibus aurum atque argentum ablatum; pecuniæ imperatæ ingentes. Qui non cunctanter contulere, sine contumelia et laceratione corporum sunt dimissi; quos occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in servilem modum lacerati atque extorti. Concione inde advocata, rogationem promulgavit unam de tabulis novis[4], alteram de agro viritim dividendo; duas faces novantibus[5] res ad plebem in optimates accendendam.

XXXIX. Postquam in potestate[1] Argivorum civitas erat, nihil ejus memor tyrannus, a quo eam civitatem et quam in conditionem accepisset, legatos Elatiam ad Quintium et Attalum Æginæ hibernantem mittit, qui nuntiarent, *Argos in potestate sua esse: eo si veniret Quintius ad colloquium, non diffidere, sibi omnia cum eo conventura.* Quintius, ut eo quo-

dum : *adjicit (ad pig. fut. regi cum tyr. amicitiæ) « filias suas reg. Nab. fil. mat. c. velle ».* Ed. — *Prima luce occupat.* Goeller ex cod. Bamb. dat *occupata*, quo facto putat non opus esse abjecto verbo *est* post urbem. Duker. jam τὸ *est* damnaverat, jungebatque e conjectura Sigonii, *acceptus in urbem tyrannus, prima luce occupat*, etc. Ed.

4. *Rogationem promulgavit unam* (nisi leg. *rogationes promulgavit, unam*) *de tabulis novis*, de remissione æris alieni universi, vel ex parte, propter quam aliter scribi tabulæ acceptorum et expensorum debent. Ern. Conf. ad XLII, 13, n. 7, et de Nabidis sævis inventis Polyb. XIII, 7. — Debitores scilicet, ut observat *Doering*, quibus vel pars æris alieni, vel totum debitum publica auctoritate condonabatur, pro *veteribus tabulis*, hoc est, codicibus expensorum et acceptorum (*le livre des recettes et des dépenses*) accipiebant *novas*, ita ut deletis veteribus rationibus nova plane expensorum et acceptorum inciperet ratio; hinc tabulæ novæ Diod. Siculo, XIX, 9, dicuntur, χρεῶν ἀποκοπαί. Ed.

5. *Duas faces novantibus res*, etc. vide ad VIII, 32, n. 9.

Cap. XXXIX. 1. *Postquam in potestate*, sc. Nabidis, quam vocem quæ-

Digitized by Google

que præsidio Philippum nudaret, quum annuisset se venturum, mittit ad Attalum, ut[2] ab Ægina Sicyonem sibi occurreret; ipse ab Anticyra decem quinqueremibus, quas iis forte ipsis diebus L. Quintius frater ejus adduxerat ex hibernis Corcyræ, Sicyonem transmisit. Jam ibi Attalus erat; qui, quum tyranno ad romanum imperatorem, non Romano tyrannum, eundum diceret, in sententiam suam Quintium traduxit, ne in urbem ipsam Argos iret. Haud procul urbe[3], Mycenica vocatur : in eo loco ut congrederentur, convenit. Quintius cum fratre et tribunis militum paucis, Attalus cum regio comitatu, Nicostratus Achæorum prætor cum auxiliaribus paucis venit. Tyrannum ibi cum omnibus copiis opperientem invenerunt : progressus armatus cum satellitibus armatis[4] est in medium fere interjacentis campi : inermis Quintius cum fratre et duobus tribunis militum : inermi item regi prætor Achæorum et unus ex purpuratis latus cinge-

dam edd. adjiciunt, sed omnes fere MSS omittunt.

2. *Mittit ad Attalum, ut*, etc. vide supra ad librum VIII, cap. 19, not. 10.

3. *Haud procul urbe* locus est, qui *Mycenica vocatur*. Scita brevitas, de qua vide ad XXX, 7, n. 3. *Ycenica*, *Ytenica*, *Hyecenica*, *Hycenica*, *Itenica*, *Icenica* varr. lectt. — *Mycenica* primus dedit Gelenius ex vet. lib. et eum alii sequuti sunt præter Glareanum, qui conjicit vel *Heræa*, vel *Nemea*. Hunc vero confutatus est Drak. auctoritate MSS fretus, qui præterea observat *Heræam*, longius Argis distantem, in Arcadia ad Alphei ripas prope Elidis fines sitam, huc non convenire; cujus loco saltem memorare debuisset *Heræam*. Ejus meminerunt in Argolide Strab. VIII, pag. 368, et Pausan. in Corinth. cap. 17. Ed. — *Paucis venit*. Jac. Perizonius ejecta voce *venit* orationem ita nectit : *cum aux. paucis tyrannum, ibi cum omnibus copiis opperientem, invenerunt*. Sed τὸ *venit* a codd. defendi monet Doer. quod ab orationis simplicitate non alienum est. Ed.

4. *Progressus armatus cum satellitibus a.*, XXIV, 5; XXXIV, 37; ap. Xenoph. Hist. gr. IV, pag. 527, οἱ δορυφόροι τὰ ὅπλα ἔχοντες, et similiter XXXII, 16, *stationes armatæ;* XL, 34; XLII, 65; LXV, 29, *præsidium armatum*, et I, 49, *armati* pro satellitibus; Drak. — Vox *armatis*, quæ primum in edit. ult. Gruteri omissa fuit, recte J. Fr. Gronovius revocandam putavit, probante Doer. Ed.

Digitized by Google

bant[5]. Initium sermonis ab excusatione tyranni ortum, *quod armatus ipse armatisque septus, quum inermes romanum imperatorem regemque cerneret, in colloquium venisset: neque enim se illos timere*, dixit, *sed exsules Argivorum.* Inde, ubi de conditionibus amicitiæ cœptum agi est, Romanus duas postulare res: unam, ut bellum cum Achæis finiret; alteram, ut adversus Philippum mitteret secum auxilia. Ea se missurum dixit: pro pace cum Achæis induciæ impetratæ, donec bellum cum Philippo finiretur.

XL. De Argis quoque disceptatio ab Attalo rege est nata[1], quum fraude Philoclis proditam urbem vi ab eo teneri argueret; ille, ab ipsis Argivis, ut se defenderet, accitum. Concionem Argivorum rex postulabat, ut id sciri posset: nec tyrannus abnuere; sed, deductis ex urbe præsidiis, liberam concionem, non immixtis Lacedæmoniis, declaraturam, quid Argivi vellent, præberi debere dicebat rex; tyrannus negavit deducturum: hæc disceptatio sine exitu fuit[2]. De colloquio discessum, sexcentis Cretensibus ab tyranno datis Romano, induciisque inter Nicostratum prætorem Achæorum et Lacedæmoniorum tyrannum in quatuor menses factis. Inde Quintius Corinthum est profectus, et ad portam cum Cretensium cohorte accessit, ut Philocli præfecto urbis appareret, tyrannum a Philippo descisse. Philocles et ipse ad imperatorem

5. *Inermes regi prætor Aehæorum et unus ex purpuratis latus cingebant;* vide ad XXIV, 5, n. 7. Mox τὸ *dixit* delevere Gron. et Crev.

Cap. XL. 1. *Disceptatio ab Attalo rege est nata.* Frid. Jacobs. probandam fortasse ait lectionem libri Bamberg. *disceptatio ... est mota.* Ed. — *Ut id sciri posset;* cf. ad cap. 13, n. 3. — *Non immixtis.* Locum ita distinguit Doeringius: *non, immixtis Lacedæmoniis, declar.* ut sensus sit: quandiu Lacedæmonii immixti essent, haud, quid Argivi vellent, declaraturam. Ed.

2. *Hæc disceptatio sine exitu fuit,* al. sine effectu. Ern. — *Cretensibus,* auxiliis. — *Romano;* vide ad c. 11, n. 4.

Digitized by Google

romanum in colloquium venit, hortantique, ut extemplo transiret urbemque traderet, ita respondit, ut distulisse rem magis, quam negasse, videretur. A Corintho Quintius Anticyram trajecit; inde fratrem ad tentandam Acarnanum gentem misit. Attalus ab Argis Sicyonem est profectus : ibi et civitas novis honoribus veteres regis honores[3] auxit; et rex ad id, quod sacrum Apollinis agrum grandi quondam pecunia redemerat eis, tum quoque, ne sine aliqua munificentia præteriret civitatem sociam atque amicam, decem talenta argenti dono dedit et decem millia medimnum frumenti : atque ita Cenchreas ad naves rediit. Et Nabis, firmato præsidio Argis[4], Lacedæmonem regressus, quum ipse viros spoliasset, ad feminas spoliandas uxorem Argos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc simul plures genere inter se junctas domum arcessendo, blandiendoque ac minando, non aurum modo iis, sed postremo vestem quoque mundumque omnem muliebrem ademit.

3. *Ibi* (Sicyone) *et civitas novis honoribus veteres regis honores* (vide ad I, 3, n. 8) *auxit, et rex ad id quod* (vide ad II, 23, n. 3) *sacrum Apollinis agrum*, etc. cf. Polyb. XVII, 16. — *Decem talenta argenti*. Marcas nostrates 937, cum quatuor unciis. Ed. — *Decem m. medimnum fr.* Medimnus erat mensura frugum apud Atticos, par sex modiis, secundum Creverii rationes : itaque *decem millia medimnum* æquiparantur fere 46250 modiis Parisiensibus, sextariis itidem Paris. paulo plus 3854. Ed.

4. *Firmato præsidio Argis;* vide ad XXI, 57, n. 7. — Tanaquil Faber legendum putat, *firmatis præsidio Argis*. Sed vulgatam omnium codicum auctoritate defendi observat Drakenb. Ed. — *Ad feminas spoliándas uxorem*, Apegam, *Argos remisit*, etc. cf. Polyb. XIII, 7, et XVII, 17.

N. B. Antequam ad finem hujus belli adversus Philippum veniamus, quis tunc Græciæ status fuerit, quæ causa hinc victoriæ, illinc cladium exstiterit, ex præclarissimi viri scriptis considerandum est. Huc enim referam, quæ de hoc bello acutissime disputavit Montesquieu, *Grandeur et décadence des Romains*, cap. V :

« Il y avait dans la Grèce trois peuples considérables : les Étoliens,

Digitized by Google

les Achaïens et les Béotiens : c'étaient des associations de villes libres, qui avaient des assemblées générales et des magistrats communs. Les Étoliens étaient belliqueux, hardis, téméraires, avides de gain, toujours libres de leur parole et de leurs serments ; enfin faisant la guerre sur la terre, comme les pirates la font sur la mer. Les Achaïens étaient sans cesse fatigués par des voisins ou des défenseurs incommodes. Les Béotiens, les plus épais de tous les Grecs, prenaient le moins de part qu'ils pouvaient aux affaires générales... Lacédémone avait conservé sa puissance, c'est-à-dire, cet esprit belliqueux que lui donnaient les institutions de Lycurgue. Les Thessaliens étaient en quelque façon asservis par les Macédoniens..... Les Athéniens, sans force par eux-mêmes et sans alliés, n'étonnaient que par leurs flatteries envers les rois ; et l'on ne montait plus sur la tribune où avait parlé Démosthène, que pour proposer les décrets les plus lâches et les plus scandaleux.

« D'ailleurs, la Grèce était redoutable par sa situation, la force, la multitude de ses villes, le nombre de ses soldats, sa police, ses mœurs, ses lois : elle aimait la guerre, elle en connaissait l'art, et elle aurait été invincible, si elle avait été unie.

« La Macédoine était presque entourée de montagnes inaccessibles. Les peuples en étaient très-propres à la guerre, courageux, obéissants, industrieux, infatigables..... La Grèce se maintenait par une espèce de balance. Les Lacédémoniens étaient pour l'ordinaire alliés des Étoliens, et les Macédoniens l'étaient des Achaïens : mais, par l'arrivée des Romains, tout équilibre fut rompu.

« Philippe, qui, dans le commencement de son règne, s'était attiré l'amour et la confiance des Grecs par sa modération, changea tout-à-coup ; il devint un cruel tyran dans un temps où il aurait dû être juste par politique et par ambition..... Il était naturel qu'il pensât à unir toute la Grèce avec lui pour empêcher les étrangers de s'y établir : mais il l'irrita, au contraire, par de petites usurpations ; et, s'amusant à discuter de vains intérêts, quand il s'agissait de son existence, par trois ou quatre mauvaises actions il se rendit odieux et détestable à tous les Grecs.

« Les Étoliens furent les plus irrités ; et les Romains, saisissant l'occasion de leur ressentiment, ou plutôt de leur folie, firent alliance avec eux, entrèrent dans la Grèce, et l'armèrent contre Philippe. » Ed.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXIII.

BREVIARIUM.

Cap. I; T. Quintius Flamininus Bœotos ad societatem cum Romanis adsciscere cupiens, cum Attalo multisque legatis Thebas venit. — II; In concilio ibi habito rex concidit, et societas illa jungitur. — III; Philippus copias suppletas Dium contrahit, ibique exercet quotidie. Quintius, ab Elatia profectus, Thermopylas et inde, auxiliis Ætolorum aliorumque populorum contractis, in Phthiotidem transgreditur. — IV; Rex milites adhortatur et recenset. — V; Quintius frustra tentat Thebas Phthioticas, et vallos cædere secumque ferre jubet milites, ut paratus omni loco castris sit ponendis. — VI; Postero die Pheras, et inde Scotussam movet castra, quo et hostis, velut ex prædicto, contendit. — VII; Mox utraque castra, ad Cynoscephalas posita, in conspectu sunt, et jam a paucis lacessitur pugna. — VIII; Omnes utrimque copiæ in aciem educuntur. — IX - X; Romani vincunt. — XI; Quintius Larissam proficiscitur, regique petenti et inducias dat et colloquium, frementibus nequidquam Ætolis, gente avida prædæ et superba. — XII; In concilium prius advocat socios, disceptatque cum Ætolis. — XIII; Tum frequens Romanorum sociorumque concilium datur regi, et cum eo, omnia priore colloquio postulata concedente, ita convenit, ut datis obsidibus de pacis legibus dictis Romam mittat legatos. XIV-XV; Eodem tempore Nicostratus prætor Achæorum justo prælio fudit ducem regium Androsthenem, omnemque Achaiam magno liberavit metu. — XVI; Acarnanes, qui soli Græcorum fidi Macedonibus manserant, auctore L. Quintio concilium Leucadem

Digitized by Google

indicunt, in quo suadentibus eorum principibus, Archelao, Bianore et Zeuxida, decretum fit societatis rom., sed mox tollitur. — XVII; Hinc Leucas a Flaminino legato vi capitur, et Acarnanes mox omnes in deditionem ejus veniunt, certiores facti de fratris victoria. — XVIII; Pausistratus quoque, Rhodiorum prætor, vindicat a Philippo Peræam, fuso Dinocrate, præfecto regio. — XIX; Ipsius Macedoniæ superiora evastantur a Dardanis; qui tamen oppressi a Philippo cæduntur et in fines suos redeunt. Sub idem vero tempus et Hispania rebellat, et bellum molitur Antiochus, rex Syriæ, simul tentaturus civitates Ptolemæi in Cœle Syria, Cilicia et Caria, simul Philippum exercitu navibusque adjuturus. — XX; Rhodii consilium capiunt obviam eundi classe Antiocho, et tuentur libertatem civitatium sociarum Ptolemæi. — XXI; Attali virtutes et mors. Ingens bellum in Hispania ulteriore coortum opera Colchæ et Luscini regulorum. — XXII; Q. Minucius et C. Cornelius coss. ob res communi consilio in Gallia prospere gestas postulant triumphum, sed intercessione et perseverantia Atinii Ursaniique tribunorum plebis victi separatim de eo referunt. — XXIII; Cornelio triumphus decernitur omnium consensu: Minucius in monte Albano triumphat. — XXIV; Creantur consules (L. Furius Purpureo et M. Claudius Marcellus), posteroque die prætores. Literæ primum et mox legati a T. Quintio, simulque a Philippo veniunt Romam; et decem decernuntur legati, quorum ex consilio Quintius regi det leges pacis. — XXV; Ludi Romani et plebeii. Pacem illam frustra dissuadent consules, Macedoniæ provinciæ cupidi. Tristis ex Hispania citeriore nuntius adfertur de adversa fortuna C. Sempronii Tuditani proc. Consulibus ambobus Italia provincia decernitur. — XXVI; Prætores sortiuntur provincias, et prodigia procurantur. — XXVII; Cn. Cornelius Lentulus et L. Stertinius ex Hispaniis redeuntes magnam in ærarium ferunt pecuniam. Bœoti a Quintio, Athenis hibernante, petunt impetrantque, ut hi, qui suæ gentis militaverint apud Philippum, sibi restituantur: sed confestim regi gratias inde agunt, et Brachyllam quemdam, principem fautorum ejus, comitiis proximis Bœotarchen faciunt, præteritis Zeuxippo et Pisistrato, societatis rom. auctoribus. — XXVIII; Horum instinctu ille occiditur, et Zeuxippus, suam magis conscientiam, quam indicium hominum metuens, Thebis nocte perfugit Tanagram; de Pisistrato, quem servus prodit, sumitur supplicium. — XXIX; Ne-

Digitized by Google

que eo contenti Bœoti, sed ad exsecrabile odium Romanorum efferati, horum milites in Bœotia hibernantes obtruncant. Quod scelus vehementer vindicasset Quintius, nisi Achæi deprecantes leviorem pœnam impetrassent Bœotis. — XXX; Leges pacis Philippo datæ ex consilio decem legatorum. — XXXI; Omnes Græcorum civitates, in Macedonum ditionem redactæ, liberantur, præter Acrocorinthum, Chalcidem et Demetriadem, in quibus præsidia esse placet, donec cura decedat de Antiocho; quod Ætoli clam mussantes carpunt. — XXXII; Isthmiis ludis Græciæ libertas voce præconis promulgatur. — XXXIII; Effusa Græcorum lætitia. — XXXIV; Legati audiuntur Antiochi, et aliæ gentes civitatesque liberæ pronuntiantur. — XXXV; Decem legati ad liberandas suæ quisque regionis civitates discedunt; et Philippus Ætolique legatos Romam mittere jubentur. — XXXVI; Conjuratio servorum in Etruria opprimitur a M'. Acilio prætore. Clades Marcello consuli a Corolamo, regulo Boiorum, illata obliteratur victoria ab Insubribus Comensibusque reportata. — XXXVII; Consules, junctis exercitibus, Boiorum Ligurumque agrum peragrant populantes, et triumphant. — XXXVIII; Antiochus Smyrnæ et Lampsaci oppugnationem molitur, ac præter alias Hellesponti Chersonesique urbes Lysimachiam, a Thracibus deletam, capit. — XXXIX; Eo conveniunt legati Romanorum, et restitui Ptolemæo civitates omnes, quæ ditionis ejus fuerint, postulant. — XL; Quibus ferociter respondet rex. — XLI; Mox falso de morte Ptolemæi rumore allato, Antiochus navigandi in Ægyptum capit consilium; sed Pataris cognito, vivere Ptolemæum, tendit Cyprum, et, plerisque navibus fœda tempestate amissis, Seleuciam et inde Antiochiam redit. — XLII; Triumviri epulones primum fiunt; et quæstores a sacerdotibus exigunt stipendium, per belli tempus non collatum. Creantur consules (L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato), et inde prætores. Frumentum ab ædilibus curul. populo dividitur, et pecuarii condemnantur ab ædilibus plebis. Ludi Romani et plebeii. — XLIII; Consules prætoresque sortiuntur provincias, et T. Quintio prorogatur imperium, suspectis Antiocho, Ætolis et Nabide. — XLIV; Ver sacrum olim votum ex pontificum jussu faciunt consules. Ab Hispanis jam minus terroris est, laureatis Q. Minucii literis allatis; et omnes curæ, post adventum præcipue decem legatorum, in Antiochum regem convertuntnr, et in Nabin, nunc Lacedæmoniorum, mox,

Digitized by Google

si liceat, universæ Græciæ futurum tyrannum. — XLV; T. Quintio, quod ad Nabin attineat, facere, quæ e republica censeat esse, permittitur; sed magis jubetur animadvertere, quid acturi sint et Antiochus et Hannibal, qui ad regem illum nuntios literasque mittere dicatur. — XLVI; Idem Hannibal, sufes factus, potentiam ordinis judicum coercendo exigendoque pecunias residuas multorum potentium animos offenderat. — XLVII; Hi itaque infensi romanis principibus, amicis quisque suis, scribunt, Hannibalem cum Antiocho consilia belli faciendi inire; eamque ob causam legati Carthaginem mittuntur, nequidquam repugnante Scipione Africano. — XLVIII; Sed Hannibal, unum se peti sentiens, relinquit patriam, et in Cercinam insulam trajicit. — XLIX; Inde Tyrum Antiochiamque pervenit; et mox Ephesi consequitur Antiochum.

I. Hæc per hiemem gesta[1]. Initio autem veris Quintius, Attalo Elatiam excito, Bœotorum gentem, incertis ad eam diem animis fluctuantem, ditionis suæ facere cupiens, profectus per Phocidem, quinque millia ab Thebis, quod caput est Bœotiæ, posuit castra. Inde postero die cum unius signi militibus[2] et Attalo legationibusque, quæ frequentes undique convenerant, pergit ire ad urbem, jussis legionis hasta-

Cap. I. 1. *Hæc per hiem. gesta*, etc. Libri hujus capita 1-17 in edd. antt. desiderantur, et primum a. 1616 ex MS Bambergensi Romæ sunt edita. Reliqua ejusdem libri pars in solo Mogunt. cod. reperta. — Hunc librum nuper ex cod. Bamberg. edidit Franc. Goeller, cum notis Frid. Jacobs. suisque. Francofurti ad Mœnum, 1822. Ex eo opere optima quædam seligam, quæ in hujus editionis auctionem et ornamentum veniant. Ed.

2. *Cum unius signi militibus;* vide ad XXV, 23, n. 9. — *Jussis legionis hastatis (ea duo millia militum erant) sequi se :* sed in legione 4200 militum erant hastati 1200, totidemque principes et velites, triarii 600; et in legione 5200 peditum, qualis jam hoc tempore fuit (vid. XLII, 31), idem triariorum, et major quidem reliquorum numerus, non vero tantus, quantus hoc loco fuisse dicitur. Conferatur Lipsius, de Milit. Rom. II, 1 et 5. Hinc vel in numero hastatorum vitium esse, vel in numero levis armaturæ post institutionem velitum proprie dictorum (vid. XXVI, 4, n. 6) aliquid mutatum fuisse, putabat Duk. *jussis legionum* (duarum Quintii) *hastatis* (quorum sic tertia pars militia unius anni periit, quod

Digitized by Google

tis (ea duo millia militum erant) sequi se, mille passuum intervallo distantes. Ad medium ferme viæ Bœotorum prætor Antiphilus obvius fuit : cætera multitudo e muris adventum imperatoris romani regisque prospeculabatur. Rara arma paucique milites circa eos apparebant : hastatos, sequentes procul, anfractus viarum vallesque interjectæ occulebant. Quum jam appropinquaret urbi, velut obviam egredientem turbam salutaret, tardius incedebat : causa erat moræ, ut hastati consequerentur. Oppidani, ante lictorem turba acta[3], insequutum confestim agmen armatorum non ante, quam ad hospitium imperatoris[4] ventum est, conspexere. Tum, velut prodita dolo Antiphili prætoris urbe captaque, obstupuerunt omnes : et apparebat, nihil liberæ consultationis concilio, quod in diem posterum indictum erat Bœotis, relictum. Texe-

parum probabile est), vel *ii mille quingenti milites erant* (ut pro *ii* ∞ lɔ *mil. erant* scriptum fuerit *ea* ∞ ∞ *mil. erant*) conjicit Drak. — Walchius, Emend. 237, suspicatur librarios quum invenissent in codd. *legion'is*, inde fecisse *legionis* admodum pingui Minerva : scribendum autem *legionariis*. Ed. — Mox pro *distantes* unicus MS *distantis*. Forte leg. *distantibus* vel *distantem* : nec vero si absit hæc vox, eam desideres ; Gron. Vulgatum defendunt Cort. ad Sall. Jug. 33, 2, et Drak. Ille absoluta constructione intelligebat, ut ita *ipse* et *legionis hastati* distarent ; hic *distantes* referebat ad *se*, eoque significari putabat Quintium ejusque comites. Neutrum nobis satis facit. — Goeller, probante Jacobs, tuetur τὸ *distantes* ; quippe accusativus habet excusationem eo quod pendet ab infinitivo ; et participii casus accommodatus est ad id quod Livius se scripsisse existimabat. Eadem loquendi forma vide ad XXXII, 8 : *prætores quoque jussi...Marcello*, etc. Ed. — *Quum jam appropinquabant urbi*. Goeller e cod. Bamb. *appropinquabant turbæ*, Bœotorum scilicet, sive Antiphili comitum ; quam verissimam lectionem vocat. Ed.

3. *Oppidani, ante lictorem turba acta* ; scribe *ante lictorum turba acti* ; Gronovius. *Oppidani autem lictorum turba acti* emend. Drak. qui simul ex Plut. Æmil. p. 256, docet, non modo consulibus proconsulibusque, sed etiam proprætoribus duodecim lictores fuisse. — Post *oppidani* aliquid excidisse ratus Jacobs, emendationem aut explicationem mutilorum verborum frustra tentari arbitratur. Loci, ut nunc vulgatur, sensus hic mihi videtur : quum turba oppidanorum, obviam egressorum, ante lictorem ageretur, conspexere, etc. Ed.

4. *Ad hospitium imperatoris* rom. vide ad II, 14, n. 4.

Digitized by Google

runt tamen dolorem[5], quem et nequidquam, et non sine periculo ostendissent.

II. In concilio Attalus primus verba fecit : orsus a majorum suorum suisque, et communibus in omnem Græciam, et propriis in Bœotorum gentem, meritis, segnior jam et infirmior[1], quam ut contentionem dicendi sustineret, obmutuit et concidit. Et, dum regem auferunt perferuntque[2] parte membrorum captum, paulisper concio intermissa est. Aristænus inde, Achæorum prætor, eo cum majore auctoritate auditus, quod non alia, quam quæ Achæis suaserat[3], Bœotis suadebat. Pauca ab ipso Quintio adjecta, fidem magis romanam, quam arma aut opes, extollente verbis. Rogatio inde, a Platæensi Dicæarcho lata recitataque, de societate cum Romanis jungenda, nullo contra dicere audente, omnium Bœotiæ civitatium suffragiis accipitur jubeturque[4]. Concilio dimisso, Quintius tantum Thebis moratus, quantum Attali repens casus coegit, postquam non vitæ præsens periculum vis morbi attulisse, sed membrorum debilitatem visa est, relicto eo ad curationem necessariam corporis, Elatiam, unde profectus erat, redit; Bœotis quoque, sicut prius Achæis, ad societatem adscitis, et, quando tuta ea[5] pacataque ab tergo relinqueban-

5. *Texerunt tamen dolorem :* voc. *tamen* non est in MS Bamb. (unde delevit Drak.); sed videtur id sensus requirere, et forte compendio scriptum erat *texeretn*, h. e. *texere tamen;* Gronovius.

Cap. II. 1. *Segnior jam et infirmior;* puto *senior;* Gronov.

2. *Dum regem auferunt perferuntque*, forte *refoventque* vel *reficiuntque;* Gronov. An leg. *perfoventque ?* — *Parte membrorum captum;* vide ad II, 36, n. 7. Mox quoque exspiravit Attalus, de cujus ortu, familia, vita ac morte vid. cap. 21; Strab. XIII, p. 624; Polyb. XVIII, 24, XXII, 3; Plut. Flamin. pag. 372. — *Paulisper concio.* Cod. Bamb. *contentio.* Ed.

3. *Quæ Achæis suaserat;* vide ad XXXII, 20, 21.

4. *Accipitur jubeturque* rogatio; vide ad XXXII, 22, n. 6.

5. *Et quando* (al. *quoniam*) *tuta ea*, etc. vide ad V, 25, n. 3.

Digitized by Google

tur, omnibus jam cogitationibus in Philippum, et quod reliquum belli erat, conversis.

III. Philippus quoque primo vere[1], postquam legati ab Roma nihil pacati retulerant, delectum per omnia oppida regni habere instituit in magna inopia juniorum. Absumpserant enim per multas jam ætates continua bella Macedonas; ipso quoque regnante, et navalibus bellis adversus Rhodios Attalumque, et terrestribus adversus Romanos, ceciderat magnus numerus. Ita et tirones ab sedecim annis milites scribebat[2], et emeritis quidam stipendiis, quibus modo quidquam reliqui roboris erat, ad signa revocabantur. Ita suppleto exercitu, secundum vernum æquinoctium omnes copias Dium contraxit; ibique stativis positis, exercendo quotidie milite[3], hostem opperiebatur. Et Quintius per eosdem ferme dies, ab Elatia profectus, præter Thronium et Scarpheam ad Thermopylas pervenit: ibi concilium Ætolorum, Heracleam indictum[4], tenuit, consultantium quantis auxiliis romanum ad bellum sequerentur. Cognitis sociorum decretis, tertio die ab Heraclea Xynias progressus, in confinio Ænianum Thessalorumque[5] positis castris,

Cap. III. 1. *Primo vere;* vide ad I, 6, n. 1.

2. *Tirones ab XVI annis milites scribebat,* natos XVI annos iisque majores. — *Secundum vernum æquinoctium;* vide ad I, 4, n. 1, et Dodwell. de Cyclis, X, 91.

3. *Exercendo quotidie milite;* conf. ad I, 53, n. 3. Sed forte leg. *exercens quotidie militem,* vel *exercendi quotidie militis,* scil. causa. — Conf. ad III, 56, n. 4. — *Præter* (vid. XXV, 11, n. 9) *Thronium et Scarpheam,* oppida Locrorum Epicnemidiorum. *Scharpeam* MS Bamb. et edd. antt. *Scarphia* dicitur XXXVI, 19, et Plin. IV, 7 seu 12. Σκάρφειά et Σκάρφη Strab. I, 3, pag. 60, et IX, 4, 4, p. 426 (ubi vid. *Tzschucke*); Pausan. VII, 15, 2; App. Syr. 19; Ptol. III, 15, IV, 7; Plin. IV, 7; Steph. et aliis.

4. *Ibi concilium Ætolorum, Heracleam indictum* (vid. IV, 25, n. 4), *tenuit,* fuit (vide ad I, 4, n. 9), vel potius detinuit eum; moratum est (vide ad II, 63, n. 3). *Tenuit* pro *tenuit eum,* ut III, 26, et XXXIV, 39; nisi *eum* post *indictum* excidit; Dukerus.

5. *Ab Heraclea Xynias pr., in con-*

Digitized by Google

Ætolica auxilia opperiebatur. Nihil morati Ætoli sunt; Phænea duce, duo millia peditum cum equitibus quadringentis venerunt : ne dubium esset, quid exspectasset, confestim Quintius movit castra. Transgresso in Phthioticum agrum quingenti Gortynii Cretensium, duce Cydante[6], et trecenti Apolloniatæ, haud dispari armatu, se conjunxere; nec ita multo post Amynander cum Athamanum peditum ducentis et mille. Philippus, cognita profectione ab Elatia Romanorum, ut cui de summa rerum adesset certamen, adhortandos milites ratus, multa jam sæpe memorata de majorum virtutibus, simul de militari laude Macedonum, quum disseruisset, ad ea, quæ tum maxime animos terrebant, quibusque erigi ad aliquam spem poterant, venit.

IV. Acceptæ ad Aoum flumen in angustiis[1] cladi, territa Macedonum phalange, ad Atracem vi pulsos Romanos opponebat : *et illic tamen, ubi insessas*

finio Ænianum Thessalorumque; vid. XXVIII, 5, n. 6. — *Phænea duce duo millia peditum*, Plut. Flaminin. p. 372. D. ὑπὲρ ἑξακισχιλίους καὶ δισμυρίους ἔχων στρατιώτας, ὧν Αἰτωλοὶ πεζοὺς ἑξακισχιλίους καὶ ἱππεῖς τετρακοσίους παρεῖχον· unde *sex millia* suspicari possis. Sed Livium cap. seq. referre, Romanis ferme *parem numerum* fuisse ac Philippo, equitum vero copiis Ætolorum accessu Romanos superasse; eoque indicari, plures aliquanto pedites Philippo, non, quod Plut. tradit, Romanis fuisse, adeoque Livium non in omnibus Plutarcho consentire, monet Drak.

6. *Duce Cydante:* qui *Cydas, æ*, dicitur Polyb. XXIII, 15, n. 1, et Cic. Phil. V, 5, et VIII, 9; non *Cydas, antis*, ut h. l. et XLIV, 13, 24. *Cydate* emend. Horrion, Gronov. et Crev. decepti corrupta lectione apud Polyb. — *Summa rerum;* vide ad III, 5, n. 6.

Cap. IV. 1. *Acceptæ ad Aoum flumen...cladi* (vid. XXXII, 5, n. 8), *territa Macedonum phalange* (conf. XXXII, 12), *ad Atracem vi pulsos Romanos opponebat*, h. e. cladem Romanorum ad Atracem, de qua vid. XXXII, 15-18. Pro *territa* in MS Bamb. est *terra;* unde Horrion conj. *terra a Macedonum p. ad A. vi pulsos Romanos* (qui obsidione Atracis relicta Anticyram se contulere in Phocidem), et recte, opinor, Gron. *ter a Maced. ph. ad A.* etc. quia discesserint illi quidem, expugnatione sæpius tentata, non tamen a phalange terra pulsi, sed quod procul a mari et

Digitized by Google

fauces Epiri[2] *non tenuissent, primam culpam fuisse eorum, qui negligenter custodias servassent; secundum, in ipso certamine, levis armaturæ mercenariorumque militum. Macedonum vero phalangem et tunc stetisse, et loco æquo justaque pugna semper mansuram invictam.* Decem et sex millia militum hæc fuere, robur omne virium et regni: ad hoc duo millia cætratorum, quos peltastas appellant[3], Thracumque et Illyriorum (Trallis nomen est genti) par numerus bina millia erant, et mixti ex pluribus gentibus mercede conducti auxiliares mille ferme et duo millia equitum: cum iis copiis rex hostem opperiebatur. Romanis ferme par numerus erat; equitum copiis tantum[4], quod Ætoli accesserant, superabant.

V. Quintius ad Thebas Phthioticas castra quum movisset, spem nactus per Timonem[1] principem civitatis prodi urbem, cum paucis equitum levisque armaturæ ad muros successit. Ibi adeo frustrata spes est, ut non certamen modo cum erumpentibus, sed periculum quoque atrox subiret; ni castris exciti repente pedites equitesque in tempore subvenissent: et postquam nihil conceptæ temere spei succedebat, urbis quidem amplius tentandæ[2] in præsentia conatu absistit; cæterum satis gnarus, jam in Thessalia re-

in evastatis belli cladibus locis hibernandi non fuerit copia. Cf. XXXII, 17, 18; unde etiam patet, Romanos a phalange Maced. aliquoties repulsos fuisse.

2. *Insessas fauces Epiri;* vide infra ad XXXII, 5, n. 6.

3. *Cætratorum, quos peltastas appellant;* vide ad XXI, 21, n. 6. — *Trallis nomen est genti;* cf. XXVII, 32, et XXXI, 35.

4. *Equitum copiis tantum,* tantummodo, solummodo, *quod,* quoniam, *Ætoli,* CCCC equites eorum (vid. cap. 3), *accesserant* ipsis, *superabant* copias hostium, earumve numerum.

Cap. V. 1. *Per Timonem;* in edd. ante Gron. a. 1665, *per Dimonem.* — *In tempore subvenissent;* vide ad II, 47, n. 4. — Goeller totum hoc caput cum Polybio, lib. XVIII, 1, comparat, p. 80 sqq. Ed.

2. *Urbis quidem amplius tentandæ;* vide ad IX, 35, n. 1. — *Nondum*

Digitized by Google

gem esse, nondum comperto, quam in regionem venisset, milites per agros dimissos vallum cædere et parare[3] jubet. Vallo et Macedones et Græçi usi sunt; sed usum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ipsius munitionis firmamentum aptaverunt: nam et majores et magis ramosas arbores cædebant, quam quas ferre cum armis miles posset; et quum castra his ante objectis sepsissent, facilis molitio eorum valli erat[4]; nam et quia rari stipites magnarum arborum eminebant, multique et validi rami præbebant, quod recte manu caperetur, duo aut summum tres juvenes connisi arborem unam evellebant. Qua evulsa, portæ instar extemplo patebat[5], nec in promptu erat, quod obmolirentur. Romanus leves et bifurcos plerosque et trium aut, quum plurimum, quatuor ramorum vallos cædit, ut et suspensis ab tergo armis ferat plures simul apte miles; et ita densos obfigunt[6] implicantque ramos, ut neque, quæ cujusque stipitis palma

comperto; vide supra ad librum I, cap. 41, n. 10.

3. *Vallum* (vallos) *cædere et parare*, cujus rei causa traditur cap. 6 pr. Conf. ad III, 27, n. 4. — *Vallo et Macedones et Græci*, etc. ad finem cap. expressa ad verbum e Polyb. XVIII, 1. Cf. Lips. Mil. Rom. V, 11.

4. *Facilis molitio eorum valli erat*, facile erat, vallos evellere; nec facile, *obmoliri*, in locum evulsorum alios reponere, lacunæ explendæ irruptionisque hostium impediendæ causa. Cf. ad VI, 11, n. 5, et XXXVII, 32, n. 3. — *Quod recte manu caperetur*, facile, commode, firmiter, cum eventu. Bauer.

5. *Portæ instar patebat*, ad magnitudinem, *so gross, so weit.* Bauer. — *Bifurcos plerosque*, δύο κεραίας (furcas, *palmas*, cornua) ἔχοντες. — *Suspensis ab tergo armis*, scutis, manibus solas gestant hastas.

6. *Et ita densos obfigunt* (opponunt fixos, *vorschlagen.* Bauer. Sic MS Bamb. non *adfigunt*) *implicantque ramos, ut neque, quæ cujusque stipitis sit palma* (extremum rami vel furcæ velut ansa, unde prehendantur, *das Ende.* Bauer.), *perviderí*, penitus discerni, cognosci *possit.* Ex Polyb. (τιθέασι γὰρ εὐθέως ἐμπλέκοντες εἰς ἀλλήλους οὕτως, ὥστε μήτε τὰς κεραίας εὐχερῶς ἐπιγνῶναι, ποίας εἰσὶν ἐκφύσεως τῶν ἐν τῇ γῇ κατωρυγμένων, μήτε τὰς ἐκφύσεις, ποίων κεραιῶν) suspicari possis, inter verba *palma* et *sit* excidisse hæc: *neque qui quarumque palmarum stipes*, vel, quod Crev. putabat, *neque quis cujus-*

Digitized by Google

sit, pervideri possit : et adeo acuti aliusque per alium immissi radii[7] locum ad inserendam manum non relinquunt, ut neque prehendi, quod trahatur, neque trahi, quum inter se innexi rami vinculum invicem præbeant, possit; et, si evulsus forte est unus, nec loci multum aperit, et alium[8] reponere perfacile est.

VI. Quintius postero die, vallum secum erente milite, ut paratus omni loco castris ponendis esset, progressus modicum iter, sex ferme millia[1] a Pheris quum consedisset, speculatum, in qua parte Thessaliæ hostis esset, quidve pararet, misit. Circa Larissam erat rex, qui certior jam factus, Romanum ab Thebis Pheras movisse, defungi quam primum et ipse certamine cupiens, ducere ad hostem pergit, et quatuor millia fere a Pheris posuit castra. Inde postero die quum expediti utrimque ad occupandos super urbem tumulos processissent, pari ferme intervallo ab jugo, quod capiendum erat, quum inter se conspecti essent, constiterunt; nuntios in castra remissos, qui, quid sibi, quum præter spem hostis occurrisset, faciendum esset, consulerent, quieti opperientes : et illo quidem die,

que palmæ stipes; et mutilus quoque hic locus visus est Gron. Sed Livius forte brevius eamdem expressit sententiam, nec imperfecta est ea, modo τὸ *neque* eo sensu ceperis, quo capiendum dixi ad XXXI, 22, n. 4. Tum etiam non est, quod cum Bauero mox vel *relinquant* legas pro *relinquunt*, ut pendeat ab *ut neque*, cui alioquin nil respondere putat, vel vulgatam lect. per ἀνακόλουθον defendas. Cæterum in verbis Polybii ἐκφύσεις sunt ipsæ stirpes vel stipites, non, quos antea sic dixerat, rami ex stirpe enati.

7. *Aliusque per alium immissi radii*, vallorum seu stipitum rami ex parte relicti et conserti; Ern. Forte *rami* leg. pro *radii*. Iidem certe κεραίαι dicuntur Polyb.

8. *Alium reponere* loco evulsi.

Cap. VI. 1. *Sex ferme millia* passuum *a Pheris*, etc. cf. Polyb. XVIII, 2 et 3.—*Qui certior.* Cod. Bamb. omittit τὸ *qui*, et ita legendum putat Goeller. Ed. — *Ab Thebis* Phthioticis. — *Quum expediti utrimque ad occupandos super urbem tumulos processissent;* vide supra ad I, 2, n. 3, et V, 16, n. 2.

Digitized by Google

gem esse, nondum comperto, quam in regionem venisset, milites per agros dimissos vallum cædere et parare[3] jubet. Vallo et Macedones et Græci usi sunt; sed usum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ipsius munitionis firmamentum aptaverunt: nam et majores et magis ramosas arbores cædebant, quam quas ferre cum armis miles posset; et quum castra his ante objectis sepsissent, facilis molitio eorum valli erat[4]; nam et quia rari stipites magnarum arborum eminebant, multique et validi rami præbebant, quod recte manu caperetur, duo aut summum tres juvenes connisi arborem unam evellebant. Qua evulsa, portæ instar extemplo patebat[5], nec in promptu erat, quod obmolirentur. Romanus leves et bifurcos plerosque et trium aut, quum plurimum, quatuor ramorum vallos cædit, ut et suspensis ab tergo armis ferat plures simul apte miles; et ita densos obfigunt[6] implicantque ramos, ut neque, quæ cujusque stipitis palma

comperto; vide supra ad librum I, cap. 41, n. 10.

3. *Vallum* (vallos) *cædere et parare*, cujus rei causa traditur cap. 6 pr. Conf. ad III, 27, n. 4. — *Vallo et Macedones et Græci*, etc. ad finem cap. expressa ad verbum e Polyb. XVIII, 1. Cf. Lips. Mil. Rom. V, 11.

4. *Facilis molitio eorum valli erat*, facile erat, vallos evellere; nec facile, *obmoliri*, in locum evulsorum alios reponere, lacunæ explendæ irruptionisque hostium impediendæ causa. Cf. ad VI, 11, n. 5, et XXXVII, 32, n. 3. — *Quod recte manu caperetur*, facile, commode, firmiter, cum eventu. Bauer.

5. *Portæ instar patebat*, ad magnitudinem, *so gross, so weit.* Bauer. — *Bifurcos plerosque*, δύο κεραίας (furcas, *palmas*, cornua) ἔχοντες. — *Suspensis ab tergo armis*, scutis, manibus solas gestant hastas.

6. *Et ita densos obfigunt* (opponunt fixos, *vorschlagen.* Bauer. Sic MS Bamb. non *adfigunt*) *implicantque ramos, ut neque, quæ cujusque stipitis sit palma* (extremum rami vel furcæ velut ansa, unde prehendantur, *das Ende.* Bauer.), *perviderí*, penitus discerni, cognosci *possit.* Ex Polyb. (τιθέασι γὰρ εὐθέως ἐμπλέκοντες εἰς ἀλλήλους οὕτως, ὥστε μήτε τὰς κεραίας εὐχερῶς ἐπιγνῶναι, ποίας εἰσὶν ἐκφύσεως τῶν ἐν τῇ γῇ κατωρυγμένων, μήτε τὰς ἐκφύσεις, ποίων κεραιῶν) suspicari possis, inter verba *palma* et *sit* excidisse hæc: *neque qui quarumque palmarum stipes*, vel, quod Crev. putabat, *neque quis cujus-*

Digitized by Google

sit, pervideri possit : et adeo acuti aliusque per alium immissi radii[7] locum ad inserendam manum non relinquunt, ut neque prehendi, quod trahatur, neque trahi, quum inter se innexi rami vinculum invicem præbeant, possit; et, si evulsus forte est unus, nec loci multum aperit, et alium[8] reponere perfacile est.

VI. Quintius postero die, vallum secum erente milite, ut paratus omni loco castris ponendis esset, progressus modicum iter, sex ferme millia[1] a Pheris quum consedisset, speculatum, in qua parte Thessaliæ hostis esset, quidve pararet, misit. Circa Larissam erat rex, qui certior jam factus, Romanum ab Thebis Pheras movisse, defungi quam primum et ipse certamine cupiens, ducere ad hostem pergit, et quatuor millia fere a Pheris posuit castra. Inde postero die quum expediti utrimque ad occupandos super urbem tumulos processissent, pari ferme intervallo ab jugo, quod capiendum erat, quum inter se conspecti essent, constiterunt; nuntios in castra remissos, qui, quid sibi, quum præter spem hostis occurrisset, faciendum esset, consulerent, quieti opperientes : et illo quidem die,

que palmæ stipes; et mutilus quoque hic locus visus est Gron. Sed Livius forte brevius eamdem expressit sententiam, nec imperfecta est ea, modo τὸ *neque* eo sensu ceperis, quo capiendum dixi ad XXXI, 22, n. 4. Tum etiam non est, quod cum Bauero mox vel *relinquant* legas pro *relinquunt*, ut pendeat ab *ut neque*, cui alioquin nil respondere putat, vel vulgatam lect. per ἀνακόλουθον defendas. Cæterum in verbis Polybii ἐκφύσεις sunt ipsæ stirpes vel stipites, non, quos antea sic dixerat, rami ex stirpe enati.

7. *Aliusque per alium immissi radii*, vallorum seu stipitum rami ex parte relicti et conserti; Ern. Forte *rami* leg. pro *radii*. Iidem certe κεραίαι dicuntur Polyb.

8. *Alium reponere* loco evulsi.

Cap. VI. 1. *Sex ferme millia* passuum *a Pheris*, etc. cf. Polyb. XVIII, 2 et 3.—*Qui certior.* Cod. Bamb. omittit τὸ *qui*, et ita legendum putat Goeller. Ed. — *Ab Thebis* Phthioticis. — *Quum expediti utrimque ad occupandos super urbem tumulos processissent;* vide supra ad I, 2, n. 3, et V, 16, n. 2.

Digitized by Google

nullo inito certamine, in castra revocati sunt. Postero die circa eosdem tumulos equestre prælium fuit; in quo non minimum[2] Ætolorum opera regii fugati, atque in castra compulsi sunt. Magnum utrisque impedimentum ad rem gerendam fuit ager consitus crebris arboribus, hortique, ut in suburbanis locis[3], et coarctata itinera maceriis et quibusdam locis interclusa. Itaque pariter ducibus consilium fuit excedendi ea regione, et, velut ex prædicto, ambo Scotussam petierunt; Philippus, spe frumentandi inde; Romanus, ut prægressus corrumperet hosti frumenta. Per diem totum, quia colles perpetuo jugo intererant[4], nullo conspecta inter se loco agmina ierunt. Romani ad Eretriam Phthiotici agri, Philippus super amnem Onchestum posuit castra. Ne postero quidem die, quum Philippus ad Melambium[5], quod vocant Scotussæi agri, Quintius circa Thetidium Pharsaliæ terræ posuisset castra, aut hi, aut illi, ubi hostis esset, satis compertum habuerunt. Tertio die primo nimbus effusus, dein[6] caligo noctis simillima Romanos metu insidiarum tenuit.

VII. Philippus maturandi itineris causa, post imbrem nubibus in terram demissis[1] nihil deterritus, signa ferri jussit. Sed tam densa caligo obcæcaverat

2. *Non minimum*, magna ex parte, maxime; nisi cum Gron. leg. *non minima Ætolorum opera*, i. e. egregia: ἐκθύμως ap. Polyb. Conf. ad IV, 20, n. 10, et XXI, 40, n. 1.

3. *Ut in suburbanis locis;* vide ad VIII, 30, n. 7.

4. *Colles...intererant;* v. IV, 6, n. 1.

5. *Ad Melambium*, etc. ita et Polyb. ubi Schweigh. conj. Μελάμπιον, i. e. Μελάμποδος ἱερὸν, quale memorat Pausan. I, 44. Μελάμβιος, σκοτεινὸς τὸν βίον ἢ μελανός Hesych. *Melandium* ed. Rom.— De *Thetidio* vid. Strab. IX, 431; Eurip. Androm. pr. et ibi Schol.

6. *Tertio die primo nimbus effusus, dein* (insequenti die sub ipsum mane apud Polyb.) *caligo noctis simillima* (*nubibus in terram demissis* c. 7 pr.) *Romanos tenuit;* vide ad II, 63, n. 3.

Cap. VII. 1. *Nubibus in terram demissis;* conf. verba Polybii mox laudanda not. 4, et Periz. in Curtio vind.

Digitized by Google

diem, ut neque signiferi viam, nec signa milites cernerent; agmen ad incertos clamores vagum velut errore nocturno turbaretur. Supergressi tumulos, qui Cynoscephalæ vocantur, relicta ibi statione firma peditum equitumque, posuerunt castra. Romanus eisdem ad Thetidium castris quum se tenuisset, exploratum tamen, ubi hostis esset, decem turmas equitum et mille pedites[2] misit, monitos, ut ab insidiis, quas dies obscurus apertis quoque locis tecturus esset, præcaverent. Ubi ventum ad insessos tumulos est, pavore mutuo injecto velut torpentes quieverunt: dein, nuntiis retro in castra ad duces missis, ubi primus terror ab necopinato visu consedit, non diutius certamine abstinuere. Principio a paucis procurrentibus lacessita pugna est, deinde subsidiis tuentium pulsos[3] aucta: in qua quum haudquaquam pares Romani alios super alios nuntios ad ducem mitterent, premi sese; quingenti equites et duo millia peditum, maxime Ætolorum, cum duobus tribunis militum propere missa, rem inclinatam restituerunt; versaque fortuna, Macedones laborantes[4] opem regis per nuntios implorabant. Sed, ut qui nihil minus illo die propter effusam caliginem, quam prælium, exspectasset, magna parte

p. 84. — *Supergressi tumulos* prope Scotusam, Pelasgiotidis oppid., *qui* (forte *quæ;* Drak.) *Cynoscephalæ vocantur,* ob aliquam similitudinem capitis canini. Conf. Polyb. XVIII, 5, et Plut. Flamin. p. 373 A. χωρίον τι ἐν τῇ Σκοτούσσῃ, Κυνὸς κεφαλαὶ καλούμενον, Strab. IX, p. 441.

2. *Decem turmas e. et mille pedites,* f. *velites;* Gron. coll. Polyb. XVIII, 4 pr. Sed v. sup. ad XXX, 11, n. 6. — *Apertis locis;* vid. XXI, 32, n. 7.

3. *Subsidiis tuentium pulsos:* in MS *tuentum plissis;* unde *utrimque missis* conj. Horrion coll. Plut. loco laud.

4. *Macedones laborantes;* vide ad III, 31, n. 1.—*Sed, ut qui,* etc. Importunum illud *sed* interpretum neminem advertisse miratur Jacobs. qui scribit: *Rex, ut qui,* etc. Ed. — *Effusam caliginem,* late diffusam seu sparsam: *obfusam,* sc. rebus oculisque videntium) ex emend. Gron. recepit Drak. Recte forsan, ut apud Polyb. XVIII, 3: διὰ τὸν ἐφεστῶτα ζόφον... πάντα τὸν ἀέρα ἐκ τῶν νεφῶν πεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν. Conf. Gron. Obss. IV, 21; ad Sen. Ep. 82, et Nat. Quæst.

Digitized by Google

hominum omnis generis pabulatum missa, aliquamdiu inops consilii trepidavit; deinde, postquam nuntii instabant, et jam juga montium detexerat[5] nebula, et in conspectu erant Macedones, in tumulum maxime editum inter alios compulsi, loco se magis, quam armis, tutantes; committendam rerum summam in discrimen[6] utcumque ratus, ne partis indefensæ jactura fieret, Athenagoram ducem mercede militantium cum omnibus, præter Thracas, auxiliis et equitatu Macedonum ac Thessalorum mittit. Eorum adventu depulsi ab jugo Romani non ante restiterunt, quam in planiorem vallem perventum est. Ne effusa detruderentur fuga, plurimum in Ætolis equitibus præsidii fuit : is longe tum optimus eques[7] in Græcia erat; pedites inter finitimos vincebantur.

VIII. Lætior res, quam pro successu pugnæ, nuntiata[1], quum alii super alios recurrentes ex prælio

V, 3; Heins. ad Val. Flaccum, IV, 482.

5. *Jam juga montium detexerat nebula:* « at *nebulæ* non *detegunt*, sed *tegunt* omnia circa, ut XXVI, 17: nec solet ita in hac re loqui Livius, verum addere *nebulam dispulsam, disjectam, discussam, dilapsam fuisse*, ut XXVI, 17; XXIX, 27; XLI, 2. De hac nebula Polybius, XVII, 18 (XVIII, 5), dicit τῆς ὁμίχλης ἤδη διαφαινούσης, quod ex Liv. XLI, 2, verti potest *perlucente jam inter* vel *per nebulam luce*. Idem sane dicere voluit Livius, sed ita satis obscure loquutus est ». Duker. Non minus fere obscure Polyb. dixit διαφαινούσης, sc. active et elliptice, *nebula transmittente* nempe τὴν ἡμέραν vel τὸ φῶς τῆς ἡμέρας, nisi leg. τῆς ἡμέρας ἤδη διαφαινούσης, ut XVIII, 2, not. 5. Forte Livius scripsit *jam jugis montium* (ut mox *tumulum maxime editum*) *decesserat nebula*, aut *jam lux matutina disjecerat nebulam*. — Vulgatam bene tuetur Doering. nebula enim immissa tumulos *tegebat*, discussa vero illos *detexit*. Ed.

6. *Committendam rerum summam in discrimen;* vide ad III, 5, n. 6; VI, 17, n. 1, et XXVIII, 42, n. 11. —*Equitatu Macedonum ac Thessalorum:* illi præfuit Leo, huic Heraclides Gyrtonius. Cf. Polyb. XVIII, 5.

7. *Is longe tum optimus eques*, h. e. ii, Ætoli, optimi equites, *in Græcia erant*, ἐν τοῖς κατὰ μέρος καὶ κατ' ἰδίαν κινδύνοις, *pedites inter finitimos vincebantur*, ἐν τοῖς πεζικοῖς ἐλλιπεῖς εἰσὶ καὶ τῷ καθοπλισμῷ καὶ τῇ συντάξει πρὸς τοὺς ὁλοσχερεῖς ἀγῶνας, Polyb. *Pedite* emend. Gron. et Drak. Cf. c. 4, n. 4; sed et XXVI, 4, n. 1; nisi et ibi cum Gron. leg. *pedite*.

Cap. VIII. 1. *Lætior res, quam pro*

Digitized by Google

clamarent, fugere pavidos Romanos, invitum et cunctabundum, et dicentem temere fieri, non locum sibi placere, non tempus, perpulit, ut educeret omnes copias in aciem: idem et Romanus, magis necessitate, quam occasione pugnæ inductus, fecit. Dextrum cornu, elephantis ante signa instructis, in subsidiis reliquit: lævo cum omni levi armatura in hostem vadit; simul admonens, *cum iisdem Macedonibus pugnaturos, quos ad Epiri fauces*[2], *montibus fluminibusque septos, victa naturali difficultate locorum, expulissent, acieque expugnassent; cum iis, quos P. Sulpicii prius ductu obsidentes Eordææ aditum vicissent: fama stetisse, non viribus, Macedoniæ regnum; eam quoque famam tandem evanuisse.* Jam perventum ad suos in ima valle stantes erat, qui adventu exercitus imperatorisque pugnam renovant, impetuque facto rursus avertunt hostem. Philippus cum cætratis[3] et cornu dextro peditum, robore macedonici exercitus, quam phalangem vocabant, propero cursu ad hostem vadit. Nicanori, ex purpuratis uni, ut cum reliquis copiis confestim sequatur, imperat. Primo, ut in jugum evasit, et, jacentibus ibi paucis armis corporibusque hostium, prælium eo loco fuisse, pulsosque inde Romanos, et pugnari prope castra hostium vidit, ingenti gaudio est elatus: mox, refugientibus suis, et terrore verso, paulisper, incertus an in ca-

successu pugnæ, nuntiata; vide ad VII, 33, n. 2. Ad caput hoc et seqq. conf. Polybius, XVIII, 6-9, et Guischardti *Mémoires milit.* I, 13.

2. *Ad Epiri fauces*, etc. vide ad XXXII, 5, n. 6. — *Quos P. Sulpicii prius ductu o. Eordææ a. v.;* vid. XXXI, 39, 40. *Eordææ aditum* ex emend. Gron. pro vulg. *in eodem aditu.* Firmat id et res ipsa atque historia, et Polyb. XVIII, 6. — *Fama stetisse, non viribus, M. regnum;* vide ad II, 29, n. 7.

3. *Philippus cum cætratis* (vide ad XXI, 21, n. 6), *robore macedonici exercitus, quam phalangem vocabant;* vide supra ad librum XXIV, cap. 42, n. 6.

Digitized by Google

stra reciperet copias, trepidavit; deinde, ut appropinquabat hostis, et, præterquam quod cædebantur aversi[4], nec, nisi defenderentur, servari poterant, ne ipsi quidem in tuto jam receptus erat; coactus, nondum assequuta parte suorum, periculum summæ rerum facere, equites levemque armaturam, qui in prælio fuerant, dextro in cornu locat. Cætratos et Macedonum phalangem, hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem gerere jubet: simul, ne facile perrumperetur acies, dimidium de fronte demptum[5] introrsus porrectis ordinibus duplicat, ut longa potius, quam lata, acies esset. Simul et densari ordines jussit, ut vir viro, arma armis jungerentur.

4. *Cædebantur aversi*, sc. datis tergis; vide ad III, 63, n. 1.—*Nondum assequuta parte suorum*, passive, ut ap. Cic. Verr. II, 73 extr. — *Periculum summæ rerum facere;* vide ad I, 38, n. 2, et III, 5, n. 6.

5. *Cætratos et Macedonum phalangem, hastis positis ... gladiis rem gerere jubet : simul ... dimidium de fronte demptum*, etc. cf. Polyb. XVIII, 7 extr. ubi Reiskius eadem fere, quæ Crev. ad h. l. Livii, notavit: « Livius in hoc loco vertendo non semel lapsus est. Primum καταβαλοῦσι τὰς σαρίσσας ἐπάγειν (h. e. ut demissis sarissis hostem invadant) vertit: *hastis positis* (abjectis) ... *gladiis rem gerere jubet.* Alia omnia. Phalanx macedonica rem numquam *gladiis gerebat*, sed semper hastis, et quum nondum ad certamen admitteretur, sed prælium exspectans in armis adstaret, gerebat hastas in humeris; quum pugnare juberetur, illas, ab humeris ablatas, coram se tenebat, seu coram se in directum hosti objiciebat, ante se projiciebat, protendebat: quod καταβάλλειν et μεταβάλλειν τὰς σαρίσσας dixit Polyb. II, 69, n. 7; V, 85, n. 9; XI, 15, n. 6; XI, 16, n. 1; XVIII, 7, n. 9. Ubi etiam, aut quo ponerent hastas? quis ab iis acciperet? et, si posuerunt nunc, qui potuerunt in fine pugnæ (c. 10) illas repente *erigere?* Deinde, *simul*, ait, *ne facile perrumperetur acies, dimidium de fronte demptum introrsum porrectis ordinibus duplicat*, etc. (quæ Crev. et Drak. per hypallagen dicta putabant pro *dimidio de fronte dempto introrsus porrectos ordines duplicat*). Verum nihil demptum est de fronte, sed additi sunt ordines duplo tot, quot ante erant; et, ut firmior esset acies neve nimis magnum locum impleret, nimis laxa et distracta esset, imperatum est, ut coirent uniuscujusque ordinis milites inter se arctius, facto coeundi initio et motu a sinistra ad dextram: quæ congressio in angustum appellatur, διπλασιάζειν τὸ βάθος καὶ πυκνοῦν ἐπὶ τὸ δεξιόν. Tan-

Digitized by Google

IX. Quintius, his, qui in prælio fuerant, inter signa et ordines acceptis, tuba dat signum. Raro alias tantus clamor dicitur in principio pugnæ exortus : nam forte utraque acies simul conclamavere; nec solum qui pugnabant, sed subsidia etiam, quique tum maxime in prælium veniebant[1]. Dextro cornu rex, loci plurimum auxilio, ex jugis altioribus pugnans, vincebat; sinistro, tum quum maxime appropinquante phalangis parte, quæ novissimi agminis fuerat, sine ullo ordine trepidabatur. Media acies, quæ propior dextrum cornu erat, stabat spectaculo velut nihil ad se pertinentis pugnæ intenta : phalanx, quæ[2] venerat, agmen magis, quam acies, aptiorque itineri, quam pugnæ, vixdum in jugum evaserat. In hos incompositos Quintius, quanquam pedem referentes in dextro cornu suos cernebat[3], elephantis prius in hostem

dem illa τοῖς δ' εὐζώνοις κεραῖν (h. e. in cornibus stare, cornua firmare), Livius plane omisit, quia verbum hoc, vix usquam alibi lectum (vid. Schweigh.), haud satis intellexit. » Idem vitium XXXV, 35, n. 5, a Livio commissum recte suspicabatur Crev. eumque verbum καταβάλλειν, a Polyb. adhibitum, perperam reddidisse *ponere* hastas, quum debuisset *demittere* et ante se projicere, vel *præ se objicere*, ut XXXVI, 18, n. 6.

Cap. IX. 1. *Quique tum maxime in prælium veniebant*, qui in eo adhuc erant, ut ad locum pugnæ venirent. — *Sinistro* (non vero Quintii, quod Schweigh. ad Polyb. putat, sed) regis cornu, *tum quum maxime* (vide ad XXIX, 17, n. 5) *appropinquante phalangis parte, quæ novissimi agminis fuerat* pars (cf. ad III, 62, n. 5), *sine ullo ordine trepidabatur*, ab incertis consilii fluctuabatur et confuse festinabatur (cf. ad I, 14, n. 6, et III, 49, n. 4): *media acies*, etc. cf. Polyb. XVIII, 8, qui docet, mediam Philippi aciem pugnantibus suis a tergo stetisse, longe remotam ab hoste; sinistram in vertices collium nunc demum evasisse, et nec ducem habuisse, qui signum daret, nec cogere se in unum corpus potuisse propriamque phalangis figuram constituere, quia tum difficultatibus locorum impedita, tum, sequens vestigia pugnantium, in modum agminis procedentis, non instructæ aciei, disposita fuerit.

2. *Phalanx, quæ venerat*, forte *quæ modo venerat*, nisi cum Gron. leg. *quæ læva erat*, h. e. altera phalangis pars, quæ sinistrum cornu constituere debebat; Crev. — *Agmen magis, quam acies*, etc. vide ad X, 45, n. 6.

3. *Quanquam pedem referentes in dextro cornu suos cernebat* : immo

Digitized by Google

actis, impetum facit; ratus, partem profligatam cætera tracturam[4]: non dubia res fuit; extemplo terga vertere Macedones, terrore primo bestiarum aversi. Et cæteri quidem hos pulsos sequebantur: unus e tribunis militum, extemplo capto consilio, cum viginti signorum militibus[5], relicta ea parte suorum, quæ haud dubie vincebat, brevi circuitu dextrum cornu hostium aversum invadit. Nullam aciem ab tergo adortus[6] non turbasset; cæterum ad communem omnium in tali re trepidationem accessit, quod phalanx Macedonum, gravis atque immobilis, nec circumagere se poterat, nec hoc, qui a fronte, paulo ante pedem referentes, tunc ultro territis instabant, patiebantur.

leg. cum Gron. *in sinistro* vel *lævo cornu*, aut cum Periz. Anim. hist. c. 8, p. 338, *in altero cornu*. Nam *rex vincebat dextro cornu* suo, cui oppositum erat sinistrum cornu Romanorum; qui itaque in eo pedem referebant. Vulgatam lect. defendit Duker. qui hæc adnotavit: « Quod Livius dicit, Quintium *dextro cornu* præfuisse, caute accipiendum est. Tenebat ille *sinistrum cornu* Romanorum, Polybio et Livio ipsis auctoribus. Sed quum hoc a dextro cornu Macedonum, in quo Philippus erat, multis occisis pelli videret, omnem spem salutis in dextro superesse ratus, ad id, relicto sinistro, advolavit. Ita Plut. in Quintio et Polyb. » Contra scribam errasse tanto confidentius statui posse monet Drak., quod hæc pars operis Liviani unius tantum codicis ope nobis servata sit. Cf. ad VII, 15, n. 2.

4. *Partem profligatam cætera tracturam;* vide ad IX, 18, n. 14. — *Aversi* (vide ad III, 63, n. 1) *terrore primo bestiarum*, forte *belluarum*, quia de prælio agitur; Duker. Confer. intpp. Flori, I, 18, n. 8, et II, 6, n. 49.

5. *Unus e tribunis militum, extemplo capto consilio, cum XX signorum militibus*, cum XX manipulis (vide ad XXV, 23, n. 9), *relicta*, etc. conf. Polyb. XVIII, 9. Pro *extemplo* forte leg. *ex tempore:* παρ' αὐτὸν τὸν τῆς χρείας καιρὸν συμφρονήσας, ὃ δέον εἴη ποιεῖν, Polyb. Idem et Dukero in mentem venisse video. Conf. Cort. ad Sall. Jug. 70.

6. *Nullam aciem ab tergo adortus*, etc. « Significat eo deventum, ut neo ipsa salus ultra servare Macedonas valeret. Etenim nullam aciem tam firmam esse, quam sic ex improviso ab tergo impugnatam constare nec turbari contigisset. Præter autem illud periculum, quod alia quævis acies, non ad hunc casum ante instructa præparataque, subitura foret, hoc opportuniorem phalangem Macedonum fuisse, quod natura sua immobilis esset, nec posset circumagi, quin dissolveretur. Denique absque hoc etiam foret, et quamvis salvis ordinibus pha-

Digitized by Google

Ad hoc loco etiam premebantur[7], quia jugum, ex quo pugnaverant; dum per proclive pulsos insequuntur, tradiderant hosti ad terga sua circumducto. Paulisper in medio cæsi; deinde omissis plerique armis capessunt fugam.

X. Philippus cum paucis peditum equitumque primo tumulum altiorem inter cæteros cepit, ut specularetur, quæ in læva parte suorum fortuna esset; deinde, postquam fugam effusam animadvertit, et omnia circa juga signis atque armis fulgere, tum et ipse acie excessit[1]. Quintius, quum institisset cedentibus, repente quia erigentes hastas Macedonas conspexerat, quidnam pararent incertus, paulisper novitate rei constituit signa; deinde, ut accepit, hunc morem esse Macedonum tradentium sese[2], parcere victis in animum habebat. Cæterum ab ignaris militibus omissam ab hoste pugnam, et quid imperator vellet, impetus in eosdem factus, et, primis cæsis, cæteri in fugam dissipati sunt. Rex effuso cursu Tempe[3] petit : ibi ad Gonnos diem unum substitit ad excipiendos, si qui prælio superessent. Romani victores in castra hostium spe prædæ irruunt; verum ea magna jam ex

lanx se vertere potuisset (quod non poterat), tamen ne id quidem licuisse propter novos animos recentemque impetum illorum ex Romanis, qui in sinistro cornu *paulo ante pedem retulerant*;» Gron. De *phalange* ejusque et commodis et incommodis vid. Polyb. XVIII, 12-16.

7. *Ad hoc loco etiam premebantur;* vide ad II, 23, n. 3, et III, 13, n. 1. — *Per proclive pulsos;* conf. V, 43.

Cap. X. 1. *Tum et ipse acie excessit:* inepte *tum* post *deinde*. Scribe *fulgere Rom.* (h. e. *Romanis*), *et ipse*, etc. Gron. Sed vide ad XXIII, 34, n. 4. — Mallet Goell. *hostium*, pro *tum;* nihil tamen temere mutandum putat: sequutus enim videri potest Livius usum græcum apud quos τότε passim reperitur post ἐπεὶ, ἐπειδὴ, et similia. Vid. Walchii Emendatt. Livian. p. 196 sq. et Doer. ad hunc locum. Ed.

2. *Macedonum tradentium sese*, aut transeuntium ad hostes.—*In animum habebat;* vide ad librum II, cap. 14, n. 2.

3. *Rex effuso cursu Tempe*, etc. conf. Polyb. XVIII, 10.

Digitized by Google

parte direpta ab Ætolis inveniunt. Cæsa eo die[4] octo hostium millia, quinque capta: ex victoribus septingenti ferme ceciderunt. Si Valerio quis credat, omnium rerum immodice numerum augenti, quadraginta millia hostium eo die sunt cæsa; capta, ubi modestius mendacium est, quinque millia septingenti, signa militaria ducenta unum et quadraginta. Claudius quoque duo et triginta millia hostium cæsa scribit, capta quatuor millia et trecentos. Nos non minimo potissimum numero credidimus[5], sed Polybium sequuti sumus, non incertum auctorem quum omnium romanarum rerum, tum præcipue in Græcia gestarum.

XI. Philippus, collectis ex fuga, qui, variis casibus pugnæ dissipati, vestigia ejus sequuti fuerant, missisque Larissam ad commentarios regios[1] comburendos, ne in hostium venirent potestatem, in Macedoniam concessit. Quintius, captivis prædaque venum datis, partim militi concessis, Larissam est profectus, haud dum satis gnarus, quam regionem petisset rex, quidve pararet. Caduceator eo regius venit[2], specie ut induciæ essent, donec tollerentur ad sepulturam, qui in acie cecidissent; revera ad petendam veniam legatis mittendis: utrumque ab Romano impetratum. Adjecta et illa vox, *bono animo esse regem ut juberet:* quæ maxime Ætolos offendit, jam tumentes[3] querentes-

4. *Cæsa eo die octo*, etc. cf. Oros. IV, 20.

5. *Nos non minimo potissimum numero credidimus*, forte leg. *minimum numerum* hac sententia: ego minimum numerum retuli, non quod eum potissimum verum esse credam, sed Polybium sequutus; Duk. — *Non incertum auctorem Polybium*, etc. vide supra ad lib. IV, cap. 20, n. 10, et lib. XXX, cap. 45, n. 3.

Cap. XI. 1. *Ad commentarios regios*, etc. conf. Polyb. XVIII, 16.

2. *Caduceator eo regius venit*, tres legati, Demosthenes, Cycliades et Limnæus, apud Polyb. XVIII, 17.

3. *Jam tumentes* MS, non *timentes*; vide ad XXXI, 8, n. 11.

Digitized by Google

que, *mutatum victoria imperatorem. Ante pugnam omnia magna parvaque communicare cum sociis solitum; nunc omnium expertes consiliorum esse: suo ipsum arbitrio cuncta agere: cum Philippo jam gratiæ privatæ locum quærere; ut dura atque aspera belli Ætoli exhauserint, pacis gratiam et fructum Romanus in se vertat.* Et haud dubie decesserat iis aliquantum honoris: sed, cur negligerentur, ignorabant. Donis regiis imminere credebant [4] invicti ab ea cupiditate animi virum: sed et succensebat non immerito Ætolis, ob insatiabilem aviditatem [5] prædæ et arrogantiam eorum, victoriæ gloriam in se rapientium, quæ vanitate sua omnium aures offendebat; et Philippo sublato, fractis opibus macedonici regni, Ætolos habendos Græciæ dominos cernebat. Ob eas causas multa sedulo, ut viliores levioresque apud omnes essent et viderentur, faciebat.

XII. Induciæ quindecim dierum datæ [1] hosti erant, et cum ipso rege constitutum colloquium: cujus prius quam tempus veniret, in consilium advocavit socios; retulit, quas leges pacis placeret dici. Amynander Athamanum rex paucis sententiam absolvit: *ita componendam pacem esse, ut Græcia, etiam absentibus*

4. *Donis regiis imminere* (vide ad III, 51, n. 3) *credebant*, etc. ab qua corruptela duces Rom. ante bella transmarina abhorruisse monet Polybius, XVIII, 17, 18.

5. *Ob insatiabilem aviditatem*, etc. vide ad XXVI, 25, n. 6, et conf. Plut. Flamin. c. 9, p. 373. — *Quæ* arrogantia *vanitate sua*, etc. nisi cum Gron. et Bauero malis *qua vanitate... offendebant.* — Vulgatam servant MSS: arrogantia Ætolorum per vanam falsamque virium et meritorum ostentationem omnium aures offendebat. Ed.

Cap. XII. 1. *Induciæ XV dierum* legatis Philippi petentibus *datæ... in consilium* (vide ad I, 54, n. 1) *advocavit socios*, etc. conf. Polyb. XVIII, 16, 19, 20, et Appian. Maced. VII, 1. *Advocatis sociis retulit* malebat Gron. Poterat sic Livius; sed voluit aliquando minutatim et carptim scribere; Bauer. *Advocavit socios, ad quos* vel *et ad eos retulit*, vel *advocavit, et ad socios retulit* conj. Drak. Sed *retulit* h. l. dictum pro *retulit ad consilium*; quod tum ex præcc. (in consilium advocavit), tum ex seqq. intelligitur; vid.

Digitized by Google

Romanis, satis potens tuendæ simul pacis libertatisque[2] *esset.* Ætolorum asperior oratio fuit, qui pauca præfati, *recte atque ordine imperatorem romanum facere, quod, quos belli socios habuisset, cum iis communicaret pacis consilia: falli autem eum tota re*[3], *si aut Romanis pacem, aut Græciæ libertatem satis firmam se credat relicturum, nisi Philippo aut occiso, aut regno pulso; quæ utraque proclivia esse, si fortuna uti vellet.* Ad hæc Quintius negare, *Ætolos aut moris Romanorum memores*[4], *aut sibi ipsis convenientem sententiam dixisse; et illos prioribus omnibus conciliis colloquiisque de conditionibus pacis semper, non ut ad internecionem bellaretur, disseruisse, et Romanos, præter vetustissimum morem victis parcendi, præcipuum clementiæ documentum dedisse, pace Hannibali et Carthaginiensibus data. Omittere se Carthaginienses: cum Philippo ipso quoties ventum in colloquium? nec umquam, ut cederet regno, actum esse. An, quia victus prælio foret, inexpiabile bellum factum? Cum armato hoste infestis animis concurri debere: adversus victos mitissimum quemque animum maximum habere*[5]. *Libertati Græciæ*

ad XXVI, 2, n. 3. Hinc et patet, conjecturam Gron. ab h. l. alienam esse.

2. *Satis potens tuendæ simul pacis libertatisque*, h. e. *simul libertatis*; ut passim; vid. Gron. et Drak. — *Qui, pauca præfati*, forte *profati*, sc. *sunt* vel dixerunt. *Paucis* malebat Bauer. ob seq. infinit. Cur ita *autem* redundet post *falli*, quod idem monet, non adsequor. Hoc *autem* referendum ad *quidem* in superioribus omissum supplendumque: *Recte* quidem *atque ordine* (vide ad XXIV, 31, n. 3), etc.

3. *Falli autem eum tota re*, τοῖς δ' ὅλοις πράγμασιν ἀγνοεῖν καὶ παραπίπτειν αὐτόν, Polyb. XVIII, 19, n. 6.

4. *Ætolos aut moris Romanorum memores*, sc. esse. *Memorem... sententiam* emend. Gron. Conf. ad III, 36, n. 8. Bene et de more Nostri: necessarium tamen non est; Bauer.

5. *Adversus victos mitissimum quemque* hominem *animum maximum habere*; nisi legere malis *haberi* et *mitissimum quemque animum* jungere, vel potius cum Duk. verba sic trajicere *maximum quemque mitissimum animum habere*, ut *mitissimus* animus

Digitized by Google

videri graves Macedonum reges: si regnum gensque tollatur, Thracas, Illyrios, Gallos[6] *deinde, gentes feras et indomitas, in Macedoniam se et in Græciam effusuras: ne, proxima quæque amoliendo, majoribus gravioribusque aditum ad se facerent.* Interfanti deinde Phæneæ prætori Ætolorum, testificantique, si elapsus eo tempore Philippus foret, mox gravius eum rebellaturum, « Desistite tumultuari, inquit, ubi con« sultandum est : non iis conditionibus illigabitur « pax[7], ut movere bellum possit ».

XIII. Hoc dimisso concilio, postero die rex ad fauces, quæ ferunt in Tempe[1] (is datus erat locus colloquio), venit : tertio die datur ei Romanorum ac sociorum frequens concilium. Ibi Philippus perquam

opponatur *infesto*, et *victus* hostis *armato*. Conf. intpp. Ovid. Trist. III, 5, v. 31 (*Quo quisque est major, magis est placabilis ira*), et verba Polyb. XVIII, 20, n. 7, a Livio expressa: Πολεμοῦντας γὰρ δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας βαρεῖς εἶναι καὶ θυμικοὺς, ἡττωμένους δὲ γενναίους καὶ μεγαλόφρονας, νικῶντάς γε μὴν μετρίους καὶ πραεῖς καὶ φιλανθρώπους. Vox *animum* non exstat in MS, probb. Horrione et Gron. Sed hic ex præc. membro eam repetendam, ille *haberi* reponendum putabat.

6. *Thracas, Illyrios, Gallos:* qui Galli h. l. retinendi vel ob XLV, 30: nec pro iis substituendi *Triballi;* et hi Galli sunt Scordisci: nam qui Delphos oppugnaverant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerunt; unde per eadem vestigia, quæ venerant, antiquam patriam repetivere: quod ex Liv. Epit. 63, et Justino, XXXII, 3, notum; Gron. Conf. et Polyb. XVIII, 20.

7. *Non iis conditionibus illigabitur pax;* forte leg. *pacis* cum Gron. (conf. XXXVI, 11 pr.) vel *illi dabitur pax* cum Rubenio. — Creverii nota est: « frustra hæc suspecta sunt Gronovio: quid enim vetat dici illigatam pacem, id est, iis conditionibus, tanquam vinculis adstrictam, ut solvi facile non possit? Immo elegantius illa velut vincula videntur tribui paci quam Philippo ». Conjecturam Rubenii impugnat Jacobs. quia verbum *illigari*, quod elegans est et apud Livium frequens, obliterari nolit. Hinc legendum proponit *rex* pro *pax*. Vulgatam servarem; et hunc loquendi modum: *pax bellum movere possit* (id est, belli alterius sit causa), defendere puto Cicer. locus de Nat. Deor. II, 19: *Sol ita movetur, ut, quum terras larga luce compleverit, easdem... opacet.* Ed.

Cap. XIII. 1. *Ad fauces, quæ ferunt in Tempe,* πρὸς τὴν εἴσβολὴν τῶν Τεμπῶν, etc. conf. Polyb. XVIII, 21, 22. — *Datus erat locus,* forte *dictus;* Gron. Sed vid. Duk. ad Flor. III, 3, n. 14.

Digitized by Google

prudenter, iis, sine quibus pax impetrari non poterat, sua potius voluntate omissis [2], quam ut altercando extorquerentur, *quæ priore colloquio aut imperata a Romanis, aut postulata ab sociis essent, omnia se concedere, de cæteris senatui permissurum*, dixit. Quanquam vel inimicissimis omnibus præclusisse vocem videbatur, Phæneas tamen Ætolus, cunctis tacentibus, «Quid? nobis, inquit, Philippe, reddisne «tandem Pharsalum et Larissam Cremasten et Echi«num et Thebas Phthias?» Quum Philippus nihil morari diceret, quo minus reciperent; disceptatio inter imperatorem romanum et Ætolos orta est de Thebis [3]: nam, eas populi romani jure belli factas [4] esse Quintius dicebat, quod, integris rebus, exercitu ab se admoto, vocati in amicitiam, quum potestas libera desciscendi ab rege esset, regiam societatem romanæ præposuissent. Phæneas, et pro societate belli, quæ ante bellum habuissent, restitui Ætolis æquum censebat, et ita in fœdere primo cautum esse [5], ut belli præda, rerumque quæ ferri agique possent, Romanos, ager

2. *Sua potius voluntate omissis*, forte *remissis;* Duk. coll. IV, 43; VI, 17, 18; XXXV, 45. Sic et mox *omnia se concedere*, ut apud Polyb. πάντα συγχωρεῖν καὶ ποιήσειν. — *Imperata a Romanis*, ἐπιταττόμενα Polyb. Conf. XXXII, 35. — *De cæteris senatui permissurum;* vide ad IX, 43, n. 4. — *Inimicissimis*, forte *iniquissimis;* Gron.

3. *Disceptatio inter imperatorem rom. et Ætolos orta est de Thebis*, etc. hæc repugnant et verbis Quintii mox laudatis fœderisque interpretationi, et perspicuæ Polybii (XVIII, 21) narrationi, in qua vertenda labi potuisse Livium mireris. Ex utraque patet, Thebas Phthioticas, easque solas, utpote vi captas, Ætolis a Quintio concessas fuisse, non vero reliquas Thessaliæ civitates, quæ sua voluntate in ditionem romanam venerint. De quo errore Livii et causa ejus vid. Perizon. Anim. hist. c. 9, p. 385 sq.

4. *Eas populi rom. jure belli factas esse:* cui adversari videtur sup. cap. 5. Captæ ergo Thebæ vi, vel certe metu coactæ in ditionem rom. venisse videntur statim post victum jam regem: quod tamen, ut multa alia, Livius suo loco annotare neglexit, vel ex hoc demum intelligi voluit; Periz.

5. *Et ita in fœdere primo cautum esse*, etc. vid. XXVI, 24. — *Quæ rerum ferri agique possent;* vide ad III, 37, n. 4.

Digitized by Google

urbesque captæ Ætolos sequerentur[6]. « Vos, inquit, « ipsi, Quintius, societatis istius leges rupistis[7], quo « tempore, relictis nobis, cum Philippo pacem feci- « stis : quæ si maneret, captarum tamen urbium illa « lex foret. Thessaliæ civitates sua voluntate in ditio- « nem nostram venerunt. » Hæc, cum omnium sociorum assensu dicta, Ætolis non in præsentia modo gravia auditu, sed mox belli etiam causæ[8] magnarumque ex eo cladium iis fuerunt. Cum Philippo ita convenit, ut Demetrium filium et quosdam ex amicorum numero obsides et ducenta talenta daret : de cæteris Romam mitteret legatos : ad eam rem quatuor mensium induciæ essent. Si pax non impetrata ab senatu foret, obsides pecuniamque reddi Philippo receptum est[9]. Causa romano imperatori non alia major fuisse dicitur pacis maturandæ, quam quod Antiochum[10] bellum transitumque in Europam moliri constabat.

XIV. Eodem tempore, atque, ut quidam tradidere, eodem die ad Corinthum Achæi ducem regium Androsthenem justo prælio fuderunt. Eam urbem pro arce habiturus[1] Philippus adversus Græciæ civitates,

6. *Urbes captæ Ætolos sequerentur;* vide ad XXVIII, 21, n. 4.

7. *Vos ipsi societatis istius leges rupistis*, etc. quod Ætolis etiam objicitur XXIX, 12; XXXI, 29, 31. Sed in eo Romanorum potius culpam fuisse, patet ex XXIX, 12 pr.

8. *Sed mox belli etiam causæ*, bellorum a Romanis adversus Ætolos et Antiochum gestorum. Conf. Polyb. XXVIII, 22. *Causa* malebat Crev. — *Magnarumque ex eo cladium iis fuerunt :* « cur *iis*, quum jam sit *Ætolis?* Nempe quia clades et *aliis*, alteri parti, accidere possent. Etiam, commate post *iis* posito, ut ad *cladium* referatur, minus redundet; » Bauer. Sed vide ad I, 19, n. 1. — *Cum Philippo ita convenit;* vide ad I, 3, n. 4. —*Ducenta talenta*, ita non modo Appian. Maced. VII, 2, sed et Polyb. XVIII, 22, § 5, ex MS Bavar.

9. *Reddi Philippo receptum est;* vide ad VII, 14, n. 1.

10. *Quam quod Antiochum*, etc. quodque bello renovato a Philippo verebatur, ne consul alter adveniret et omne rerum gestarum decus ad se traheret. Conf. Polyb.

Cap. XIV. 1. *Eam urbem pro arce*

Digitized by Google

et principes inde evocatos per speciem colloquendi, quantum equitum dare Corinthii ad bellum possent, retinuerat pro obsidibus, et, præter quingentos Macedonas mixtosque ex omni genere auxiliorum octingentos, quod jam ante ibi fuerat[2], mille Macedonum eo miserat, et mille ac ducentos Illyrios Thracasque, et Cretenses, qui in utraque parte militabant, octingentos. His additi Bœoti Thessalique et Acarnanes mille, scutati omnes, et ex ipsorum Corinthiorum juventute, impleta ut essent sex millia armatorum, fiduciam Androstheni fecerunt acie decernendi. Nicostratus prætor Achæorum Sicyone erat cum duobus millibus peditum, centum equitibus, sed, imparem se et numero et genere militum cernens, mœnibus non excedebat. Regiæ copiæ peditum equitumque vagæ Pellenensem et Phliasium et Cleonæum agrum depopulabantur. Postremo, exprobrantes metum hosti, in fines Sicyoniorum transcendebant: navibus etiam circumvecti omnem oram Achaiæ vastabant. Quum id effusius hostes, et, ut fit ab nimia fiducia, negligentius etiam facerent, Nicostratus, spem nactus necopinantes eos aggrediendi, circa finitimas civitates nuntium occultum mittit[3], quo die et quot ex quaque civitate armati ad Apelaurum (Stymphaliæ terræ is locus est) convenirent. Omnibus ad diem edictam paratis, profectus

habiturus, etc. vide ad IV, 31, n. 8.

2. *Quod* (quantum eorum) *jam ante ibi fuerat:* aut deest vox *præsidium*, aut scribendum *qui jam a. i. fuerant;* Gron. quem tamen similia in Obss. III., 2, defendisse monet Duk. Forte leg. *quot jam a. i. fuerant.* Idem suspicabatur Drak. — *Scutati omnes;* vide ad VIII, 8, n. 3.—Walchius, Emend. pag. 172, vult numerum Corinthiorum excidisse; quippe calculos si subducis, summa omnium non efficit sex millia, sed millia quinque tantum et trecentos: itaque scriberet *et DCC* (id-est, septingenti) *ex ipsorum*, etc. Ed.

3. *Nunt. occultum mittit, quo*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. — *Ad Apelaurum, Stymphaliæ terræ locum*, τὸ Ἀπελάυρον, mons imminens Stymphalo, Arcadiæ oppido, memoratur Polyb. IV, 69, n. 1. — *Ad diem edictam*, forte *dictam;* Drak.

Digitized by Google

inde extemplo, per Phliasiorum fines nocte Cleonas, insciis omnibus, quid pararet, pervenit. Erant autem cum eo[4] quinque millia peditum (ex quibus.... armaturæ levis), et trecenti equites. Cum iis copiis, dimissis, qui specularentur, quam in partem hostes effunderent sese, opperiebatur.

XV. Androsthenes, omnium ignarus, Corintho profectus, ad Nemeam[1] (amnis est Corinthium et Sicyonium interfluens agrum) castra locat. Ibi parte dimidia exercitus dimissa, dimidiam trifariam divisit, et omnes equites discurrere ad depopulandos simul Pellenensium Sicyoniumque agros et Phliasium jubet: hæc tria diversa agmina discessere. Quod ubi Cleonas ad Nicostratum perlatum est, extemplo validam mercenariorum manum præmissam ad occupandum saltum, per quem transitus in Corinthium est agrum, ante signa equitibus, ut prægrederentur, locatis, ipse confestim agmine duplici sequitur. Parte una mercenarii milites ibant cum levi armatura, altera clypeati,

4. *Erant autem cum eo... opperiebatur* edidi exemplo Crev. ex probabili emend. Jac. Periz. pro vulg. *quinque millia peditum, ex quibus armat. levis, et CCC equites, cum iis copiis dimissi... opperiebantur.* Numerus levis armaturæ militum excidisse videtur, et *cum copiis opperiebatur* dictum, ut apud Sall. Jug. 91; ubi vid. Cort. Audacior et minus apta est Gron. mutatio vulg. lect. *ex quibus armaturam levem et trecentos equites cum iis* (sc. militibus levium armorum) *dimissos... opperiebatur.*

Cap. XV. 1. *Ad Nemeam;* vid. Strab. VIII, 382. — *Ibi parte dimidia exercitus dimissa*, immo *secum retenta* vel quid simile: nam si Androsthenes partem exercitus dimidiam dimisisset, et dimidiam trifariam divisam agros hostium populari jussisset, nullum castris præsidium relictum fuisset: sed contrarium ex seqq. patet; Crev. *Considere jussa* conj. Drak. Ne sic quidem omnia satis plana sunt, nisi etiam scripseris *trifariam divisit et cum omnibus equitibus discurrere... jussit.* Sufficiunt autem hæc: *Ibi partem dimidiam exercitus, divisam trifariam, et omnes equites*, etc. Reliqua et languent, et sensum turbant. — Vulgatam defendere conatur Walchius, Emend. pag. 116, nullamque in ea offendendi causam videt, quia proprie capitur *dimittere* de militibus abire jussis in suum quibusque locum, imperatore etiam tum in ordinandis instruendisque cæteris occupato. Sic apud

Digitized by Google

dein aliarum gentium[2] exercitus robur erat. Jam haud procul castris aberant pedites equitesque, et Thracum quidam in vagos palatosque per agros hostes impetum fecerunt, quum repens terror castris infertur. Trepidare dux, ut qui hostes nusquam, nisi raro in collibus ante Sicyonem[3], non audentes agmen demittere in campos, vidisset; ad Cleonas quidem accessuros nunquam credidisset. Revocari tuba jubet vagos a castris dilapsos: ipse, raptim capere arma jussis militibus, infrequenti agmine porta egressus, super flumen instruit aciem. Cæteræ copiæ, vix colligi atque instrui quum potuissent, primum hostium impetum non tulerunt. Macedones et maxime omnium frequentes ad signa fuerant, et diu ancipitem victoriæ spem fecerunt: postremo fuga cæterorum nudati, quum duæ jam acies hostium ex diverso, levis armatura ab latere, clypeati cætratique[4] a fronte urgerent; et ipsi, re inclinata, primo retulere pedem; deinde impulsi terga vertunt, et plerique, abjectis armis, nulla spe castrorum tenendorum relicta, Corinthum petierunt. Nicostratus, mercenariis militibus ad hos persequen-

Suet. Aug. 49: *reliquas* (cohortes) *in hiberna et æstiva circa finitima oppida dimittere adsuerat.* Conjunctionem quoque in seqq. desiderat, sensuique ita medetur: *dimidiam (trifariam divisit) et omnes*, etc. Ed.

2. *Altera clypeati, dein aliarum gentium*, etc. sed nulla adhuc gens memorata est. *Altera clypeati Achæorum, dein aliarum gentium*, sc. clypeati *exercitus robur erat* conj. Crev. et *altera clypeati, qd in* (h. e. *quod in*) *illarum gentium* (Græcorum et finitimarum civitatium, ad quas occultum nuntium de mittendis armatis Nicostratum misisse, cap. præc. traditur) *exercitibus* (ita unicus MS.) *robur erat* Drak. — *Jam haud procul castris aberant*, sc. Androsthenis, ad *Nemeam fl.* locatis. — *Impetum fecerunt*, forte *fecerant*, ob præc. *aberant*; Crev. et Drak.

3. *Ut qui hostes nusquam, nisi in collibus ante Sicyonem*, idque *raro*, *vidisset*; nisi leg. *raros*, et ob id non audentes descendere in campos; Duk. Sic cap. 1, *rara arma paucique milites*, etc. — *Super flumen* Nemeam *instruit aciem*; vide supra ad librum I, cap. 2, n. 3.

4. *Clypeati cætratique... impulsi*; vide ad I, 14, n. 8; XXI, 21, n. 6.

Digitized by Google

dos, equitibus Thracumque auxiliis in populatores agri Sicyonii missis, magnam ubique cædem[5] edidit; majorem prope, quam in prælio ipso. Ex iis quoque, qui Pellenen Phliuntaque depopulati erant, incompositi partim omniumque ignari, ad castra revertentes, in hostium stationes, tamquam in suas, illati sunt; partim, ex discursu id, quod erat, suspicati, ita se in fugam passim sparserant, ut ab ipsis agrestibus errantes circumvenirentur. Ceciderunt eo die mille et quingenti, capti trecenti: Achaia omnis magno liberata metu.

XVI. Prius quam dimicaretur ad Cynoscephalas, L. Quintius, Corcyram excitis Acarnanum principibus, quæ sola Græciæ gentium in societate Macedonum manserat, initium quoddam ibi motus fecit. Duæ autem maxime causæ eos tenuerant in amicitia regis; una fides insita genti, altera metus odiumque Ætolorum. Concilium Leucadem indictum est: eo neque cuncti convenere Acarnanum populi, nec ipsis, qui convenerant, idem placuit; sed et principes et magistratus[1] pervicerunt, ut privatum decretum romanæ societatis fieret. Id omnes, qui abfuerant, ægre passi; et in hoc fremitu gentis a Philippo missi duo principes Acarnanum, Androcles et Echedemus, non ad tollendum modo decretum romanæ societatis value-

5. *Magnam ubique cædem edidit;* lege *utrobique:* duo enim genera significat, in quibus sit cædes facta, alterum eorum, qui ex prælio fugerant, alterum populatorum agri Sicyonii; Gron.—*Passim sparserant*, forte *sparserunt;* Crev.

Cap. XVI. 1. *Sed et principes et magistratus:* forte leg. *duo principes et magistratus*, Archelaus ac Bianor cum Zeuxida; Gron.—*Privatum decretum*, non totius Acarnanum gentis nomine latum, sed quorumdam tantum populorum; Crev. — *Ipsis*, iis ipsis; vide ad V, 43, n. 5. — Goeller in cod. membranaceo legi testatur *nec in iis;* a qua scriptura cur recedatur non videt. Ed. — *Duo missi.* Jacobs mallet *submissi*, id est, subornati; vid. Drak. ad VI, 6, 4. Ed.

Digitized by Google

runt, sed etiam ut Archelaus et Bianor, principes gentis ambo, quod auctores ejus sententiæ fuissent, proditionis in concilio damnarentur, et Zeuxidæ prætori, quod de ea re retulisset, imperium abrogaretur. Rem temerariam, sed eventu prosperam, damnati fecerunt: suadentibus namque amicis, cederent tempori et Corcyram ad Romanos abirent, statuerunt offerre se multitudini [2], et aut eo ipso lenire iras, aut pati, quod casus tulisset. Quum se frequenti concilio intulissent, primo murmur ac fremitus admirantium, silentium mox a verecundia simul pristinæ dignitatis ac misericordia præsentis fortunæ ortum est. Potestate quoque dicendi facta, principio suppliciter, procedente autem oratione, ubi ad crimina diluenda ventum est, cum tanta fiducia, quantam innocentia dabat, disseruerunt; postremo, ultro aliquid etiam queri et castigare iniquitatem simul in se crudelitatemque ausi, ita affecerunt animos, ut omnia, quæ in eos decreta erant, frequentes tollerent, neque eo minus redeundum in societatem Philippi abnuendamque Romanorum amicitiam censerent.

XVII. Leucade hæc sunt decreta: id caput Acarnaniæ [1] erat, eoque in concilium omnes populi conveniebant: itaque, quum hæc repentina mutatio Corcyram ad legatum Flamininum [2] perlata esset, extemplo cum classe profectus, Leucade ad Heræum, quod vocant, naves applicuit. Inde cum omni genere tormentorum machinarumque, quibus expugnantur ur-

2. *Offerre se multitudini*, quæ Leucade erat.

Cap. XVII. 1. *Leucade... id caput Acarn.* vide supra ad librum XXVI, cap. 26, n. 1.

2. *Ad legatum Flamininum*, L. Quintium.—*Leucade* (al. *Leucadem*) *ad Heræum*, templum Junonis, non longe ab urbe remotum, ut Apollinis Leucadii et Veneris Æneadis; Drak. Conf. Palmer. Græc. Antt. III, 10, pag. 412.

Digitized by Google

bes, ad muros accessit, ad primum terrorem ratus inclinari animos posse. Postquam pacati nihil ostendebatur, tum vineas turresque erigere, et arietem admovere muris cœpit. Acarnania universa, inter Ætoliam atque Epirum posita, solem occidentem et mare Siculum spectat. Leucadia nunc insula[3], et vadoso freto, quod perfossum manu est, ab Acarnania divisa, tum peninsula erat, occidentis regione arctis faucibus cohærens Acarnaniæ. Quingentos ferme passus longæ fauces erant; latæ haud amplius centum et viginti: in his angustiis Leucas posita est, colli applicata verso in orientem et Acarnaniam. Ima urbis plana sunt, jacentia ad mare[4], quo Leucadia ab Acarnania dividitur: inde terra marique expugnabilis est; nam et vada sunt stagno similiora, quam mari; et campus terrenus omnis operique facilis[5]. Itaque multis simul locis aut subruti, aut ariete decussi ruebant muri: sed quam urbs ipsa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hostium animi. Die ac nocte intenti reficere quassata muri, obstruere, quæ patefacta ruinis erant, prælia impigre inire, et armis magis muros, quam se ipsos mœnibus, tutari: diutiusque spe Romanorum obsidionem eam extraxissent, ni exsules quidam italici generis, Leucade habitantes, ab arce milites accepissent[6]. Eos tamen, ex superiore loco magno cum tumultu decurrentes, acie in foro in-

3. *Leucadia nunc insula*, etc. vide ad XXVI, 26, n. 1. — *Occidentis regione*, parte, quæ occidentem spectat; Drak.

4. *Jacentia ad mare*, forte *patentia ad mare*, planities usque ad mare porrecta; Gron. Sed *jacentia* sunt vel humiliora, respectu reliquæ partis colli applicatæ (vide ad Sil. VI, 645, et XII, 132), vel simpl. sita, posita; Drak.

5. *Operique facilis;* vide ad III, 70, n. 1; V, 22, n. 7; XXI, 57, n. 7. — *Ariete decussi muri;* vide ad XXI, 12, n. 1.

6. *Ab arce milites accepissent*, ab ea parte, qua arx erat; Ern. Conf. ad VIII, 17, n. 5. *In arcem* conj. Drak.,

Digitized by Google

structa, justo prælio aliquamdiu Leucadii sustinuerunt. Interim et scalis capta multis locis mœnia, et per stragem lapidum ac ruinas transcensum in urbem; jamque ipse legatus magno agmine circumvenerat pugnantes. Pars in medio cæsi[7]; pars, armis abjectis, dediderunt sese victori. Et post dies paucos, audito prælio, quod ad Cynoscephalas pugnatum erat, omnes populi Acarnaniæ in deditionem legati[8] venerunt.

XVIII. Iisdem diebus, omnia simul inclinante fortuna, Rhodii quoque ad vindicandam a Philippo continentem regionem (Peræam vocant[1]), possessam a majoribus suis, Pausistratum prætorem cum octingentis Achæis peditibus, mille et nongentis fere[2] armatis, ex vario genere auxiliorum collectis, miserunt. Galli

vel *Leucade habitantes in arce*, *m. a.*

7. *Pars in medio cæsi*, etc. vide ad I, 41, n. 1.

8. *In deditionem legati* L. Quintii *venerunt*, se ei dediderunt; Drak. — Creverius jubet omnino legi *in ditionem*; cui Drak. opponit, in ditionem populi rom. non ducum rom. populos victos tradi solere. At Benedictus in Obss. ad Liv. Hist. rom. parte III, p. 9, ait pariter dicendi consuetudine suspectam reddi lectionem vulgatam *in deditionem legati*, quia semper in aliis locis genitivus casus personæ, cui se populi tradiderunt, omittitur; itaque locum sic mutandum censet, *in deditionem legatis venerunt*. Ed.

Cap. XVIII. 1. *Continentem regionem*, *Peræam vocant*, immo *continentis*; Duk. Conf. XXXII, 33, n. 7, et ad XLIV, 28, n. 7. Tota Asia est regio continens.—*Pausistratum prætorem*, qui Παυσίμαχος dicitur Appiano Syr. 23, 24, et vitiose Ναυσίστρατος Polyæn. Strat. V, 27; et Πασίστρατος Polyb. XXI, 5, § 1 et 5; ubi vid. Schweigh. Conf. Drak. inf. ad XXXVII, 9, n. 5.

2. *Cum octingentis Achæis peditibus, mille et nongentis ferme armatis*: sed *pedites* quoque sunt *armati*; unde leg. *nongentis levi armatu* (ut sup. c. 3, *haud dispari armatu*), vel *leviter armatis*, ut infra *equites levisque armaturæ quod erat*; Gron. Sed *armatos* simpl. milites, vel milites, justis armis, non disparibus, ut plerumque auxiliares, instructos, dici putabat Duk.; et Drak. vix verisimile videri monet, 1900 leviter armatos fuisse in tam parvo Rhodiorum exercitu. Nam mox legimus, accessisse *mille Achæos pedites cum centum equitibus*, et Rhodiis *non plus tria millia peditum fuisse et centum ferme equites*. Quibus verbis si junxeris illa: *Rhodii Achæos dextro cornu, sinistro mercenarios milites, lectam peditum manum, habuere, medios mixta ex pluribus gentibus auxilia*, etc. probabile fit, Livium h. l. scripsisse: *Pausistratum prætorem cum octingentis mercenariis pe-*

Digitized by Google

et Nisuetæ et Pisuetæ [3], Tamiani et Arei ex Africa, et Laodiceni ex Asia erant: cum his copiis Pausistratus Tendeba in Stratonicensi agro [4] locum peropportunum, ignaris regiis, qui tenuerant, occupavit. In tempore, et ad ipsum excitum auxilium, mille Achæi pedites cum centum equitibus, supervenerunt. Theoxenus iis præerat. Dinocrates, regius præfectus, recuperandi castelli causa, primo castra ad ipsa Tendeba movit, inde ad alterum castellum, item Stratonicensis agri; Astragon vocant; omnibusque ex præsidiis, quæ multifariam disjecta erant, devocatis [5], et ab ipsa Stratonicea Thessalorum auxiliaribus, Alabanda, ubi hostes erant, ducere pergit: nec Rhodii pugnam detrectaverunt; atque, castris in propinquum collatis, extemplo in aciem descensum est. Dinocrates quingentos Macedonas dextro cornu, lævo Agrianas locat: in medium accipit contractos ex castellorum (Cares

ditibus, mille et ducentis fere armatis, etc. Ita, ni fallor, omnia egregie cohærent. In vulgata autem lect. et numerus militum haud congruit, et illud offendit, quod vix major quam tertia totius exercitus (3000 peditum) pars in sinistro cornu, in media acie et in cornibus fuit, si 1800 Achæi dextrum tenuerunt cornu. In priorem nodum incidit etiam Gron. sed minus probabilis videtur ratio, qua eum solvit; vid. n. 7.

3. *Galli et Nisuetæ et Pisuetæ;* scribendum *et Pisuetæ et Nisuetæ:* nam *Pisuetæ* non erant *ex Africa*, at *Nisuetæ*, *Tamiani et Arei*, qui ita junguntur; Gron. Πισύη vel Πιτύη, πόλις Καρίας apud Steph. Νίσουα opp. Africæ, inter Carain et Clypeam situm, apud Ptol. IV, 3.

4. *Tendeba in Stratonicensi agro*, Τένδηβα, πόλις Καρίας, apud Steph. *Tendeba* ex emend. Freinsh. pro vulg. *tendebat*. — *Ignaris regiis, qui tenuerant:* « An credibile est, nullum in eo castello, tam opportuno, præsidium fuisse? et qua de causa deseruerunt, quod occupatum ab hostibus *recuperare* sunt aggressi? Nec habeo, quod supponam, nisi forte nimis audacter: *ignaris regiis, qui Stratoniceæ erant.* Felicius forte Rubenius: *qui Theræ erant.* Thera enim urbs Perææ regionis, Rhodo insulæ opposita apud Ptol. et Steph. » Gron.

5. *Omnibusque ex præsidiis... devocatis:* « cogitabam *evocatis* ex Lucano, I, 394; sed nihil tentandum credo, quia mox dicit *contractos ex castellorum præsidiis*, et castella fere sunt in locis editioribus; Duk. Conf. IV, 39; VI, 20, et intpp. Phædri, I, 20, 2. Paulo post *equites cornibus circumdat. Cretensium auxiliares*

Digitized by Google

maxime erant) præsidiis : equites cornibus circumdat et Cretensium auxiliares Thracumque. Rhodii Achæos dextro cornu, sinistro mercenarios milites, lectam peditum manum, habuere; medios mixta ex pluribus gentibus auxilia : equites levisque armaturæ quod erat, cornibus circumjectum. Eo die steterunt tantum acies utræque super ripam, qui tenui aqua interfluebat, torrentis; paucisque telis emissis, in castra receperunt sese. Postero die eodem ordine instructi majus aliquanto prælium, quam pro numero[6], edidere, pugnantium; nec enim plus terna millia peditum fuere, et centeni ferme equites : cæterum non numero tantum, nec armorum genere, sed animis quoque paribus et æqua spe pugnarunt. Achæi primi, torrente superato, in Agrianas impetum fecere; deinde tota prope cursu transgressa amnem acies est : diu anceps pugna stetit : numero Achæi mille et ipsi quadringentos[7] loco expulere : inclinat dein dextrum omne cornu[8]. Macedones, usque dum ordine et velut stipata phalanx con-

Thracumque Rhodia cohors dextro cornu, etc. male legebatur ante Cler. et Drak. Veram Livio lectionem restituit Jac. Periz. Conf. n. 2.

6. *Majus aliquanto prælium, quam pro numero;* vide ad II, 39, n. 1, et VII, 33, n. 2.—*Nec enim plus terna millia peditum fuere, et centeni equites;* conf. n. 2.

7. *Numero Achæi mille et ipsi quadringentos*, « immo *mille et ipsos octingentos :* significat enim, pari numero Achæos et Agrianas fuisse; Achæi autem 1800 erant : nam 800 habebat olim Pausistratus, et Theoxenus adduxerat alios mille. Nec mirandum supra ab Rhodiorum partibus 3700 colligi, dein dici, 3000 tantum pugnasse. Accipio enim partem auxiliorum custodiæ castrorum et Tendeborum relictam ». Gron. Mea qualicumque sententia legendum : *numero Achæi mille et ipsi Agrianas loco expulere*. Conf. n. 2; ex qua probabile fit, non nisi mille Achæos pedites, a Theoxeno adductos, et Agrianibus numero pares, in Rhodiorum exercitu fuisse.

8. *Inclinat dein dextrum cornu*. « Atqui in eo stabant Macedones, de quibus dicturus est. Qnomodo autem hi sunt *lævo latere nudati* altero cornu cæso? Nonne lævum illorum latus protegebat acies media? *Inclinato dein dextrum omnis cornu* ed. pr. Ald. Savet. et Frob. Scribe: *Inclinata dein omnis media acies. Dextrum cornu, Macedones, usque dum ordines*, etc. » Gron. Possis et : *Inclinat dein me-*

Digitized by Google

sistebat, moveri nequiverunt. Postquam, lævo latere nudato, circumjacere hastas in venientem ex transverso hostem conati sunt, turbati extemplo tumultum primo inter se fecerunt; terga deinde vertunt; postremo, abjectis armis, in præcipitem fugam effusi, Bargylias petentes fugerunt: eodem et Dinocrates perfugit. Rhodii, quantum diei superfuit, sequuti, receperunt se ad castra. Satis constat, si confestim victores Stratoniceam petissent, recipi eam urbem sine certamine potuisse. Prætermissa ejus rei occasio est, dum in castellis vicisque Perææ recipiendis tempus teritur. Interim animi eorum, qui Stratoniceam præsidio obtinebant, confirmati sunt: mox et Dinocrates cum iis, quæ prælio supererant, copiis intravit muros. Nequidquam inde obsessa oppugnataque urbs est. Recipi, nisi aliquanto post, per Antiochum non[9] potuit. Hæc in Thessalia, hæc in Achaia, hæc in Asia per eosdem dies ferme gesta.

XIX. Philippus quum audisset, Dardanos, transgressos fines ab contemptu concussi tum regni[1], superiora Macedoniæ evastare, quamvis toto prope orbe

dium omne. Cornu Macedonum, usque dum, etc. vel *Inclinant dein sensim omnes Cares: Macedones*, etc.

9. *Per Antiochum non potuit recipi;* vide ad V, 12, n. 6. Rem ita expedit Drak. «Victo Philippo, Romanos Rhodiis dono dedisse Stratoniceam aliasque urbes Cariæ, quas Philippus tenuisset, Valerius Antias narravit; vid. XXXIII, 30. Verum aut erravit, aut res exitum sortita non est. Antiochus enim has aliasque Asiæ civitates a Philippo possessas, averso eo in romanum bellum et fracto, per occasionem intercepit, XXXIII, 34, 39. In Antiochi potestate substitere urbes, donec is a Romanis victus omni Asia cis Taurum cessit: quo tempore Rhodiis data est Lycia et Caria, XXXVIII, 39».

Cap. XIX. 1. *Ab contemptu* (vid. I, 1, n. 5) *concussi tum regni*, labefactati, graves jacturas cladesque passi; vide ad XXII, 34, n. 1. Hæc est certissima Periz. emendatio, a Crev. jam et Drak. recepta. In antt. edd. legitur *ab contentu concessit cum regni*, vel simpl. *regni*, deletis quatuor vocibus, quas pro supervacuis induxerat Gelen. *Ab contemptu concessi tum* aut *velut regni* conj. Gron. ut sensus sit, Philippum, contrahendo

Digitized by Google

terrarum, undique se suosque profligante fortuna, urgebatur, tamen morte tristius ratus, Macedoniæ etiam possessione pelli, delectu raptim per urbes Macedonum habito, cum sex millibus peditum et quingentis equitibus circa Stobos Pæoniæ[2] improviso hostes oppressit. Magna multitudo hominum in prælio, major prædandi cupidine palata per agros cæsa est: quibus fuga expeditior fuit, ne tentato quidem casu pugnæ, in fines suos redierunt. Ea una expeditione non pro reliquo statu fortunæ facta, refectis suorum animis, Thessalonicam sese recepit. Non tam in tempore punicum bellum terminatum erat[3], ne simul et cum Philippo foret bellandum, quam opportune, jam Antiocho in Syria moliente bellum, Philippus est superatus: nam, præterquam quod facilius cum singulis, quam si in unum ambo simul contulissent vires, bellatum est; Hispania quoque sub idem tempus magno tumultu ad bellum consurrexit. Antiochus quum priore æstate omnibus, quæ in Cœle Syria sunt[4], civitatibus Ptolemæi in suam potestatem redactis, in hiberna Antiochiam concessisset; nihilo quietiores postea res habuit. Omnibus enim regni viribus con-

undique militem in bellum adversus Romanos, oppositam Dardanis regni partem præsidio nudasse, atque eam velut in prædam, se ipsum contemptui, latrocinio gaudentium populorum exposuisse. — *Se suosque profligante.* In MSS *eligente;* Goeller. e suo libro jubet legi *exigente.* Ed.

2. *Stobos Pæoniæ* opp., ut XXXIX, 53; XL, 21; XLV, 29; unde non *Pelagoniæ* cum Glar. substituendum ex Ptol. III, 13. Strab. in Exc. 19 libri VII, pag. 331, dicit, οἱ Παίονες Πελαγόνες ἐκαλοῦντο, et a Plinio, IV, 10, Pelagones numerantur in Pæoniæ gentibus. — Vid. Cellar. Geog. Ant. II, 13, 662. Ed.

3. *In tempore punicum b. t.;* vide ad II, 47, n. 4. — *In Syria moliente bellum.* Goeller. dat e cod. Bamb. *ex Syria movente*, quod verius existimat Jacobs, quanquam *moliri* quoque cum præpositione conjungatur. Ed.

4. *Quæ in Cœle Syria sunt* (vide ad XXXI, 47, n. 1), *civitatibus Ptolemæi*, etc. vid. Polyb. V, 45 sq. 58-87. — Bamb. codicem plenius sic edere testatur Goeller. *civitatibus ex ditione Ptolemæi in suam*, etc. Ed. — *Nihilo quietiores postea res habuit*, MS et

Digitized by Google

nisus, quum ingentes copias terrestres maritimasque comparasset, principio veris præmissis terra cum exercitu filiis duobus, Ardye ac Mithridate, jussisque Sardibus se opperiri; ipse cum classe centum tectarum navium[5], ad hoc levioribus navigiis cercurisque ac lembis ducentis, proficiscitur; simul per omnem oram Ciliciæque et Cariæ tentaturus urbes[6], quæ in ditione Ptolemæi essent, simul Philippum (necdum enim debellatum erat) exercitu navibusque adjuturus.

XX. Multa egregia Rhodii pro fide erga populum romanum proque universo nomine Græcorum terra marique ausi sunt: nihil magnificentius, quam quod ea tempestate, non territi tanta mole imminentis belli, legatos ad regem miserunt Nephelida[1] (promontorium Ciliciæ est, inclytum fœdere antiquo Atheniensium), si eo non contineret copias suas, se obviam ituros; non ab odio ullo, sed ne conjungi cum Philippo paterentur, et impedimento esse Romanis libe-

edd. vett. ante Frob. *n. q. res Pausistratus habuit*, quod vix recte emendatum videtur.—*Filiis duobus, Ardye ac Mithridate*, qui non alibi memorantur, nisi forte ex Polyb. VIII, 25, n. 3, leg. *filiis duobus sororis;* Drak. Idem *Ardye* scripsit pro *Ardue*, quia illud nomen notum ex Polyb. V, 53, 60, et Herodoto, I, 15.

5. *Tectarum navium;* vide ad XXII, 19, n. 4.—*Ad hoc;* vide ad II, 23, n. 3. —*Cercuris;* vide ad XXIII, 34, n. 3.

6. *Cariæ tentaturus urbes;* vide ad IX, 35, n. 1.

Cap. XX. 1. *Miserunt Nephelida* ex emend. Glar. *miserunt nec Helicinas* edd. primæ; *miserunt, ne Helicinas* (*promontorium*, etc.) *superaret. Si eo*, etc. Frob. — Pro *Nephelida* cod. Bamb. *ne Chelidonias* (*promontorium*, etc.) *superaret; si eo*, etc. Chelidoniæ insulæ objectæ sunt promontorio cognomini, mare Pamphylium et Lycium distinguentes, teste Luciano in navig. cap. 8. Vid. Strab. X, p. 982; Pompon. Mel. II, 7, 39; Avien. Descript. orb. v. 183 sq. 683 sq. Plinius, aliique; ipsum Livium infra cap. 41, citat Goeller. qui legit ex cod. Bamb. *Chelidoniarum promontorium*. Ed. — *Inclytum fœdere antiquo Athen.*, quod Cimon ab Artaxerxe Longimano expresserat; Dujat. Vid. Diodor. XII, p. 293, et Plut. Cimon. p. 486. Nescio tamen, unde patere possit, hoc fœdus ad Nephelida compositum esse; Drak. Certiora et nos scire cupimus. — *Si eo*, sc. promontorio, nisi leg. *si eo loco;* Duk. — *Non ab odio ullo;* vide ad I, 1, n. 5. — *Impedimento esse*

Digitized by Google

rantibus Græciam. Coracesium eo tempore Antiochus operibus oppugnabat. Zephyrio et Solis et Aphrodisiade et Coryco et, superato Anemurio[2] (promontorium id quoque Ciliciæ est), Selinunte recepto, omnibus his aliisque ejus oræ castellis, aut metu, aut voluntate, sine certamine, in deditionem acceptis, Coracesium præter spem clausis portis tenebat eum. Ibi legati Rhodiorum auditi; et quanquam ea legatio erat, quæ accendere regium animum posset, temperavit iræ, et, *legatos se Rhodum missurum*, respondit, *iisque mandaturum, ut renovarent vetusta*[3] *jura cum ea civitate sua majorumque suorum, et vetarent eos adventum pertimescere regis; nihil his aut sociis eorum noxæ futurum fraudive: nam, Romanorum amicitiam se non violaturum, argumento et suam recentem ad eos legationem esse, et senatus honorifica in se decreta responsaque.* Tum forte legati redierant ab Roma, comiter auditi dimissique, ut tempus postulabat, incerto adhuc adversus Philippum eventu belli. Quum hæc legati regis in concione Rhodiorum agerent, nuntius venit, debellatum ad Cynoscephalas esse. Hoc nuntio accepto, Rhodiis, dempto metu a Philippo omni, erat consilium obviam eundi classe Antiocho. Illam alteram curam non omiserunt, tuendæ libertatis civitatium sociarum Ptolemæi, quibus bellum ab Antiocho imminebat: nam alias auxiliis juve-

edd. ante Frob. *imp. esset;* non minus apte.

2. *Et Coryco, et superato Anemurio*, etc. forte leg. *et Coryco, supra Anemurium..... Selinunte, omnibus his... acceptis;* Gron. — *In deditionem acceptis;* vide ad VIII, 20, n. 7. — Goeller. censet revocandam esse scripturam edd. Mog. et Frobenii, *omnibus vicis aliisque* (præter Zephyrium, Solos, et modo dicta) *castellis.* Ed.

3. *Ut renovarent vetusta jura*, seu *fœdera;* Ant. Periz. — *Rhodiis, dempto metu ... omni, erat.* Goeller. legi jubet, *Rhodii, dempto metu... omiserunt cons.* ut ea respondeant sqq. *alteram curam non omiserunt.* Ed.

Digitized by Google

runt, alias providendo ac præmonendo conatus hostis; causaque libertatis fuerunt Cauniis, Myndiis, Halicarnassensibus[4] Samiisque. Non operæ est persequi, ut quæque acta in his locis sint, quum ad ea, quæ proprie romani belli sunt, vix sufficiam.

XXI. Eodem tempore et Attalus rex[1], æger Thebis Pergamum advectus, moritur altero et septuagesimo anno; quum quatuor et quadraginta annos regnasset. Huic viro, præter divitias, nihil ad spem regni fortuna dederat: his simul prudenter, simul magnifice utendo, effecit, primum ut sibi, deinde ut aliis non indignus videretur regno. Victis deinde prælio uno Gallis[2], quæ tum gens recenti adventu terribilior Asiæ erat, regium adscivit nomen, cujus magnitudini semper animum æquavit. Summa justitia suos rexit; unicam fidem sociis præstitit[3]: uxorem ac liberos quatuor[4] superstites

4. *Caunus, Myndus, Halicarnassus* Cariæ oppida. *Cauniis* omnes fere edd. ante Gron. qui substituit *Cauneis*, quod non minus recte dicitur; vid. Ernesti clav. Cic. in Ind. geogr. et de Cauno opp. Wessel. ad Hierocl. Synecdemum, p. 685. — *Non operæ est persequi;* vide ad I, 24, n. 10. — *Ad ea* narranda *vix sufficiam*, vires meæ sufficiant.

Cap. XXI. 1. *Eo tempore et Attalus rex... altero et septuag. anno moritur*, etc. vide ad cap. 2, n. 2; ad Epit. XLIX, pr. et conf. inpr. Polyb. XVIII, 24.

2. *Victis deinde prælio uno Gallis... regium adscivit nomen* primus Pergamenorum, ut vulgo putant. Conf. ad XLII, 5, n. 4; Vales. ad Polyb. l. l. Strabo, XIII, 624; Pausan. I, 8, X, 15; Spanhem. de usu et pr. num. Diss. VIII, p. 511.—*Cujus magnitudini semper animum æquavit:* forte *magnitudinem animo*, i. e. magnitudini nominis regii parem habuit ac præstitit animum; Duker. coll. XXXV, 43; Virg. G. IV, 132; Flor. II, 14; Burm. ad Virg. Æn. I, 716. Sane poeticum illud videtur: sed multa sunt apud Livium poetis, quam aliis scriptoribus usitatiora; Ern. Poetis tamen metri tantum causa interdum illud placuisse putabat idem Duk.

3. *Unicam fidem sociis præstitit;* vide ad I, 21, n. 3.

4. *Uxorem* (quæ aliis Ἀπολλωνία, aliis Ἀπολλωνὶς dicitur) *ac liberos quatuor* (male *duos* edd. antt.) *superstites habuit*, Eumenem, Attalum, Athenæum et Philetærum; vid. inf. XLII, 55; Strab. XIII, 624; Appian. Syr. V; Plut. de frat. amore, p. 480; Suidas in Ἄτταλος, et Polyb. XXIII, 18, § 1; ubi conf. Schweigh. — In cod. Bamb. legitur *comis uxor et liberos;* inde Goeller. conjicit, *comis in*

Digitized by Google

habuit; mitis ac munificus amicis fuit; regnum adeo stabile ac firmum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio ejus descenderit. Quum is status rerum in Asia Græciaque et Macedonia esset, vixdum terminato cum Philippo bello, pace certe nondum perpetrata, ingens in Hispania ulteriore coortum est bellum. M. Helvius eam provinciam obtinebat: is literis senatum certiorem fecit, *Colcham et Luscinum*[5] *regulos in armis esse. Cum Colcha decem et septem oppida, cum Luscino validas urbes, Cardonem et Bardonem; et maritimam oram omnem, quæ nondum animos nudaverat*[6], *ad finitimorum motus consurrecturam.* His literis a M. Sergio prætore, cujus jurisdictio inter cives erat, recitatis, decreverunt Patres, ut, comitiis prætorum perfectis, cui prætori provincia Hispania obvenisset, is primo quoque tempore de bello Hispaniæ ad senatum referret.

XXII. Sub idem tempus consules Romam venerunt: quibus in æde Bellonæ senatum habentibus[1], postulantibusque triumphum ob res prospere bello[2] gestas, C. Atinius Labeo et C. Ursanius tribuni plebis, ut separatim de triumpho agerent consules, postularunt:

uxorem et liberos (*quatuor sup. habuit*): Jacobs vero malit, *comis uxori et liberis* (*quat.* etc.), quas probat conjecturas Kreyssig. et ipse conjiciens *quot* pro *quatuor*. Ed. — *Mitis ac munificus amicis*, aulicis, purpuratis, *fuit*, ex emend. Gron. pro vulg. *amicus:* διὰ τῆς εἰς τοὺς φίλους εὐεργεσίας καὶ χάριτος Polyb. XVIII, 24, § 6. — *Regnum adeo stabile*, etc. conf. Polyb. XVIII, 24, § 10. — *M. Helvius;* conf. XXXII, 27, 28; XXXIV, 10, 45.

5. *Colcham et Luscinum*, etc. vide ad XXVIII, 13, n. 3. — *Decem et septem oppida;* forte *XXVII opp.;* Sigon. coll. XXVIII, 13.

6. *Quæ nondum animos nudaverat*, aperuerat, manifestaverat, ut *nudare* XXIV, 27, n. 1; XXXIV, 24, n. 2; XXXV, 32; XL, 24 pr. *denudare* XLII, 13, n. 3; XLIV, 38 pr. *detegere cladem et nudare* XXIII, 5, n. 1. Male Aldus et alii *mutaverat;* sed requirit latinitas *nudaverit;* Gron. At vide ad III, 2, n. 1.

Cap. XXII. 1. *In æde Bellonæ s. h.;* vide ad XXVI, 21, n. 1.

2. *Ob res prospere* in *bello gestas;* vide ad XXXII, 29-31. — *C. Ur-*

Digitized by Google

communem se relationem de ea re fieri non passuros, ne par honos in dispari merito esset. Quumque Minucius utrique provinciam Italiam obtigisse diceret, communi animo consilioque se et collegam res gessisse; Cornelius adjiceret, Boios adversus se transgredientes Padum, ut Insubribus Cenomanisque auxilio essent, depopulante vicos eorum atque agros collega, ad sua tuenda aversos esse: tribuni *res tantas bello gessisse Cornelium* fateri, *ut non magis de triumpho ejus, quam de honore diis immortalibus habendo dubitari possit: non tamen nec illum, nec quemquam alium civem tantum gratia atque opibus valuisse, ut, quum sibimet triumphum impetrasset, collegæ eumdem honorem impudenter petenti daret. Q. Minucium in Liguribus levia prælia, vix digna dictu, fecisse; in Gallia magnum numerum militum amisisse.* Nominabant etiam tribunos militum T. Juventium et C. Labeonem ejus fratrem[3], qui adversa pugna cum multis aliis viris fortibus, civibus ac sociis, cecidissent. *Oppidorum paucorum ac vicorum falsas, et in tempus simulatas, sine ullo pignere*[4] *deditiones factas esse.* Hæ inter consules tribunosque altercationes biduum tenuerunt, victique perseverantia tribunorum consules separatim retulerunt.

sanius. Goeller. Ursaniam gentem nuspiam sibi obviam fuisse profitetur; quare legendum putat e cod. suo *C. Afranius*, idem fortasse, qui prætor factus est anno U. C. 567. Ed. — Mox in tribunorum verbis sic Bamb. MS variat *sibi meritum triumphum impetrasset... eumdem honorem immeritum impudenter petenti*, etc. Ed.

3. *T. Juventium et C. Labeonem* (al. *Cn. Labeonem*) *ejus fratrem:* qui aut uterini fuerunt, aut alter in adoptionem datus; Gron. *Et Cneum Labeonis fratrem* Froben. et alii, existimantes, ut videtur, indicari alterius tribuni fratrem: quod magis placebat Drak. — Cod. Bamb. exhibet *T. Juventium, Cn. Ligurium legionis quartæ, adversa pugna cum multis aliis viris fortibus,... cecidisse.* Ed.

4. *Sine ullo pignere*, neque obsidibus acceptis, neque armis ademptis; Duk. coll. XXVIII, 34. — *Tenuerunt;* vide ad II, 3, n. 6.

Digitized by Google

XXIII. C. Cornelio omnium consensu decretus triumphus; et Placentini Cremonensesque[1] addiderunt favorem consuli, gratias agentes commemorantesque, obsidione se esse ab eo liberatos, plerosque etiam, quum apud hostes essent, servitute[2] exceptos. Q. Minucius, tentata tantum relatione, quum adversum omnem senatum videret, in monte Albano se triumphaturum, et jure imperii consularis, et multorum clarorum virorum exemplo, dixit. C. Cornelius de Insubribus Cenomanisque in magistratu triumphavit: multa signa militaria tulit, multa gallica spolia captivis carpentis transvexit: multi nobiles Galli ante currum traducti; inter quos, quidam, Hamilcarem ducem Pœnorum[3] fuisse, auctores sunt. Cæterum magis in se convertit oculos Cremonensium Placentinorumque colonorum turba pileatorum, currum sequentium. Tulit in triumpho ducenta triginta septem millia quingentos æris, argenti bigati[4] septuaginta novem millia. Septuagenos æris militibus divisit: duplex equiti, triplex centurioni. Q. Minucius consul de Liguribus Boiisque Gallis in monte Albano triumphavit. Is triumphus, ut loco et fama rerum gestarum, et quod sumptum non erogatum ex ærario omnes sciebant, inhonoratior fuit, ita signis carpentisque, et spoliis ferme æquabat. Pecuniæ etiam prope par sum-

Cap. XXIII. 1. *Placentini Cremonensesque*, etc. conf. XXXI, 21; XXXII, 30.

2. *Servitute exceptos*, liberatos, *exemptos* vel *e servitute ereptos* malebant Gron. Duk. et Drak. — *Exemptos* dat Goeller. e MSS. Ed. — *In monte Albano se triumphaturum*, etc. vide ad XXVI, 21, n. 4.

3. *Hamilcarem duc. Pœnorum*, etc. vide ad XXXI, 21, n. 7. — *Turba pileatorum*, etc. vid. XXIV, 16, n. 9.

4. *Argenti bigati*, etc. vide ad XXII, 52, n. 3. — *Duplex equiti, triplex centurioni*, immo *duplex centurioni, triplex equiti;* Duk. vide ad X, 46, n. 8. Id eo quoque verisimillimum redditur, quod mox *milites, centuriones, equites* gradatim memorantur; Drak.

Digitized by Google

ma fuit: æris translata ducenta et quinquaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia et ducenti. Militibus centurionibusque et equitibus item in singulos datum, quod dederat collega.

XXIV. Secundum triumphum consularia comitia habita: creati consules L. Furius Purpureo et M. Claudius Marcellus: prætores postero die facti Q. Fabius Buteo, Ti. Sempronius Longus, Q. Minucius Thermus. M'. Acilius Glabrio, L. Apustius Fullo, C. Lælius. Exitu ejus anni literæ a T. Quintio venerunt [1], se signis collatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse; hostium exercitum fusum fugatumque: hæ literæ prius in senatu a Sergio prætore, deinde ex auctoritate Patrum in concione sunt recitatæ. Ob res prospere gestas in dies quinque supplicationes decretæ. Brevi post legati et a T. Quintio, et ab rege [2] venerunt. Macedones deducti extra Urbem in villam publicam [3]; ibique iis locus et lautia præbita: et ad ædem Bellonæ senatus est habitus [4]. Haud multa verba facta, quum Macedones, quæcumque senatus censuisset, id regem facturum esse, dicerent. Decem legati more majorum, quorum ex consilio T. Quintius imperator leges pacis Philippo daret, decreti; adjectumque, ut in eo nu-

Cap. XXIV. 1. *Literæ venerunt*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10.

2. *Brevi post legati et a T. Quintio, et ab rege* Philippo *venerunt*, etc. conf. Polyb. XVIII, 25, qui rogationi de pace cum rege facienda nequidquam contradixisse dicit Marcellum, Macedoniæ provinciæ cupidum.

3. *In villam publicam;* vide ad IV, 22, n. 5); *ibique iis locus et lautia præbita;* vide supra ad lib. XXVIII, cap. 39, n. 8.

4. *Ad ædem Bellonæ senatus est habitus;* vide ad X, 23, n. 12, et XXVI, 21, n. 1. — Cod. Bamb. *est datus. Ibi haud.* Ed. — *Quæcumque senatus censuisset, id:* immo *ea*, vel *quodcumque;* Gron. Voculam *id* ejiciendam putabat Jac. Periz. Sed vulgatum defendit Drak. coll. III, 10, *præda vendita, quibus domini non exstitere;* II, 53, *Veiens, quibus;* II, 60, *actæ prædæ: omnis militi data;* XXX, 17, *quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ, ea Patres comprobare;* XLII, 8, *bonaque ut iis, quidquid ejus recuperari possit, reddantur.*

Digitized by Google

mero legatorum P. Sulpicius et P. Villius essent, qui consules provinciam Macedoniam obtinuissent. Cosanis eo die postulantibus, ut sibi colonorum numerus augeretur [5], mille adscribi jussi; dum ne quis in eorum numero esset, qui post P. Cornelium et Ti. Sempronium consules hostis fuisset.

XXV. Ludi Romani [1] eo anno in circo scenaque ab ædilibus curulibus, P. Cornelio Scipione et Cn. Manlio Vulsone, et magnificentius, quam alias, facti, et lætius propter res bello bene gestas spectati, totique ter instaurati; plebeii septies instaurati. Acilius Glabrio, C. Lælius eos ludos fecerunt. Ex argento mulctaticio tria signa ænea, Cereri Liberoque et Liberæ, posuerunt. L. Furius et M. Claudius Marcellus, consulatu inito, quum de provinciis ageretur, et Italiam utrique provinciam senatus decerneret, ut Macedoniam cum Italia sortirentur, petebant. Marcellus, provinciæ cupidior, pacem simulatam ac fallacem dicendo, et rebellaturum, si exercitus inde deportatus esset, regem, dubios sententiæ Patres fecerat: et forsitan obtinuissent consules, ni Q. Marcius Rex et C. Atinius Labeo, tribuni plebis, se intercessuros dixissent, ni prius ipsi ad plebem tulissent, vellent juberentne cum rege Philippo pacem esse. Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est: omnes quinque et triginta tribus [2], uti rogatæ, jusserunt: et quo magis pacem ratam esse in Macedonia vulgo lætarentur, tristis ex Hispania nuntius allatus effecit, vulgatæque literæ, *C. Sempronium*

5. *Colonorum numerus augeretur;* vide ad XXXIII, 2, n. 4. — *Dum ne*, dummodo non; vide ad III, 21, n. 6.

Cap. XXV. 1. *Ludi Romani... toti ter instaurati, plebeii septies;* vide ad I, 9, n. 4, et II, 36, n. 1.—*Ex argento... Liberæ*, etc. Bamb. MSS melius sic edidisse putat Goeller. *Et de arg. mult. tria signa ænea, Cererem, Liberumque et Liberam posuerunt.* Ed.

2. *Omnes XXXV tribus, uti rogatæ, jusserunt;* vide ad I, 43, n. 22, et XXX, 43, n. 2. — *C. Sempronium*

Digitized by Google

Tuditanum proconsulem in citeriore Hispania prælio victum; exercitum ejus fusum fugatumque, et illustres viros[3] *in acie cecidisse. Tuditanum, cum gravi vulnere latum ex prælio, haud ita multo post exspirasse.* Consulibus ambobus Italia provincia cum his legionibus, quas superiores consules habuissent, decreta, et ut quatuor legiones novas scriberent: duas, quæ, quo senatus censuisset, mitterentur. Et T. Quintius Flamininus cum duabus legionibus provinciam eodem exercitu obtinere jussus: imperium ei prorogatum[4] satis jam ante videri esse.

XXVI. Prætores deinde provincias sortiti L. Apustius Fullo urbanam jurisdictionem, M'. Acilius Glabrio inter cives et peregrinos, Q. Fabius Buteo Hispaniam ulteriorem, Q. Minucius Thermus citeriorem, C. Lælius Siciliam, Ti. Sempronius Longus Sardiniam. Q. Fabio Buteoni et Q. Minucio, quibus Hispaniæ provinciæ evenerant, consules legiones singulas ex quatuor ab se scriptis, quas videretur, uti darent[1], decretum est; socium ac nominis Latini quaterna millia peditum, trecenos equites: hique primo quoque tempore in provincias ire jussi. Bellum in Hispania quinto post anno exortum est, quam simul

Tuditanum proconsulem; immo *prætorem;* Duk. coll. XXXII, 27, 28; XXXIII, 42. Sed videtur circa hæc tempora id præcipuum provinciæ Hispaniæ datum esse, ut prætoribus in eam missis daretur imperium proconsulare; unde quamvis prætores vel proprætores sæpius tamen *proconsules* dicti sunt; Drak. Cf. ad XXVIII, 38, n. 4.

3. *Illustres viros;* vide ad XXX, 19, n. 7.—*Latum* pro *elatum* (conf. Heins. ad Ovid. Am. II, 14, 39), vel ita leg. Duk. — Forsan et leg. *relatum* e quibusdam MSS. Ed. — Mox forte leg. *quatuor legiones novas scriberent, duas, quæ ad Urbem manerent* (vid. cap. 36), *duas, quæ, quo senatus*, etc. et deinde *eodemque exercitu*, nisi potius delenda sunt verba *cum duabus legionibus;* Drak.

4. *Imperium ei prorogatum*, etc. conf. XXXII, 28. Sed cur ita anno proximo ei prorogatur? vid. cap. 43. Idem scire cupiebat Drak.

Cap. XXVI. 1. *Quas videretur, darent;* vide ad I, 29, n. 4.

Digitized by Google

cum punico bello[2] fuerat finitum. Prius quam hi prætores ad bellum prope novum, quia tum primum suo nomine, nullo punico[3] exercitu aut duce, ad arma ierant, proficiscerentur, aut ipsi consules ab Urbe moverent, procurare, ut adsolet, prodigia, quæ nuntiabantur, jussi. L. Julius Sequestris, in Sabinos proficiscens, fulmine ipse equusque exanimati fuerant: ædes Feroniæ in Capenate[4] de cælo tacta erat: ad Monetæ duarum hastarum spicula arserant: lupus, Esquilina porta ingressus, frequentissima parte Urbis, quum in forum decurrisset, Tusco vico atque Intemelio[5], per portam Capenam prope intactus evaserat. Hæc prodigia majoribus hostiis sunt procurata.

2. *Bellum in Hispania quinto anno exortum est, postquam simul cum punico bello secundo* (quod a. U. 551 confectum est; vid. XXX, 44) *fuerat finitum:* nam post punici quoque belli finem bellatum quidem fuerat in Hispania (conf. XXXI, 49, et XXXII, 7); sed non tantum fuerat bellum, ut jam novo eoque consulari exercitu ac duce opus esset; conf. cap. 43, et XXXIV, 8 sq.

3. *Ad arma ierant,* sc. Hispani. — *Nullo punico,* etc. Goell. hoc non latine dictum putat, si quidem participium nullum adjiciatur, et emendat *sine ullo pun.*, etc. Kreyssig. huic emendationi accedit. Ed. — *L. Julius Sequestris*, saltem *Sequester*. Sed neutrum fuit cognomen Juliæ gentis. « Cogitabam primo *L. Vibius Sequester:* sed ex cognomine scriptoris infimæ ætatis non potest probari, eum quidquam ad vetustiorem gentem Vibiam pertinuisse, aut in ea cognomen *Sequester* fuisse; fuit et *Vibius* quidem prænomen ital. (vid. XXIII, 6; XXVI, 13; XXVII, 15), at Vibiam gentem romanam non ante extrema fere reipublicæ liberæ tempora nominari video. Forte leg. *L. Julius eques in S. proficiscens* »; Duk. Cf. ad XXVIII, 9, n. 8.—Cod. Bamb: *P. Villius eques romanus;* quod pæne conjectura assequutus est Duker. Ed.

4. *Ædes Feroniæ in Capenate;* vide ad I, 30, n. 4, et VIII, 12, n. 11.— *Ad Monetæ hastarum spicula arserant;* vide ad I, 31, n. 1; I, 33, n. 6; X, 23, n. 12.

5. *Tusco vico atque Intemelio;* quædam edd. antt. *inde Melio.* Utrumque nomen ignotum. Sigon. emend. *Æquimelio*, et Jac. Gron. *inde Cœlio*, sc. monte. *Æquimelium* non vicum, sed aream fuisse in vico Jugario, neque per eam iter fuisse e Tusco vico ad portam Capenam, monet Nardin. Rom. vet. V, 10. Forte leg. *Intermontio*, quæ est pars Capitolini montis. Hic mons et *Tuscus vicus* in eadem (VIII) regione Urbis erant, et *porta Capena* in prima. — Goeller. putat legendum e MS suo *atque inde Cermalo.* Festus ait: « *Cermalus* locus in Urbe sic nominatus, etc. » Vid. Varro Ling. Lat. IV,

Digitized by Google

XXVII. Iisdem diebus Cn. Cornelius Lentulus, qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispaniam obtinuerat, ex senatusconsulto ovans Urbem est ingressus[1]. Tulit præ se auri mille et quingenta quindecim pondo, argenti viginti millia, signati denarios triginta quatuor millia et quingentos quinquaginta. L. Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe[2], quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit: et de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem et Matris Matutæ, unum in maximo circo fecit; et his fornicibus signa aurata imposuit. Hæc per hiemem ferme acta. Hibernabat eo tempore Athenis Quintius[3], a quo quum multa socii peterent, Bœoti petierunt impetraveruntque, ut hi,

8. Idem nomen Turnebus restituit Ciceroni Ep. Att. IV, 3: «Milonis domum meamque Cermalo». Fuit Germalum (idem quod Cermalus) pars ima montis Palatini, forum versus, in qua etiam Ancus Martius habitavit. In eo Lupercal et templum Romuli; pars illa hortorum Farnesiorum fuit, quæ ædi S. Mariæ Liberatricis imminet, et ad ipsam ecclesiam forte pertigit, quum pars illa montis ruinis nondum et ruderibus veterum ædificiorum adeo esset impedita. Nardin. R. V. VI, 12. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Ex SCto ovans Urbem est ingressus*, non triumphans, etsi spem triumphi tentasse videtur; quod probabile fit ex verbis seqq. *ne tentata quidem triumphi spe* a Stertinio. Conf. ad XXVI, 21, n. 1 et 2.— *Denarios XXXIV millia, et quingentos quinquaginta:* judice Scaligero in libro de Re num. neque proba est locutio, neque summa digna triumpho florentissimis rom. rebus, sed leg. *denarium trecenta quatuor millia.* At Gron. ad XXXIX, 7 pr. notavit hæc: «In posteriori facile assentior, non in priori: nam Livius τὸ *denarios* retulit ad minorem numerum, etc.» Vide ad XXXIX, 7, n. 1

2. *Ne tentata quidem triumphi spe;* conf. n. 1, et ad X, 16, n. 1.—*Duos fornices in foro Boario... fecit;* post *fornices* aut *Matutæ* excidisse *unum*, suspicabantur Pigh. et Grut. «Utrasque quidem has ædes, Fortunæ et Matris Matutæ, in foro Boario fuisse, ostendunt Donat. de Urbe Rom. II, 25, et Nardin. Urb. Rom. V, 10. Sed quum diversæ fuerint ædes, non facile intelligi potest, quomodo unus fornix ante duas ædes fieri potuerit: nec possum perspicere, cur viri docti vulgatam lect. necessario emendandam esse, nec tres fornices, sed vel quatuor vel duos factos crediderint». Duker.

3. *Hibernabat eo tempore Athenis Quintius*, immo *Elatiæ*, ubi et hoc tempore hiemavit (confer. XXIX et XXXI), et quam diu in Græcia fuit;

Digitized by Google

qui suæ gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur. Id a Quintio facile impetratum; non quia satis dignos eos credebat, sed quia, Antiocho rege jam suspecto, favor conciliandus nomini romano apud civitates erat. Restitutis, confestim apparuit, quam nulla inita apud Bœotos gratia esset; nam et ad Philippum gratias agentes pro redditis hominibus, perinde atque ipsi id a Quintio et Romanis datum[4] esset, miserunt; et comitiis proximis Bœotarchen[5] nullam aliam ob causam Brachyllam quemdam, quam quod præfectus Bœotorum apud regem militantium fuisset,

vid. XXXII, 32, 39; XXXIII, 1, 2; XXXIV, 25, 41, 48, 50. Idem firmat Polyb. XVIII, 26, qui et conf. ad seqq. Jam monuisse hæc Jac. Periz. video. — *Impetraveruntque* Hoc vocabulum delendum censet Gothanus editor; an quod inculcatum putarat e lib. XXXIV, 43, *petierunt impetraveruntque?* Walchius, in Emend. pag. 211, licet sæpius similiter dicat Livius, negat eum usquam illo modo loquutum videri. At propter sequentia, *non quia dignos... sed quia... favor conciliandus erat*, nolit in ea orationis ubertate quam ne refugiunt quidem qui toti sunt μικρόλογοι, quemquam offendi. Ed.

4. *Perinde atque ipsi id a Quintio et Romanis datum esset:* ita unicus codex Moguntinus. « Est quidem aliqua sententia hujus lectionis, sc. quasi gratia et reverentia Philippi id beneficium Bœotis tributum esset a Romanis, apud quem credibile est illos etiam tum exsulasse (conf. ad III, 58, n. 4). Sed hanc exprimere Livium voluisse non existimo. Utcumque Philippi gratiæ datum hoc fuisset, tamen dantibus quoque, etsi propter alium dantibus, obligati erant: habet enim, propter quem datur, beneficii honorem; cui datur, utilitatem. At ipsæ particulæ *perinde atque* satis indicant, voluisse auctorem ponere rationem aliquam hujus rei recte faciendæ, aut quomodo juste potuerint Philippo tantum ab illis grates agi, Romani præteriri. Ea erat, si ab his non accepissent, ab illo accepissent; non autem, si in hujus gratiam quidem, ab illis tamen accepissent. Ergo leg. *ipsis id non a Quintio*, etc. Causam vero, cur Bœoti magno suo malo Macedonibus obnoxii tum essent, habes apud Polyb. XX, 5. » Gron.

5. *Bœotarchen*, ut *Magnetarchen*, XXXV, 31, n. 5, et al. Βοιωτάρχαι, seu Βοιωταρχοῦντες videntur populorum, ex quibus respublica Bœotorum coaluit, legati fuisse ad commune concilium Thebas missi; Drak. ad XXXIII, 2. Conf. Pausan. IX, 13, 34; Thucyd. IV, 91 (qui eos ad undecim usque dicit fuisse); Emmius in Græc. vet. in descr. reip. Theb.; Potteri Archæol. tom. I, p. 430 seq. vers. Rambach. et *Voyage du jeune Anacharsis*, tom. IV, cap. 34, pag. 64. — *Brachyllam*, de quo vid. Polybius, XVIII, 26, XX, 5 et 7; Plut. Fla-

Digitized by Google

fecerunt, præteritis Zeuxippo et Pisistrato aliisque, qui romanæ societatis auctores fuerant. Id ægre et in præsentia hi passi, et in futurum etiam metum ceperunt, quum ad portas prope sedente exercitu romano ea fierent, quidnam se futurum esset[6], profectis in Italiam Romanis, Philippo ex propinquo socios adjuvante, et infesto his, qui partis adversæ fuissent.

XXVIII. Dum romana arma propinqua habebant, tollere Brachyllam, principem fautorum regis, statuerunt: et tempore ad eam rem capto[1], quum in publico epulatus reverteretur domum temulentus, prosequentibus mollibus viris, qui joci causa convivio celebri interfuerant, ab sex armatis, quorum tres Italici, tres Ætolici erant, circumventus occiditur. Fuga comitum et quiritatio facta, et tumultus tota urbe discurrentium cum luminibus: percussores proxima porta evaserunt. Luce prima concio frequens, velut exstante indicio, ad vocem præconis convocata in theatro erat. Palam ab suo comitatu et obscœnis illis viris fremebant interfectum; animis autem Zeuxippum auctorem destinabant cædis[2]. In præsentia placuit comprehendi eos, qui simul fuissent, quæstionemque ex his haberi. Qui dum quæruntur, Zeuxip-

minino, p. 372, ubi vulgo Βραχύλλελις mendose scribitur.

6. *Quidnam se futurum esset;* vide ad XXVII, 16, n. 3.

Cap. XXVIII. 1. *Tempore ad eam rem capto;* vide ad III, 9, n. 4. — *In publico epulatus;* vide ad II, 24, n. 6. — *Mollibus viris*, pathicis, qui mox *semiviri* dicuntur.

2. *Auctorem destinabant cædis animis;* vide ad IX, 24, n. 6. — *Quæstionem ex his haberi. Qui quæruntur;* vide ad II, 29, n. 3. — Kreyssyg. in epistola ad Goell. Rupertum reprehendit, qui ad Liv. II, 29, hæc annotaverit: « Sic et *quærere rem* pro *inquirere* IX, 34; XXXII, 26; et *aliquem* XXXIII, 28. Conf. IX, 18». Kreyssigii nota est: « Latini, quamvis Schellerus per errorem lapsus in lex. lat. sub v. *quæro*, Liv. XXXVIII, 55, et XLII, 21, hanc in rem attulit, *quærere aliquem* pro *inquirere in aliquem* nusquam dixerunt, et lib. IX, 25, pro *inquirendos*, *inquirendo* ex duobus codd. reponendum esse Stro-

Digitized by Google

pus, consimili animo avertendi ab se criminis causa in concionem progressus, errare ait homines, qui tam atrocem cædem pertinere ad illos semiviros crederent; multaque in eam partem probabiliter argumentatus, quibus fidem apud quosdam fecit, numquam, si conscius esset, oblaturum se multitudini, mentionemve cædis, nullo lacessente, facturum fuisse. Alii non dubitare, obviam eundo impudenter criminis suspicionem averti. Torti post paullo[3] insontes, quum scirent ipsi opinionem omnium, ea pro indicio usi, Zeuxippum et Pisistratum nominaverunt; nullo adjecto, cur scire quidquam viderentur, argumento. Zeuxippus tamen cum Stratonida quodam nocte perfugit Tanagram, suam magis conscientiam, quam indicium hominum nullius rei consciorum, metuens. Pisistratus, spretis indicibus, Thebis mansit. Servus erat Zeuxippo, totius internuntius et minister rei; quem indicem Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium

thius verissime censuit ». Ed. — *Consimili animo;* « non video, quo verba hæc referri possint. Nam non potest esse, ut similiter ostenderet, sibi placere comprehendi eos, qui simul fuerant, quæstionemque ex iis haberi: ad hos enim nihil pertinere hanc cædem persuadere voluit. Locum corruptum aut mutilatum credo »; Duk.— Gothanus editor locum sic exposuit: Palam concio a comitatu suo Brachyllam interfectum esse vociferabatur; animis autem destinabant Zeuxippum et Pisistratum. Consimili animo, aliud palam loquendi, aliud animo destinandi, etc. At Walchius, Emend. p. 238, interrogat, cui tandem hæc verbi relatio probari possit; itaque ipse pro *consimili*, substituit *non simili*, qui hic requiritur: audaci animo progressus est, plane dissimili semivirorum qui quamvis innoxii vitæ suæ timentes aufugerant, et etiam tum quærebantur. Idem ingeniose conjecerat aliquando *consimili sceleri animo*, id est, audacia simili illius qua facinus perpetraverat. Quod probaret *Büttner* (Observ. p. 88 sq.), nisi lenior correctio in promptu videretur, *consilio simili animo*, ut ad III, 43 *pari viribus animo: consilium* et *animus* ita junguntur XXXIV, 25, « majoris animi quam consilii ». Goeller. e suo cod. dat *constanti animo*. Ed. —*Argumentatus, quibus*, vel leg. *argumentatur*, vel del. *quibus;* quod jam monuere Gronovii.

3. *Torti post paulo;* vide ad II, 31, n. 2. — *Nullius rei consciorum*. Cod. Bamb. *illius rei;* quod Livianæ narra-

Digitized by Google

protraxit. Literas ad Zeuxippum mittit[4], *servum conscium tolleret: non tam idoneum ad celandam rem eum videri sibi, quam ad agendam fuerit.* Has qui tulit literas, jussit Zeuxippo dare quamprimum. Is, quia non sibi conveniendi ejus copia fuit, ipsi illi servo, quem ex omnibus domino fidissimum credebat, tradidit, et adjecit, a Pisistrato de re magnopere pertinente ad Zeuxippum esse. Conscientia[5] ictus, quum extemplo traditurum eas affirmasset, aperit; perlectis literis, pavidus Thebas refugit: et Zeuxippus quidem, fuga servi motus, Athenas, tutiorem exsilio locum ratus, concessit. De Pisistrato aliquæ quæstiones[6] tormentis habitæ, et sumptum supplicium est.

XXIX. Efferavit ea cædes Thebanos Bœotosque omnes ad exsecrabile odium Romanorum; Zeuxippum principem gentis id facinus conscisse[1]. Ad rebellandum neque vires, neque ducem habebant:

tioni magis congruens Goellerus existimat. Ed.

4. *Literas ad Zeuxippum mittit*, ut, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. Mox forte cum Gron. leg. *jussus Zeuxippo dare quamprimum, quia*, etc. Codex Mogunt. ignorat τὸ *is*.

5. *Conscientia ictus;* vide ad I, 16, n. 2. — *Athenas, tutiorem*, etc. Cod. Bamb. *Anthedonem*, pro *Athenas*. Anthedon urbs est Bœotiæ parte adversus Aulidem sita, vid. Strab. IX, p. 615; ultima in Bœotico, unde trajectus fiebat in Eubœam. Goeller. codicis sui scripturam vel propter ea adsciscendam censet, quod facilius Anthedon in notiorem urbem Athenas mutari a librario potuerit, quam contra. Accedit quod Athenienses, Bœotis hoc tempore amici, ut ex hoc ipso cap. apparet, Zeuxippum fuissent tradituri, si eo confugisset. Ed.

6. *Aliquæ quæstiones*, forte *aliquot;* Gron. *Denique* conj. Heuman. et *aliisque* (conf. cap. 27 extr.) Jac. Gron. — Walchius, Emend. p. 239, conjicit *æque*, quod habet idoneam relationem ad semiviros quos insontes torserant. Ed.

Cap. XXIX. 1. *Id facinus conscisse*, sc. putabant. Sed *efferaverat cædes* cod. Mogunt. et vulgatum debetur Gelenio. *Efferaverat Thebanos... Romanorum, Zeuxippum principem g. id facinus conscisse*, vel *in principem g.*, Brachyllam, conj. Gron. et *Efferaverat ea res Thebanos... Zeuxippum in principem*, etc. Jac. Periz. prob. Drak. ut postrema per appositionem dicta sint. — Auctior est locus

Digitized by Google

proximum bello quod erat, in latrocinium versi, alios hospites, alios vagos per hiberna milites, ad varios commeantes usus, excipiebant[2]. Quidam in ipsis itineribus ad notas latebras insidiantibus, pars in deserta per fraudem deversoria devecti deductique opprimebantur. Postremo non tantum odio, sed etiam aviditate prædæ, ea facinora faciebant; quia negotiandi ferme causa argentum in zonis habentes[3] in commeatibus erant. Quum primo pauci, deinde in dies plures desiderarentur, infamis esse Bœotia omnis cœpit; et timidius, quam in hostico, egredi castris miles. Tum Quintius legatos ad querendum de latrociniis per civitates mittit. Plurimi pedites circa Copaidem paludem inventi: ibi ex limo eruta extractaque ex stagno cadavera, saxis aut amphoris, ut pondere traherentur in profundum, adnexa. Multa facinora Acræphiæ et Coroneæ[4] facta inveniebantur. Quintius primo noxios tradi sibi jussit, et pro quingentis militibus (tot enim intercepti erant) quingenta talenta Bœotos conferre. Quorum neutrum quum fieret, verbis tantum

in MSS Bamb. ubi sic legitur *ad exs. odium Rom. credentes non sine consilio imperatoris romani, Zeuxippum princ.*, etc. Ed.

2. *Alios hospites... excipiebant;* vide ad II, 4, n. 3. — *Ad notas* sibi *latebras insidiantibus* Bœotis; nisi leg. *ad notas latebras insidentibus;* Crev. — *Deversoria;* vid. I, 51, n. 2.

3. *Negotiandi ferme causa argentum in zonis habentes;* vide ad Juvenal. XIV, 297, et quos Drak. laudat. « De negotiatione militum in vetere militia rom. nihil statutum invenio. Ea militibus interdictum fuit sub posterioribus Imperatoribus; et forsan jam ante eos, quorum de hac re constitutiones in libris juris rom. exstant: hoc enim verbis Pauli apost. II Tim. 2, 4, videtur indicari. » Duk. — *In commeatibus erant;* vide ad I, 57, n. 2. — *In hostico;* vide ad VI, 31, n. 3. — *Plurimi pedites... inventi.* Multo præstantiorem scripturam sibi reperisse videtur Goeller. qui dat *Plurimæ cædes... inventæ.* Livius enim vocabulo *cædes* occisos exprimere solet. Ed.

4. *Acræphiæ et Coroneæ*, oppidis Bœotiæ. Κορώνεια, unde *Coronæi* (f. *Coronei*) XLII, 44, 63, 67; XLIII, 4; et *ager Coronatus* (f. *Coroneus*) et *Coronensis* XXXVI, 20. Alia Κορώνεια Phthiodis in Thessalia, et *Corone*,

Digitized by Google

civitates excusarent, nihil publico consilio factum esse; missis Athenas et in Achaiam legatis, qui testarentur sociis, justo pioque bello se persequuturum Bœotos, et cum parte copiarum P. Claudio Acræphiam ire jusso, cum parte Coroneam circumsedit; evastatis prius agris, quam ab Elatia duo diversa agmina iere. Hac perculsi clade Bœoti, quum omnia terrore ac fuga complessent[5], legatos mittunt: qui quum in castra non admitterentur, Achæi Atheniensesque supervenerunt. Plus auctoritatis Achæi habuerunt deprecantes; ac, ni impetrassent pacem Bœotis, bellum simul gerere decreverunt. Per Achæos et Bœotis copia adeundi alloquendique Romanum[6] facta est, jussisque tradere noxios, et mulctæ nomine triginta talenta conferre, pax data, et ab oppugnatione recessum.

XXX. Post paucos dies decem legati ab Roma venerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges[1] est. *Omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent. Quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret; his, quæ in Asia essent, Euromo Pedasisque*[2] *et Bargyliis et Jasso*

Κορώνη, Messeniæ. Conf. ad XXXVI, 20, n. 3. — *Qui testarentur sociis*, immo *socios*; Crev. et Drak. coll. IV, 53. — *Justo pioque bello*; vide ad I, 22, n. 6.

5. *Omnia terrore ac fuga complessent*: Gron. malebat *terror* (cod. Bamb. *completa essent*. Ed.), et mox: *nam, ni impetrassent p. B., bellum simul gerere* (sc. adversus eosdem Bœotos) *decreverant. Per Achæos ergo Bœotis*, etc.

6. *Alloquendique Romanum*; vide ad XXXII, 11, n. 4.

Cap. XXX. 1. *Pax data Philippo in has leges*, etc. conf. Polyb. XVIII, 27, et Appian. Maced. Ecl. VII, 2; al. XXIV, 2. — *Præsidia ex his Philippus deduceret; his, quæ in Asia essent, Euromo*, etc. « Saltem *et his, quæ in Asia essent*. Sed potius plane delenda hæc verba, quia Polyb. pannum istum non habet, et *Perinthus* in Thracia fuit, et *Myrina* in Lemno, Lemnus vero et *Thasus* insulæ maris Ægei, Europæ litoribus appositæ. » Duker.

2. *Euromo, Pedasisque*, etc. vide

Digitized by Google

et Myrina et Abydo, et Thaso et Perintho: eas quoque enim placere liberas esse. De Cianorum libertate, Quintius Prusiæ Bithynorum regi scriberet, quid senatui et decem legatis placuisset. Captivos transfugasque[3] *reddere Philippum Romanis, et naves omnes tectas tradere, quin et regiam unam*[4] *inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. Ne plus quingentis armatorum*[5] *haberet, neve elephantum ullum: bellum extra Macedoniæ fines ne injussu senatus gereret. Mille talentum daret populo romano: dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum.* Valerius Antias, quaternum millium pondo argenti vectigal in decem annos, triginta quaterna millia[6] pondo et ducenta, præsens viginti millia pondo. Idem nominatim adjectum scribit, ne cum

ad XXII, 33, 7-9.—*Myrina* (et *Hephæstia*, c. 35) oppida Lemni insulæ, Vulcano sacrata; unde et dicta Hephæstia. — *Thaso* al. *Thasso*, ut et c. 35, 39; unde *Thasii* XXXI, 31: ἡ Θάσος seu Θάσσος opp. et insula maris Ægei prope oram Thraciæ. Mox del. *quoque*, quod in Polybio non est, et omnem decreti sensum pervertit; Crev.

3. *Captivos transfugasque reddere Philippum* (forte *redderet Philippus R. et... traderet*) *et naves omnes tectas* (vide ad XXII, 19, 4) *tradere*, etc. paulo aliter Polyb. et Appian. Cf. n. 4.

4. *Quin et regiam unam*, etc. «quam *regiam* appellari puto, quod reges mole ac magnificentia navium regias opes ostentare solebant, quales erant naves regum Ægyptiorum et navis Hieronis apud Athen. V, et *liburnicæ deceres* apud Suet. Calig. 37. Sed ejus vix ullus usus in præliis esse potuit; quare ea etiam Philippo a Romanis relicta videtur». Duker. — *Inhabilis prope magnitudinis* (vide ad XXII, 46, n. 3), *quam XVI versus remorum*, ordines remigum transtrorumve (vide Fabretti ad columnam Trajanam c. 5, p. 119 sq. et inpr. *Böttigeri* Archæol. Museum Fasc. I, p. 54 sq.), *agebant*, forte *agerent*. Sed vide ad III, 2, n. 1. Navis hæc ἑξήρης dicitur Appiano, sed ἑκκαιδεκήρης Polyb., Plut. in Æmil. pag. 271, et Suidæ in Περσεύς (conf. ad XXIX, 9, 3). Victo demum Perseo, Romam est deducta; vid. XLV, 35, et Polybius, XXXVI, 3, § 9. Hinc non male Ursinus ex Polyb. conj. *naves omnes tectas tradere præter lembos quinque et regiam*, etc. vel Pigh. et alii *præter quinque*, sc. naves tectas, ex Zonara, IX, 16, et Appiano.

5. *Plus quingentis armatorum*; vide ad XXII, 30, n. 2. Hæc præteriere Polyb. et App. *Plus quinque millibus* ex Zonara conj. Pigh.

6. *Triginta quaterna millia*, etc. turbata hæc, ut cuivis videre pro-

Digitized by Google

Eumene, Attali filio (novus is tum rex erat), bellum gereret. In hæc obsides accepti [7], inter quos Demetrius Philippi filius. Adjicit Valerius Antias, Attalo absenti Æginam insulam elephantosque dono datos, et Rhodiis Stratoniceam Cariæ atque alias urbes, quas Philippus tenuisset; Atheniensibus insulas datas Paron, Imbrum, Delum, Scyrum.

XXXI. Omnibus Græciæ civitatibus hanc pacem approbantibus, soli Ætoli id decretum decem legatorum clam mussantes [1] carpebant: *literas inanes vana specie libertatis adumbratas esse. Cur enim alias Romanis tradi urbes* [2], *nec nominari eas, alias nominari, et sine traditione juberi liberas esse? nisi ut, quæ in Asia*

num, et forte leg. *præsens tricena quaterna millia et ducenta viginti pondo;* Gron. *triginta quatuor millia et ducenta viginti pondo* conj. Drak.

7. *In hæc obsides accepti;* vide ad XXI, 42, n. 2. Mox τὸ *datas* post *insulas* delendum videtur. — *Insulas datas Paron,* etc. Cod. Bamb. dat *Lemnum.* Goeller. ambigit utrum sit præferendum: at supra lib. XXXI, 16, memoratur a Rhodiis ab Ægina Ciam, inde per insulas Rhodum navigantibus, omnes præter Andrum, Parumque, et Cythnum, quæ præsidiis Macedonum tenerentur, in societatem acceptas esse. Verisimile autem non est, sociam urbem sociis dono dari; Paros potuit, quia armorum vi Macedonibus erat eripienda, et illa ipsa lege, de qua supra c. 13. Ed.

Cap. XXXI. 1. *Soli Ætoli id decretum clam mussantes* (vide ad II, 45, n. 10, et XXVIII, 41, n. 1) *carpebant,* reprehendebant (ut fere *perstringere*): *literas,* etc. conf. Polyb. XVIII, 28. — *Literas inanes vana specie libertatis adumbratas,* compositas ad simulationem dandæ libertatis; vel inverse dictum pro: libertatis speciem literis adumbratam, simulatam, expressam; Bauer.

2. *Cur enim alias Romanis tradi urbes,* etc. « Hoc intelligi non posset, nisi Polyb. docuisset, Philippum jussum fuisse urbes Græcorum, in quibus præsidia habebat, antequam celebrarentur Isthmia, Romanis tradere, nec tamen eas nominatas fuisse. Horum prius tantum, de traditione scil. urbium, non item cætera, expressit Livius, cap. 30, qui tamen locus mihi videtur mendosus esse. Mox *longinquitate ipsa tutiores* non est in Polybio: sententiam autem hanc esse puto, Romanos libertatem reddidisse urbibus græcis Asiæ, quod eas sibi propter longinquitatem parum utiles esse putarent ad id, quod parabant, ad compedes Græciæ injiciendas, quod Ætoli dicunt apud Polyb. » Duk. — *Quæ in Græcia sint, ne nominatæ intercipiantur* (vide ad III, 72, n. 2), sc. a Romanis, et ita hi loco Philippi *Chalcidem, Demetriadem, Corinthum,*

Digitized by Google

sint, liberentur, longinquitate ipsa tutiores; quæ in Græcia sint, ne nominatæ intercipiantur, Corinthus et Chalcis et Oreum cum Eretria et Demetriade. Nec tota ex vano criminatio erat[3]: dubitabatur enim de Corintho et de Chalcide et Demetriade, quia in senatusconsulto, quo missi decem legati ab Urbe erant, cæteræ Græciæ atque Asiæ[4] haud dubie liberabantur; de his tribus urbibus legati, quod tempora reipublicæ postulassent, id e republica fideque sua facere, statuere jussi erant. Antiochus rex erat, quem transgressurum in Europam, quum primum ei res suæ placuissent, non dubitabant: ei tam opportunas ad occupandum patere urbes nolebant. Ab Elatia Anticyram cum decem legatis, inde Corinthum trajecit[5]: ibi consilia decem legatorum tractabantur. Idemtidem Quintius, *liberandam omnem Græciam, si Ætolorum linguas retundere, si veram caritatem, majestatem, apud omnes, nominis romani vellent esse: si fidem facere, ad liberandam Græciam, non ad transferen-*

compedes Græciæ (vide XXXII, 37), accipiant, adeoque mutatio tantum fiat dominorum Græciæ, non vera ei libertas detur. Cum Gron. leg. *quæ in Græcia, non nominatæ i.*, vel *nec nominatæ* (ut *nec opinatus* pro *inopinatus*, etc.) cum Bauero, qui monet, *ne* referri ad verbum *intercipiantur*, Ætolos autem criminatos esse, Romanos velle, *ut* interciperentur.

3. *Ex vano criminatio erat;* vide ad XXVII, 26, n. 1. — *Et Demetriade*, forsan *et de Dem.* Drak.

4. *Cæteræ Græciæ atque Asiæ*, sc. urbes, quod suppl. e seqq. vide ad XXI, 43, n. 4. An leg. *cætera?* — *Id e republica fideque sua facere;* vide ad XXII, 39, n. 1. — *Quum primum ei res suæ placuissent*, apparatus et vires ad bellum gerendum satis magnæ et idoneæ fuissent visæ: quo sensu *ubi satis placuere vires* dicitur XXXIX, 30, n. 4; et apud Sen. Ep. 42: unde et h. l. *vires* pro *res* suspicari possis.—*Vires* e cod. Bamb. edidit Goeller. vide ad Velleium nostræ edit. pag. 254 sq. Ed. — *Quam primum* malebat Duk.

5. *Ab Elatia Anticyram... trajecit*, sc. Quintius: quæ dura est ellipsis, quia ille nondum hoc, neque præc. cap. nominatus est. Nomen ejus excidisse putabant Crev. et Duk. Sed forte leg. *trajicitur.*—*Si veram caritatem, majestatem:* quoniam *vera majestas* ferri non potest, ante *majestatem* fortasse inserendum *si integram* vel *si inviolatam;* Crev. vel solum *si*, Roell.

Digitized by Google

dum a Philippo ad se imperium [6], *se mare trajecisse.* Nihil contra ea de libertate urbium alii dicebant. Cæterum *ipsis tutius esse, manere paulisper sub tutela præsidii romani, quam pro Philippo Antiochum dominum accipi.* Postremo ita decretum est: *Corinthus redderetur Achæis, ut in Acrocorintho* [7] *tamen præsidium esset: Chalcidem ac Demetriadem retineri, donec cura de Antiocho decessisset.*

XXXII. Isthmiorum statum ludicrum aderat [1]; semper quidem et alias frequens, quum propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis [2] visuntur, tum quia propter opportunitatem loci, per duo diversa maria, omnium Græcorum undique conventus erat. Sed exspectatione erecti [3], qui deinde status futurus

6. *A Philippo ad se imperium*, sc. Græciæ.

7. *In Acrocorintho*, arce Corinthi munitissima, in monte edito, *duo diversa maria*, Ionium et Ægeum, prospectante; vid. cap. 32, n. 2; Strab. VIII, p. 379; Athen. II, 5; Sponii *Voyages*, t. I, pag. 175; *Wheeler's Journey*, t. VI, pag. 440. — *Chalcidem ac D. retineri*, durius variata oratio, quum præcedat: ut *Corinthus redderetur;* Bauer.

Cap. XXXII. 1. *Isthmiorum statum ludicrum aderat*, τῆς Ἰσθμίων πανηγύρεως ἐπελθούσης Polyb. XVIII, 29 pr. Ludi Isthmici in Isthmo Corinthio celebrabantur initio quinti vel potius tertii cujusvis anni; vid. Potteri Archæol. Gr. lib. II, cap. 35.

2. *Certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis*, ἀγῶνες μουσικοὶ et γυμνικοὶ, seu πένταθλον, quinquertium, δρόμος, ἅλμα, δίσκος, ῥίψις seu τοξικὴ, πυγμικὴ, et παλη.—*Propter opportunitatem loci*, opportunum Corinthi situm, *per* (f. *inter*) *duo diversa maria;* cf. ad c. 31, n. 7.

3. *Sed exspectatione erecti* (vide ad II, 54, n. 12), *qui*, etc. postquam ostenderat, *semper et alias frequens* fuisse ludicrum Isthmiorum, exspectari poterat, ut diceret, *tum* solito frequentius fuisse, quæ hic intercidisse suspicor; Duker. et Crev. Forte leg. *tum propter opportunitatem loci inter duo diversa maria: at nunc Græcorum undique conventus erat, cunctis exspectatione erectis, qui*, etc. Ita Polyb. XXVIII, 29; idemque exprimere voluisse videtur Livius. — Locum sic restituisse ex præstantissimo MS sibi videtur Goeller. « ... per duo diversa maria (omnium rerum usus ministrantis, humano generi concilium, Asiæ Græciæque is mercatus erat. Tum vero non ad solitos modo usus undique convenerant); sed exspectatione erecti, qui deinde status futurus Græciæ, quæ sua fortuna esset ». Ed. — *Qui status;* vide ad VI, 32, n. 3.

Digitized by Google

Græciæ, quæ sua fortuna esset: alii non taciti solum opinabantur, sed sermonibus etiam serebant[4]. Romani ad spectaculum consederunt; et præco cum[5] tubicine, ut mos est, in mediam arenam, unde solenni carmine ludicrum indici solet, processit, et, tuba silentio facto, ita pronuntiat: SENATUS ROMANUS ET T. QUINTIUS IMPERATOR, PHILIPPO REGE MACEDONIBUSQUE DEVICTIS, LIBEROS, IMMUNES, SUIS LEGIBUS ESSE[6] JUBET CORINTHIOS, PHOCENSES, LOCRENSESQUE OMNES, ET INSULAM EUBOEAM, ET MAGNETAS, THESSALOS, PERRHÆBOS, ACHÆOS PHTHIOTAS. Percensuerat omnes gentes, quæ sub ditione Philippi regis fuerant. Audita voce præconis, majus gaudium fuit[7], quam quod universum

4. *Sermonibus etiam serebant*, sermones serebant super his rebus; vide ad III, 43, n. 2. Al. *ferebant*. Forte leg. *sed sermonibus varia serebant*, quæ memorat Polyb. l. l. Conf. ad I, 40, n. 1. — Post hæc verba quædam in cod. Bamb. adjiciuntur, quæ non omnino integra sic restituit novus editor: ..... *ferebam, Romanos utcumque facturos vix cuiquam persuadebatur, omni Græcia cessuros ad spect. consederant*, etc. Vox *utcumque*, quod ignorat MS, omittunt Jacobs et Kreyssig. atque pro *facturos* ambo conjiciunt *victores*. Ed.

5. *Et præco cum tubicine*, audientiam faciente, *ut mos est, in mediam arenam* stadii, quo confluxerant Græci, *unde solenni carmine* (vide ad I, 24, n. 9) *ludicrum... ita pronuntiat*, etc. conf. Polyb. XVIII, 29; Plut. Flamin. p. 374, 375; Appian. Maced. VII, 2. Sic et Argivorum libertas Nemeorum die voce præconis promulgata; vid. XXXIV, 41. Quintium vero imitatus est Nero, sed ipse præconis partes egit; vid. Suet. Ner. 24. —*Senatus rom. et T. Q.* ita Polyb. et Plut. *Senatus populusque romanus et T. Q.* ex Val. Max. IV, 8, n. 5, et Appiano conj. Pigh. prob. Grut.

6. *Liberos, immunes, suis leg. esse*, ἐλευθέρους, ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις Polyb. — *Achæos Phthiotas* Livius h. l. et capp. 34, 36, 15, exemplo Polybii, XVIII, 29 et 30, eos Thessalos appellat, qui aliis simpl. *Phthiotæ* dicuntur. Hinc et *Phthiotis Achaia* XLI, 22; XLII, 67. Prisci Achæi, ab Achæo Xuthi filio oriundi, tum Peloponnesi occuparunt oppida, Argos, Mycenas et Lacedæmonem, tum partes Helladis et Thessaliæ, in hac vero Magnesiam et Phthiam, seu Phthiotidem, unde dicti sunt Ἀχαιοὶ οἱ Φθιῶται, qui supererant adhuc Herodoti et Thucydidis ætate; vid. Heyn. ad Hom. Il. II, 684. Quæ *Phthiotis Achaia* XLI, 22 dicitur, XLII, 40 vocatur *Maliensis ager*, qui forte hujus Phthiotidis pars fuit.

7. *Audita voce præconis, majus gaudium fuit*, etc. conf. XXXIX,

Digitized by Google

homines caperent. Vix satis credere se quisque audisse; alii alios intueri, mirabundi velut somnii vanam speciem: quod ad quemque pertineret, suarum aurium fidei minimum credentes, proximos interrogabant. Revocatus præco, quum unusquisque non audire, sed videre libertatis suæ nuntium averet, iterum pronuntiare[8] eadem. Tum ab certo jam gaudio tantus cum clamore plausus est ortus totiesque repetitus, ut facile appareret, nihil omnium bonorum multitudini gratius, quam libertatem esse. Ludicrum deinde ita raptim peractum est, ut nullius nec animi, nec oculi spectaculo intenti essent. Adeo unum gaudium præoccupaverat[9] omnium aliarum sensum voluptatum!

XXXIII. Ludis vero dimissis, cursu[1] prope omnes tendere ad imperatorem romanum, ut, ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, co-

49; Polyb., Plut. et Appian. ll. ll. Æschyli Agam. v. 276. — *Mirabundi;* vide ad III, 47, n. 5. — *Quod ad quemque pertineret*, verba vel recidenda vel immutanda; Crev. et Duk. — Ea nec tollenda nec corrigenda esse putat Jacobs, cujus nota est: « Omnes, qui illud de libertate Græciæ præconium audiverant, ad rem minime exspectatam, ob eamque causam parum credibilem, mirabundi stupebant, vanam somnii speciem sibi obvenisse existimantes; singuli autem iis potissimum, quæ in illo edicto ad se patriamque suam pertinebant, quæque, ne vana essent, omnium maxime optabant, ob id ipsum diffidebant; ita ut quisque de eo, quod suam patriam spectaret, suarum aurium judicio minime fidem habens, proxime sedentes interrogaret ». Ed.

8. *Iterum pronuntiare* (h. e. *pronuntiavit*, nisi ita scripsit Livius) *eadem* reposui ex emend. Gron. pro vulg. *pronuntiaret;* etsi Bauer. hæc notaverit: « Vix opus, ita legere: factum enim, latere potest in vocab. *revocatus*. Nec infinitivus satis hic commode poni videtur ». Cæterum cf. n. 5 auctores laudati. — *Ab c. gaudio*, ex gaudio, ob gaudium, post gaudium; quia certum idem erat; Bauer. Conf. ad I, 1, n. 5.

9. *Unum gaudium præoccupaverat*, etc. i. e. ademerat, impedierat, quasi conditionem, locum (*Möglichkeit*), aditum occuparat sentiendarum aliarum voluptatum, viam clauserat sentiendis aliis; Bauer.

Cap. XXXIII. 1. *Ludis vero dimissis, cursu*, etc. conf. Polyb., Plut. et Appian. ll. ll. — *Coronas lemni-*

Digitized by Google

ronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit[2] : sed erat trium ferme et triginta annorum; et quum robur juventæ, tum gaudium ex tam insigni gloriæ fructu, vires suppeditabant. Nec præsens omnium modo effusa lætitia est; sed per multos dies gratis et cogitationibus, et sermonibus revocata : *Esse aliquam in terris gentem, quæ suâ impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum; nec hoc finitimis, aut propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti junctis præstet*[3]*; maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injustum imperium sit, et ubique jus, fas, lex potentissima sint. Una voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Asiæ urbes. Hoc spe concipere, audacis animi fuisse : ad effectum adducere, virtutis et fortunæ ingentis.*

XXXIV. Secundum ista[1] jam Quintius et decem legati legationes regum, gentium civitatiumque audivere. Primi omnium regis Antiochi vocati legati sunt. His eadem, quæ fere Romæ erant, verba sine fide rerum jactata : nihil jam perplexe, ut ante, quum dubiæ

scosque jacientium, hoc est, coronas lemniscatas; quarum aliarumque rerum injectione victores in ludis honorari solebant. *Lemnisci*, fasciolæ aureæ vel purpureæ, seu vittæ, in deorum honoribus usitatæ, majorisque honoris causa coronis alligatæ et ex iis dependentes; vid. Hard. ad Plin. XXI, 3 seu 4; Salmas. ad Capitol. Ver. V; Ern. Clav. Cic. Casaub. ad Suet. Ner. XXV; Auson. ep. XX; Maffei Antiq. Gall. p. 7; Wessel. de Archont. Jud. p. 18; Intpp. Virg. Æn. V, 269.

2. *Haud procul periculo fuerit* vitæ : οὐκ ἂν ἐδόκει παριγενέσθαι Plutarcho : παρ' ὀλίγον διέλυσαν τὸν ἄνθρωπον Polyb. l. l., si vera est lectio.

3. *Nec hoc finitimis* tantum *præstet*; sed etiam *maria*, etc. — *Liberatas omnes Græciæ atque Asiæ urbes*, scilic. a Philippo possessas, ut cap. 31. — De re cf. Montesquieu, *Grand. et Décad. des Rom.* cap. V. Ed.

Cap. XXXIV. 1. *Secundum ista* (vide ad I, 4, n. 1) *jam Quintius*, etc. conf. Polyb. XVIII, 30. — *His*, ab *iis*, *eadem*, *quæ fere Romæ erant* ab iis jactata (conf. cap. 20), *verba sine fide rerum jactata*; vide ad II, 12, n. 7. — Goeller. locum e cod. suo sic edidit : «.....quæ fere Romæ egerant, verba sine fide rerum jactantibus nihil jam, etc.» Antea sic fere legendum viderat Gelenius. Ed.

Digitized by Google

res incolumi Philippo erant, sed aperte pronuntiatum, ut excederet Asiæ urbibus, quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuissent; abstineret liberas omnesque græcas [2]. Ante omnia denuntiatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias trajiceret. Dimissis regis legatis, conventus gentium civitatiumque est haberi cœptus; eoque maturius peragebatur, quod decreta decem legatorum [3] civitates nominatim pronuntiabant. Orestis (Macedonum ea gens est), quod primi ab rege defecissent, suæ leges redditæ. Magnetes et Perrhæbi et Dolopes liberi quoque pronuntiati. Thessalorum genti, præter libertatem concessam, Achæi Phthiotæ dati, Thebis Phthioticis et Pharsalo excepto. Ætolos de Pharsalo et Leucade postulantes, ut ex fœdere sibi restituerentur, ad senatum rejecerunt. Phocenses, Locrenses, et quæ [4] sicut ante fuerant adjecta, decreti auctoritate his contribuerunt.

2. *Abstineret liberas omnesque græcas*, scilic. urbes, h. e. urbes græcæ originis in Asia, a se occupatas. *Sineret l. omnes esse græcas* conj. Gron. *has sineret lib. omnesque gr.* Lamb. Bos (qui monet, ita dicere Diodor. XV, p. 484, ἁπάσας τὰς ἐν τῇ Βοιωτίᾳ πόλεις ἐᾶν αὐτονόμους, et passim inter τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἑλληνίδας πόλεις et inter τοὺς ἄλλους Ἕλληνας distinguere: quæ tamen distinctio ab h. l. aliena est); *abstineret liberas omnes græcas*, vel *ac sineret liberas omnes esse græcas*, vel *ac sineret liberas omnes græcas* Drak. (qui tamen nec vulgatum damnabat); *abstineret liberis omninoque Græcis* Bauer. Conf. ad XXVII, cap. 19, n. 2. Τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας πόλεων τῶν μὲν αὐτονόμων ἀπέχεσθαι, καὶ πρὸς μηδένα πολεμεῖν· ὅσας δὲ νῦν παρείληφε τῶν ὑπὸ Πτολεμαῖον καὶ Φίλιππον ταττομένων, ἐκχωρεῖν dixit Polyb. XVIII, 30 pr.

3. *Conventus gentium civitatiumque .....quod decreta X legatorum*, etc. hæc forte corrupta; certe non respondent verbis Polyb. εἰσεκαλοῦντο πάντας τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν καὶ πόλεων παραγεγονότας, καὶ τὰ δόξαντα τῷ συνεδρίῳ διεσάφουν· *quod decreta X legatorum in civitates nominatim*, de singulis nominatim civitatibus, *pronuntiabantur* (solummodo, jam a legatis facta) conj. Crev. — Hac conjectura opus non esse putat Goeller. si ex MS Bamb. legeris: *q. decreto X l. c. n. pronuntiabantur*. Ed. — *Achæi Phthiotæ dati*, in συμπολιτείαν, opinor, et in idem reip. corpus conciliumque contributi: nam libertas ex decreto senatus (vid. cap. 32) iis data fuerat; Duk. et Crev. προσένειμαν Polyb. unde *additi* conj. Jac. Periz.

4. *Phocenses, Locrenses et quæ*,

Digitized by Google

Corinthus et Triphylia et Heræa (Peloponnesi et ipsa urbs est) reddita Achæis. Oreum et Eretriam decem legati Eumeni regi, Attali filio, dabant. Dissentiente Quintio, venit res in arbitrium senatus: senatus libertatem his civitatibus dedit, Carysto adjecto. Pleurato Lycus et Parthini dati [5]: Illyriorum utraque gens sub ditione Philippi fuerat. Amynandrum tenere jusserunt castella, quæ per belli tempus Philippo capta ademisset.

XXXV. Dimisso conventu, decem legati [1], partiti munia inter se, ad liberandas suæ quisque regionis civitates discesserunt: P. Lentulus Bargylias, L. Stertinius Hephæstiam et Thasum [2] et Thraciæ urbes, P. Villius et L. Terentius ad regem Antiochum, Cn. Cornelius ad Philippum: qui, de minoribus rebus editis mandatis, percunctatus, si consilium non utile solum, sed etiam salutare, admittere auribus posset, quum rex gratias quoque se acturum diceret, si quid, quod in rem suam esset, expromeret, magnopere ei suasit, quoniam pacem impetrasset, ad societatem amicitiamque petendam mitteret Romam legatos; ne, si quid

etc. τοὺς δὲ Φωκέας καὶ τοὺς Λοκροὺς συνεχώρησαν αὐτοῖς ἔχειν, καθάπερ εἶχον καὶ πρότερον ἐν τῇ συμπολιτείᾳ, Polyb. unde Ursin. conj. *Phocenses, Locrensesque, sicut ante fuerant adjecti*, h. e. ad eorum concilium et συμπολιτείαν pertinuerant. — *Carysto adjecto*, καὶ σὺν ταύταις Κάρυστος, scil. ἠλευθερώθη διὰ τῆς συγκλήτου, Polyb.

5. *Pleurato Lycus et Parthini dati;* vide ad XXII, 33, n. 3; XXVII, 32, n. 3, et XXIX, 12, n. 3. *Lychnidus et Parthus datæ: Illyriorum utraque gentis*, etc. ex Polyb. conj. Duk. et sane Lycus, vel potius Lychnis seu Lychnidus, non *gens*, sed urbs Illyrici fuit. — *Per belli tempus;* vide ad II, 18, n. 1.

Cap. XXXV. 1. *Dimisso conventu, decem legati*, etc. cf. Polyb. XVIII, 31, et Plut. Flamin. p. 375. — *L. Stertinius* ex Gelenii et Ursini conj. h. l. et apud Polyb. legitur, at in vett. libris *L. Thermus*, Στερέννιος, Στερεννῖνος. Plutarcho dicitur Τιτίλλιος, *unde L. Titinius* conj. Pigh. et Reisk. Conf. Duker. qui docet, dubitari quidem posse, nec tamen negari, Stertinium fuisse inter decem legatos senatus.

2. *Hephæstiam et Thasum;* vide ad cap. 30, n. 2.

Digitized by Google

Antiochus moveret, exspectasse et temporum opportunitates captasse ad bellandum[3] videri posset. Ad Tempe Thessalica Philippus est conventus. Qui quum se missurum extemplo legatos respondisset; Cornelius Thermopylas, ubi frequens Græciæ statis diebus esse solet conventus[4] (Pylaicum appellant), venit: Ætolos præcipue monuit, ut constanter et fideliter in amicitia populi romani permanerent. Ætolorum principes alii interquesti sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset; alii ferocius incusarunt, exprobraruntque, *Non modo vinci sine Ætolis Philippum, sed ne transire quidem in Græciam Romanos potuisse.* Adversus ea respondere (ne in altercationem excederet res[5]) quum supersedisset Romanus; *omnia eos æqua impetraturos, si Romam misissent*, dixit: itaque ex auctoritate ejus decreti legati sunt. Hunc finem bellum cum Philippo habuit.

XXXVI. Quum hæc in Græcia Macedoniaque et Asia gererentur, Etruriam infestam prope conjuratio servorum fecit. Ad quærendam opprimendamque eam M'. Acilius prætor, cui inter cives peregrinosque jurisdictio obtigerat, cum una ex duabus legione urbana missus, alios jam congregatos pugnando vicit; ex his multi occisi, multi capti: alios verberatos crucibus affixit, qui principes conjurationis fuerant: alios do-

3. *Captasse ad bellandum*, f. *rebellandum;* Glar.

4. *Cornelius Thermopylas, ubi frequens...conventus;* vide ad XXXI, 29, n. 1. — Jacobs locum ita restituendum existimat: *ubi frequens Græcia st. dieb. esse solet (Pylaicos conventus appellant), venit.* Ed.—*Ætolos præcipue monet*, διὰ πλειόνων, multis, Polyb. — *Alii interquesti sunt*, τῶν μὲν πρᾴως καὶ πολιτικῶς μεμψιμοιρούντων αὐτοῖς Polyb. unde Crever. conj. *alii leniter questi sunt.* — Hanc conjecturam confirmat Goeller. e MS. Ed.

5. *Ne in altercationem excederet res;* vide supra ad lib. III, cap. 41, not. 6.

Digitized by Google

minis restituit. Consules in provincias profecti sunt. Marcellum Boiorum ingressum fines, fatigato per diem totum milite via facienda, castra in tumulo quodam ponentem, Corolamus, regulus Boiorum, cum magna manu adortus, ad tria millia hominum occidit; et illustres viri aliquot[1] in illo tumultuario prælio ceciderunt, inter quos præfecti socium, T. Sempronius Gracchus, M. Junius Silanus, et tribuni militum de legione secunda, A. Ogulnius et P. Claudius. Castra tamen ab Romanis impigre permunita retentaque, quum hostes a prospera pugna nequidquam oppugnassent. Stativis deinde eisdem per dies aliquot sese tenuit, dum et saucios curaret, et a tanto terrore animos militum reficeret[2]. Boii, ut est gens minime ad moræ tædium patiens, in castella sua vicosque dilapsi sunt. Marcellus, Pado confestim trajecto, in agrum Comensem, ubi Insubres, Comensibus ad arma excitis, castra habebant, ducit legiones. In ipso itinere prælium committunt[3]; et primo adeo acriter invase-

Cap. XXXVI. 1. *Illustres viri aliquot*, etc. vide ad XXX, 18, n. 7. — *A prospera pugna;* vid. I, 1, n. 5.

2. *A tanto terrore animos militum reficeret;* vide ad I, 1, n. 5, et III, 10, n. 9. Illud *a* inseruit Gron. sed *ex* malebat Drak. quia his eadem præpos. præcessit. — *Ut est gens minime ad moræ tædium patiens*, sc. belli in longum tempus ducti. Ita Cler. sed dura est ellipsis. *Ob moræ tædium* reposuit Gruter. *ob tædium moræ patiens* conj. Crev. et *minime moræ tædium patiens* (ut IV, 18, *procul ab domo militiam ægre patiens*) Drak.

3. *In ipso itinere prælium committunt* legiones rom., *et primo adeo acriter invaserunt* Galli Romanos, *ut antesignanos impulerint;* vide ad I, 14, n. 8, et V, 13, n. 1. Livio solenne esse, sic verba referre ad diversa subjecta, monet Drak. ad I, 50, n. 9. Conf. ad II, 56, n. 1. Sed vereor, ne Livio talia sæpius invito obtrudantur. — Cod. Bamb. hic quibusdam verbis auctior est; ex quo Goeller. censet ita legendum: ...*ducit legiones. Galli feroces Boiorum ante dies paucos pugna in ipso*, etc. Ed. — *Marcellus Pado c. trajecit legiones in agrum Comensem...habebant. In ipso i. p. commissum; et p. a. invaserunt*, scil. Galli, conj. Gronov. Post *legiones* asteriscum posuit Sigonius. Forte vox *hostes* excidit ob comp. script. *leg. hostes*, et legendum: *ducit legiones. Hostes in ipso itinere prælium committunt, et primo*, etc. Ver-

Digitized by Google

runt, ut antesignanos impulerint. Quod ubi animadvertit, veritus ne moti semel pellerentur, cohortem Marsorum opposuit, et equitum Latinorum omnes turmas in hostem emisit. Quorum quum primus secundusque impetus retudisset inferentem se ferociter hostem, confirmata et reliqua acies romana restitit primo, deinde signa acriter intulit: nec ultra sustinuerunt certamen Galli, quin terga verterent, atque effuse fugerent. In eo prælio supra quadraginta millia hominum cæsa, Valerius Antias scribit, et quingenta septem signa militaria capta[4], et carpenta quadringenta triginta duo, et aureos torques multos; ex quibus unum magni ponderis Claudius in Capitolio Jovi donum in æde[5] positum scribit. Castra eo die Gallorum expugnata direptaque; et Comum oppidum intra dies paucos captum. Castella inde duodetriginta ad consulem defecerunt. Id quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Boios prius, an Insubres, consul exercitum induxerit, adversamque prospera pugna obliteravit; an victoria, ad Comum parta, deformata clade in Boios accepta sit.

XXXVII. Sub hæc tam varia fortuna gesta[1], L. Furius Purpureo alter consul per tribum Sappiniam in Boios[2] venit. Jam castro Mutilo appropinquabat, quum, veritus ne intercluderetur simul a Boiis Ligu-

bum *ducit* primum quidem inseruit ed. Frob. a. 1535; sed præfuit ei Gelen. qui unicum inspexit codicem.

4. *Quingenta septem signa militaria capta*, forte *quinquaginta septem*, etsi Valerius mirifice numerum augere solet; Gron. Sed etiam *supra quadraginta millia hominum* cecidisse refert; Drakenb.

5. *Claudius in Capitolio Jovi donum in æde*, etc. forte del. *in æde*, aut leg. *Claudius Capitolino*, etc. Crev.— *Castra eo die Gallorum*, etc. in edd. ante Frob. *Postero die Gallorum castra.* — *In Boios prius, an Insubres*, f. *an in Insubres*; Drak.

Cap. XXXVII. 1. *Sub hæc... gesta*; vide ad II, 55, n. 1.

2. *Per tribum Sappiniam in Boios*; vide ad XXVI, 9, n. 8, et XXXI,

Digitized by Google

ribusque, eadem via, qua adduxerat, reduxit[3], et magno circuitu per aperta, eaque tuta loca, ad collegam pervenit. Dein junctis exercitibus primum Boiorum agrum usque ad Felsinam oppidum populantes peragraverunt. Ea urbs cæteraque castella et Boii fere omnes, præter juventutem, quæ prædandi causa in armis erat (tunc in devias silvas recesserat), in deditionem venerunt[4]. In Ligures deinde traductus exercitus. Boii negligentius coactum agmen Romanorum, quia ipsi procul abesse viderentur, improviso aggressuros se rati, per occultos saltus sequuti sunt. Quos non adepti, Pado repente navibus trajecto, Lævos Libuosque[5] quum pervastassent, redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agresti præda in agmen incidunt romanum. Celerius prælium acriusque commissum, quam si tempore locoque, ad certamen destinatis, præparatis animis concurrissent. Ibi, quantam vim ad stimulandos animos ira haberet, apparuit: nam ita cædis magis, quam victoriæ, avidi pugnarunt Romani, ut vix nuntium cladis hosti relinquerent. Ob eas res gestas, consulum literis Romam allatis, supplicatio in triduum decreta est. Brevi post Marcellus Romam venit, triumphusque ei magno consensu Patrum est decretus: triumphavit in magistratu de

2, n. 4. — *Castro Mutilo;* vide supra ad lib. V, cap. 35, n. 4, et lib. XXXI, cap. 2, n. 5.

3. *Eadem via, qua adduxerat, reduxit*, sc. legiones seu exercitum; vide ad I, 23, n. 4. Alterutrum excidisse credebat Duk. — Cod. Bamb. dat, *exercitum eadem via*, quod jam conjecerat Drak. Ed. — *Per aperta loca* (vide ad X, 14, n. 6), *eaque tuta;* al. *eoque;* vide ad I, 11, n. 6. — *Collegæ secunda.* Sed non soli collegæ secunda pugna fuit adversus Boios; jam enim Furius Purpureo junctus fuerat cum Marcello, quum in Boiis dimicarent; quare Goeller. e cod. suo censet reponendum: *cum collega secunda.* Ed.

4. *In deditionem venerunt;* vide ad VIII, 20, n. 7.

5. *Lævos Libuosque;* vide ad V, 35, n. 2 et 3. — *Redeuntes inde Ligurum extremo fine;* vide ad II, 49, n. 10.

Digitized by Google

Insubribus Comensibusque. Boiorum triumphi spem collegæ reliquit, quia ipsi proprie adversa pugna in ea gente evenerat, collegæ secunda. Multa spolia hostium captivis carpentis traducta, multa militaria signa lata, æris trecenta viginti millia, argenti bigati ducenta[6] triginta quatuor millia. In pedites singulos dati octingenti æris[7]; triplex equiti centurionique.

XXXVIII. Eodem anno Antiochus rex, quum hibernasset Ephesi[1] omnes Asiæ civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus: reliquas quidem, aut quia locis planis positæ erant, aut quia parum mœnibus armisque ac juventuti fidebant, haud difficulter jugum accepturas. Smyrna et Lampsacus libertatem usurpabant; periculumque erat, ne, si concessum his foret, quasi tabe[2], Smyrnam in Æolide Ioniaque, Lampsacum in Hellesponto, aliæ urbes sequerentur. Igitur et ipse ab Epheso ad Smyrnam obsidendam misit[3]; et, quæ Abydi copiæ erant, præsidio tantum modico relicto, duci ad Lampsacum oppu-

6. *Argenti bigati ducenta*, etc. vide ad XXII, 52, n. 3.

7. *In pedites singulos dati octingenti æris;* malim *octogeni* (f. *octoginta*): neque enim credibile est, Marcellum plus largitum e præda gallica, quam T. Quintium e macedonica, qui ducenos quinquagenos æris, aut L. Scipionem e syriaca, qui quinos vicenosque denarios (æraria ratione, quadringenos æris) viritim distribuerunt; Gron. — *Triplex equiti centurionique;* vide ad X, 46, n. 8.

Cap XXXVIII. 1. *Antiochus rex, quum hibernasset Ephesi*, quam, post alias Asiæ Minoris, inpr. Ciliciæ ac Lyciæ urbes, Ptolemæo eripuerat. Conf. Polyb. XVIII, 32, et Hieron. comm. ad Daniel. c. 11. — *In antiquam imperii formulam redigere;* vide ad XXVI, 24, n. 5.

2. *Quasi tabe* (ne illa velut pestis regni sui ad plures serperet; conf. ad II, 23, n. 6) ex emend. Gron. recepi. *Quos metuebat* et *quos in Theba* inepte edd. rel. *quod metuebat* conj. Dujat.— De omnibus his conjecturis tacere se profitetur Goeller. quia omnis dubitatio sublata est scriptura MS Bamb. *ne, si concessum his foret, quod intenderent, Smyrnam*, etc. Jacobs putat, in lectione *quos in Theba* manifesta esse vestigia verbi *intendebant;* nam etiam indicativus modus hic haberet locum, non adversante Kreyssigio. Ed.

3. *Ad Smyrnam obsidendam misit* copias, e seqq.

Digitized by Google

gnandum jussit. Nec vi tantum terrebat; sed, per legatos leniter alloquendo castigandoque temeritatem et pertinaciam, spem conabatur facere, brevi, quæ peterent, habituros[4], sed quum satis et ipsis et omnibus aliis appareret, ab rege impetratam eos libertatem, non per occasionem raptam, habere. Adversus quæ respondebant, *Nihil neque mirari, neque succensere Antiochum debere, si spem libertatis differri non satis æquo animo paterentur.* Ipse initio veris, navibus ab Epheso profectus, Hellespontum petit; terrestres copias[5] Madytum trajicit, Chersonesi urbem; terrestri navalem exercitum junxit: et, quia clauserant portas, circumdedit mœnia armatis, et jam opera admoventi[6] deditio est facta. Idem metus tum incolentes alias Chersonesi urbes in deditionem dedit. Lysimachiam inde omnibus simul navalibus terrestribusque copiis venit. Quam quum desertam[7] ac stratam prope ruinis invenisset (ceperant autem direptamque incenderant Thraces paucis ante annis), cupido eum restituendi nobilem urbem et loco sitam opportuno cepit. Itaque omni cura simul est aggressus, et tecta murosque restituere, et partim redimere servientes Lysimachienses, partim fuga sparsos per Hellespontum Chersonesumque conquirere contrahereque, partim

4. *Spem conabatur facere, brevi, quæ peterent,* libertatem, se *habituros, sed* tum demum, *quum satis... appareret,* manifestum esset, se *ab rege impetratam,* etc., hanc libertatem non vi et rebellione partam, sed regium munus esse. *Quam peterent* malebat Gron. — *Per occasionem;* vide ad I, 11, n. 1.

5. *Terrestres copias Madytum trajecit,* etc. locum sic e codicis sui vestigiis persanare tentat Goeller. *terrestres copias trajici Abydo in* (istud deleret Kreyssig.) *Chersonesum jussit. Quum ad Madytum, Chersonesi urbem, terrestri navalem exercitum junxisset,* etc. Ed.

6. *Et jam opera admoventi;* f. *sed jam,* Gron. — *Tum incolentes* voces otiosæ, et inelegantes, in quibus vitium latet; Crev.

7. *Quam quum desertam,* etc. conf. cap. 40 extr. Vid. Polyb. XVII, 4; XVIII, 34, et Appian. Syr. 1.

Digitized by Google

novos colonos, spe commodorum proposita, adscribere, et omni modo frequentare[8]. Simul ut Thracum submoveretur metus, ipse parte dimidia terrestrium copiarum ad depopulandum proxima Thraciæ est profectus: partem navalesque socios omnes reliquit in operibus reficiendæ urbis.

XXXIX. Sub hoc tempus et L. Cornelius, missus ab senatu ad dirimenda[1] inter Antiochum Ptolemæumque reges certamina, Selymbriæ substitit; et decem legatorum[2] P. Lentulus a Bargyliis, P. Villius et L. Terentius a Thaso, Lysimachiam petierunt. Eodem et a Selymbria L. Cornelius et ex Thracia post paucos dies Antiochus convenerunt. Primus congressus cum legatis, et deinceps invitatio benigna et ho-

8. *Omni modo frequentare* urbem; vide ad X, 11, n. 3.

Cap. XXXIX. 1. *L. Cornelius, missus ab senatu ad dirimenda*, etc. diversus a Cn. Cornelio cap. 35, non idem, quod putabat Appian. Syr. 3, etsi non aliunde notus. Conf. Polyb. XVIII, 32, 33, et Appian. Syr. 2, 3. — *Selymbria* Thraciæ opp. ad Propontidem; quam rectius Σηλυβρίαν (Σήλυος βρίαν, h. e. Selyis urbem) Thracum lingua dici monent Ptol. III, 11; Strab. VII, 6, 1, pag. 319; et Nicol. Damasc. in Exc. p. 494.

2. *Et decem legatorum* (pro *e decem legatis*, ut apud Polyb. τῶν δέκα) *P. Lentulus a Bargyliis, P. Villius et L. Terentius a Thaso*, etc. ita et Polyb. XVIII, 33. Sed idem cap. 31, et Livius supra cap. 35 pr. dixerant, L. Stertinium discessisse Thasum, P. Villium autem et L. Terentium ad Antiochum regem. Dukerus: «Non invenio, inquit, quomodo hoc expediri possit, nisi putandum est, Villium et Terentium, quum in itinere audissent, Antiochum ex Asia in Chersonesum trajecisse, omisso itinere, quod ad eum ingressi fuerant, Thasum venisse». Nota Schweigh. ad Polyb. est hæc: «Nos vero non tam miramur, quo pacto legati ad Antiochum missi, qui eum in Chersoneso versari ex legatis ejus (vid. Polyb. XVIII, 30, 1-4), cognoscere potuerant, *Thaso* in Thraciam advenerint (quandoquidem consentaneum erat, primum cum eo collega, qui ad liberandum Thasum missus est, Thasum, quæ prope Thraciam est, navigasse, et inde porro ad Antiochum profectos); quam quod eodem tempore, quo hi *Selymbriam* in Thraciam venerunt, advenerit etiam *P. Lentulus*, qui in partem oppositam longissimeque hinc remotam, *Bargylia* in Cariam, erat missus, ad Græcos ejus regionis a Philippi dominatu liberandos». Forte serius is lentiusve cæteris iter fecit in Cariam, atque deinde, certior factus de Antiochii profectione in Thraciam, eo properavit.

Digitized by Google

spitalis fuit. Ut de mandatis statuque præsenti Asiæ agi cœptum est, animi exasperati sunt. Romani, omnia acta ejus, ex quo tempore e Syria classe solvisset, displicere senatui, non dissimulabant, restituique Ptolemæo[3] civitates omnes, quæ ditionis ejus fuissent, æquum censebant. *Nam quod ad eas civitates attineret, quas a Philippo possessas Antiochus per occasionem, averso Philippo in romanum bellum, intercepisset*[4], *id vero ferendum non esse, Romanos per tot annos terra marique tanta pericula ac labores exhausisse, Antiochum belli præmia habere. Sed ut in Asiam adventus ejus dissimulari ab Romanis, tamquam nihil ad eos pertinens, potuerit; quod jam etiam in Europam omnibus navalibus terrestribusque copiis transierit, quantum a bello aperto Romanis abesse? Illum quidem, etiamsi in Italiam trajiciat, negaturum.*

XL. Ad ea rex[1], *Satis jam ante videre se, Romanos inquirere, quid regi Antiocho faciendum; at, quousque terra marique progrediendum fuerit ipsis, non cogitare. Asiam nihil ad populum romanum pertinere; nec magis illis inquirendum esse, quid Antiochus in Asia, quam Antiocho, quid in Italia populus romanus faciat. Quod ad Ptolemæum attineat, cui ademptas civitates querantur; sibi cum Ptolemæo et amicitiam esse, et id agere se, ut brevi etiam affinitas jungatur*[2]. *Nec ex Philippi quidem*[3] *adversa for-*

3. *Restituique Ptolemæo*, etc. conf. Polyb. XVIII, 33; Appian. Syr. 3.

4. *Per occasionem... intercepisset;* vide ad I, 11, n. 1, et III, 72, n. 2.— *Sed ut in Asiam*, etc. vide ad II, 38, n. 3. — *A bello aperto Romanis:* immo *cum Romanis;* Gron. — Cod. Bamb. *a bello aperte Romanis indicto abesse;* quod melius est et facilius. Ed.

Cap. XL. 1. *Ad ea rex*, etc. conf. Appian. Syr. 3; Polyb. XVIII, 34, et simil. loc. ej. V, 67.

2. *Ut brevi etiam affinitas jungatur;* vid. XXXV, 13.

3. *Nec* (immo *Ne* Drak. et Duk.) *ex Philippi quidem... aut adversus Romanos in Europam trajecisse. Chersonesum, quæ Lysimachi fuerit, quo*

Digitized by Google

*tuna spolia ulla se petisse; aut adversus Romanos in Europam trajecisse. ***** fuerit (quo victo omnia, quæ illius fuissent, jure belli Seleuci facta sint), existimare suæ ditionis esse. Occupatis majoribus suis rerum aliarum alia cura*[4]*, primo quædam ex his Ptolemæum, deinde et Philippum, usurpando aliena possedisse; sicut quædam ex proxima Thracia, quæ indubitate Lysimachi fuerint*[5]*. Ad ea facienda*[6] *in antiquum venisse; et Lysimachiam*[7]*, deletam Thracum*

victo, etc. ita bene lacunam h. l. explet Ruben. ex Polyb. XVIII, 34: neque opus est plura supplere cum aliis; nam reliqua Polybii verba mox expressit Livius. *Seleucus* Nicator, qui post Alexandri M. mortem, victis Antigono et Lysimacho, regnis et illius (Syria et Cœlesyria) et hujus (Chersoneso Thraciaque) potitus est (vid. Polybius, V, 67; XVIII, 34; XXVIII, 17), pater fuit Antiochi Soteris, avus Antiochi Dei, proavus Seleuci Callinici, abavus Seleuci Cerauni et Antiochi M., cujus filii fuere Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes et alii. Conf. Polyb. II, 71; IV, 48; V, 40. Sic Duker. infra ad XXXIV, 58; ubi Crev. monet, *proavum* proprium et recte dici, quia Antiochus Soter et Antiochus Deus seu Theon fratres fuerint teste Appiano Syr. cap. 65. Hunc Appiani locum etiam ab aliis ita intellectum esse, sed manifeste contrarium docere, ibi jam ostendit Schweigh.

4. *Occupatis majoribus rerum aliarum alia cura:* malim *aliarum aliis* vel *ex aliis cura* (ut VII, 39, *alias ex aliis fingendo moras*); Gron.

5. *Quæ indubitate Lysimachi fuerint:* vox *indubitate* suspecta est viris doctis. Conf. Drak. ad h. l. et Ruhnken. ad Vell. II, 60.

6. *Ad ea facienda*, redigenda, *in antiquum* statum, ad veterem eorum conditionem restituendam, *venisse* se. Non bene expressa est hæc sententia: minus vero satis facit explicatio Ernesti, cujus nota est: «Manifeste data opera verbum *faciendi* sæpe repetitum est in oratione regis, in eaque repetitione sane mira elegantia est agnoscenda. *Antiquum* vero substantive acceptum, ut V, 33 extr. et *pacatum*, *hosticum*, etc. subintellecto *loco*, *solo*, *dominio*, *sinu*, *angulo*, etc. (conf. VI, 31, n. 3; VIII, 12, n. 11, al.) cum *venisse* conjungatur, ut sensus sit: Romanis inquirentibus et, quid mihi *faciendum* esset, et quid ego in Asia *facerem*, quæ jure belli *facta* erant Seleuci, sed postea a majoribus meis neglecta, ad ea *facienda*, nec negligenda, et usurpatoribus eripienda, *in antiquum*, sc. dominium *veni*». Sic verba *ad ea facienda* male cohærent cum præcedd.; nam hæc ad ea tantum spectant, quæ alii fecerunt. *Ad ea redigenda in antiquum jus* vel *statum* conj. Gron. Sufficeret pro *facienda* substituisse *potiunda* aut *vindicanda*.

7. *Lysimachiam, deletam Thracum impetu;* vide ad XXXII, 33, n. 13, et XXXIII, 38, n. 6. Lysimachia primum, victo Lysimacho, Thraciæ

Digitized by Google

impetu, de integro condere, ut Seleucus filius eam sedem regni habeat.

XLI. His disceptationibus per dies aliquot habitis, rumor sine ullo satis certo auctore[1] allatus de morte Ptolemæi regis, ut nullus exitus imponeretur sermonibus. Nam dissimulabat pars utraque se audisse; et L. Cornelius, cui legatio ad duos reges, Antiochum Ptolemæumque, mandata erat, spatium modici temporis ad conveniendum Ptolemæum petebat, ut prius, quam moveretur aliquid in nova possessione regni, perveniret in Ægyptum; et Antiochus suam fore Ægyptum, si tum occasio esset[2], censebat. Itaque, dimissis Romanis relictoque Seleuco filio cum terrestribus copiis ad restituendam, ut instituerat, Lysimachiam, ipse omni classe navigans Ephesum, legatis ad Quintium missis[3], qui ad fidem de societate agerent, oram Asiæ legens, pervenit in Lyciam; Patarisque cognito,

rege, occupata a Seleuco Nicatore (vid. Polybius, V, 34; XVIII, 34), deinde ab regibus Ægypti (conf. eadem loca), ab Ætolis (Polybius, XV, 23; XVII, 3), a Philippo (ibid. et XVIII, 34), a Thracibus (vid. sup. ad c. 38, n. 6), et postremo ab Antiocho M. qui urbem, *deletam Thracum impetu, de integro condidit, ut Seleucus* Philopator *filius eam sedem regni haberet* (confer. inf. XXXIV, 58; XXXV, 15, et Polyb. XVIII, 34; XXI, 12).

Cap. XLI. 1. *Rumor sine ullo satis certo auctore*, etc. post *regis* excidisse videtur *effecit;* Gron. aut *fecit* Crev. Conf. Appian. Syr. 4. — Gronovii conjecturam confirmat codex Bamb. Ed.

2. *Suam fore Ægyptum, si tum occasio esset*, forte leg. *si eam occasionem non amisisset*, aut *si tum non cessasset* Gron. *si tum occasioni non deesset* conj. Glar. *si tum occasione usus esset* Duk. *si usus occasione esset* Crev. Malim *si non occasioni deesset*, ut XXII, 39 extr. — In cod. Bamb. legitur *si tum occupasset*. Ed.

3. *Legatis ad Quintium missis*, etc. conf. XXXIV, 25. Pro *ad fidem* Gron. conj. *ibidem*. Sed ubi? Excidisse aliquid in hanc sententiam *ad fidem faciendam, regem nihil adversus Ægyptum tentaturum*, suspicabatur Duk. nam nulla eum re magis fidem facere potuisse Romanis, falsam esse illam suspicionem, quam societatem cum illis ineundo. Forte leg. *data fide* vel *mala fide*, vel *ad speciem*. — Goeller. e MS suo dat, *ad fidem faciendam nihil novaturum regem*. Ed. — *Oram Asiæ legens* (vide ad XXI, 51, n. 6) *pervenit in Lyciam, Patarisque cognito, vivere Ptolemæum, navigandi in*

Digitized by Google

vivere Ptolemæum, navigandi quidem in Ægyptum omissum consilium est. Cyprum nihilominus tendens, quum Chelidonium promontorium [4] superasset, paulisper seditione remigum est retentus in Pamphylia circa Eurymedontem amnem. Inde profectum eum ad capita (quæ vocant) Sari fluminis [5] fœda tempestas oborta prope cum omni classe demersit. Multæ naves ejectæ [6]: multæ ita haustæ mari, ut nemo in terram enaverit. Magna vis hominum ibi interiit, non remigum tantum militumque ignotorum, sed etiam insignium amicorum. Collectis reliquiis naufragii, quum res non in eo esset, ut Cyprum tentaret [7], minus opulento agmine, quam profectus erat, Seleuciam redit. Ibi subduci navibus jussis [8] (jam enim et hiems instabat), ipse in hiberna Antiochiam processit. In hoc statu regum erant res.

XLII. Romæ eo primum anno triumviri epulones

Æ. omissum consilium est; vide ad XXXVI, 31, n. 4. *Cognito;* vide ad I, 41, n. 10. — *Cyprum tendens;* vide ad lib. IV, cap. 19, n. 1, et lib. X, cap. 37, n. 1.

4. *Chelidonium promontorium* Lyciæ ad radices Tauri montis, hodie *Capo Cameroso*, objectum tribus insulis Chelidoniis vel Chelidoneis; vid. Strab. XIV, p. 666; Mel. I, 15, II, 7; Plin, V, 27 et 31, seu 35.

5. *Sari fluminis*, quod e Cappadocia in Ciliciam, ibique in mare fluit; vid. Strab. XII, p. 535, 536; Ptol. V, 8; Plin. V, 27 seu 22; VI, 3, et Steph. Conf. Appian. Syr. 4. — *Capita.* Non intelligendos fontes monet Creverius, sed potius tumulos quosdam fortasse ac rupes in litore ad Sari ostia; quemadmodum Κυνὸς κεφαλαὶ in Thessalia sunt montes atque tumuli. Ed.

6. *Multæ naves ejectæ;* vid. XXI, 49, n. 3. — Cod. Bamb. dat, *multæ fractæ, multæ naves;* unde Goeller. suspicatur leg. *multæ ejectæ, multæ fractæ naves.* Jacobs vero et Kreyssig. *multæ fractæ, multæ ejectæ naves.* Ejectæ naves dicuntur, quæ tempestate auferuntur eo quidem, ubi nondum fuerant, nec quo tetenderant. Erd. gloss. voc. *ejicere.* Ed.

7. *Ut Cyprum tentaret;* vide ad IX, 35, n. 1.

8. *Subduci navibus jussis;* vide ad VIII, 26, n. 1. — *Jam enim et hiems instabat:* illud *et* recte inserunt ed. Mogunt. et proximæ, ut ita hæc altera classem subducendi causa detur, quod hiems instaret, quum prima foret, quod maxima navium pars naufragio amissa esset; Drak. — *In hoc statu regum erant res,* Philippi et Antiochi.

Digitized by Google

facti[1], C. Licinius Lucullus tribunus, qui legem de creandis his tulerat, P. Manlius et P. Porcius Læca. His triumviris, item ut pontificibus, lege datum togæ prætextæ habendæ jus[2]. Sed magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quæstoribus urbanis, Q. Fabio Labeoni et L. Aurelio. Pecunia opus erat, quod ultimam pensionem pecuniæ[3] in bellum collatæ persolvere placuerat privatis. Quæstores ab auguribus pontificibusque, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant. Ab sacerdotibus tribuni nequidquam appellati, omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est. Eodem anno duo mortui pontifices, novique in eorum locum sublecti, M. Marcellus consul in locum C. Sempronii Tuditani, qui prætor in Hispania decesserat, et L. Valerius[4] in locum M. Cornelii Cethegi. Et Q. Fabius Maximus augur mortuus est admodum adolescens, prius quam ullum magistratum caperet : nec eo anno augur in ejus

Cap. XLII. 1. *Romæ eo primum anno triumviri epulones* (vid. XXV, 2, n. 7) *facti :* cur? Vid. Cic. Orat. III, 19. Postea septemviri epulones instituti. Conf. Gell. I, 12.

2. *Togæ prætextæ habendæ jus;* vide ad XXVII, 37, n. 7.

3. *Ultimam pensionem pecuniæ*, etc. vide ad XXXI, 13, n. 1. — *Quæstores ab auguribus*, etc. nota Dukeri est : « Cur ab his solis, quum certamen esset cum omnibus sacerdotibus? An dicendum est, cæteros deinde ultro destitisse certamine, augures et pontifices, quod fortassis se jure majoris sacerdotii immunes esse putarent, pertinacius in eo perseveravisse? Stewech. ad Veget. III, 3, scribit, pontifices, augures, reliquosque sacerdotes tum stipendium dare coactos, quamvis ante non dedissent; et Guther. de vet. jur. Pontif. I, 28, ab iis, ut ab aliis civibus, stipendium extortum esse. Crederem, si docuissent, iis lege immunitatem concessam fuisse. Nam quod Dionys. II, 21, tradit, Romulum sacerdotes negotiorum urbanorum immunes fecisse, id de muneribus personalibus, non patrimonialibus, quæ vocant jurisconsulti, accipi nihil vetat. Verba Livii *omnium annorum, per quos non dederant, exactum est*, argumento sunt, eos, quum ante, ut alii cives, dedissent, ab aliquot annis immunitatem usurpasse ». — *Per bellum non contulissent;* vide ad II, 18, n. 1.

4. *L. Valerius* Flaccus *in locum Cethegi* pontifex, de cujus morte vid. XL, 42. Diversus forte a L. Valerio

Digitized by Google

locum est suffectus. Comitia inde consularia habita a M. Marcello consule: creati consules L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato. Prætores inde facti C. Fabricius Luscinus, C. Atinius Labeo, Cn. Manlius Vulso, Ap. Claudius Nero, P. Manlius, P. Porcius Læca. Ædiles curules, M. Fulvius Nobilior et C. Flaminius, tritici decies centum millia[5] binis æris populo diviserunt: id C. Flaminii honoris causa, ipsius patrisque, advexerant Siculi Romam. Flaminius gratiam ejus communicaverat cum collega. Ludi Romani et apparati magnifice sunt, et ter toti instaurati. Ædiles plebis, Cn. Domitius Ahenobarbus et C. Scribonius[6] Curio, multos pecuarios ad populi judicium adduxerunt. Tres ex his condemnati sunt; ex eorum mulctaticia pecunia ædem in Insula Fauni[7] fecerunt. Ludi plebeii per biduum instaurati, et epulum fuit ludorum causa.

XLIII. L. Valerius Flaccus et M. Porcius, quo die magistratum inierunt, de provinciis quum ad senatum retulissent, Patres censuerunt, *Quum in Hispania tantum glisceret bellum, ut jam consulari et duce et exercitu*[1] *opus esset, placere, consules Hispaniam*

Flacco, quem consulem creatum mox dicit Livius.

5. *Tritici decies centum millia binis æris populo diviserunt;* vid. XXXI, 50, n. 1, et XLIII, 6, n. 1.—Decies centum millia modiorum rom. efficiunt, secundum Creverii rationes, circiter modios nostrates 770,833, sive paulo plus 64,236 sextarios. Bini asses sunt octava pars denarii, dimidia vero sestertii, sive argenti novem grana. Ed.

6. *C. Scribonius Curio* ex emend. Drak. pro vulg. *C. Scribonius curio maximus;* nam is fuit alius, aut creatus certe a. U. 578, mortuo C. Mamilio Vitulo. Conf. XXVII, 8, et XLI, 21. — Goelleri nota est: « Quid? si verba, *curio maximus*, pro una voce *curio*, cognominis loco posita esse accipiamns. Ex eadem familia fuerunt C. Curio consul, qui de Macedonia triumphavit, et C. Curio filius, tribunus plebis, ad quem sunt epistolæ Cic. lib. II ad Famil. » Ed. — *Multos pecuarios ad populi*, etc. vide ad X, 23, n. 11.

7. *Ædem Fauni fecerunt in Insula* Tiberina, inter campum Martium et Janiculum, de qua vid. II, 5.—*Epulum* Jovis; quæ vox forte excidit.

Cap. XLIII. 1. *Consulari et duce et*

Digitized by Google

citeriorem et Italiam provincias aut comparare inter se, aut sortiri[2]. *Utri Hispania provincia evenisset, eum duas legiones et quinque millia socium latini nominis et quingentos equites secum portare, et naves longas viginti*[3] *ducere. Alter consul duas legiones scriberet: his Galliam provinciam obtineri satis esse, fractis proximo anno Insubrium*[4] *et Boiorum animis.* Cato Hispaniam, Valerius Italiam est sortitus. Prætores deinde provincias sortiti, C. Fabricius Luscinus urbanam, C. Atinius Labeo peregrinam, Cn. Manlius Vulso Siciliam, Ap. Claudius Nero Hispaniam ulteriorem, P. Porcius Læca Pisas[5], ut ab tergo Liguribus esset: P. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur. T. Quintio, suspectis non solum Antiocho et Ætolis, sed etiam Nabide Lacedæmoniorum tyranno, prorogatum in annum imperium est, duas legiones ut haberet. In eas si quid supplementi opus esset, consules scribere et mittere in Macedoniam jussi. Ap. Claudio præter legionem, quam Q. Fabius habuerat, duo millia peditum et ducentos equites novos conscribere permissum. Par numerus peditum equitumque novorum P. Manlio in citeriorem Hispaniam decretus; et legio eadem, quæ fuerat sub Minucio prætore, data. Et P. Porcio Læcæ ad Etruriam circa Pisas duo millia peditum et quingenti equites ex Gallico exercitu decreti. In Sardinia prorogatum imperium Sempronio Longo.

exercitu; vide supra ad X, 25, n. 9.

2. *Comparare inter se aut sortiri;* vide ad III, 2, n. 1.

3. *Naves... ducere;* v. XXI, 17, n. 5.

4. *Fractis proximo anno Insubrium,* etc. vid. XXXII, 30, 31.

5. *P. Porcius Læca Pisas;* vide ad II, 40, n. 9. — *Ab tergo Liguribus* Apuanis. Conf. Jac. Gron., et Noris. ad Cenot. Pis. I, 1, p. 8. — *Adjutor consuli datur,* f. *datus,* ut paulo ante *sortiti;* Duk. — *Duo millia ped.* Cod. Bamb. auget numerum, datque *decem millia ped.* Idque verosimilius videtur Goellero, propter numerum quingentorum equitum. Ed. — *Ex gallico*

Digitized by Google

XLIV. Provinciis ita distributis, consules, priusquam ab Urbe proficiscerentur, ver sacrum ex pontificum jussu fecere[1], quod A. Cornelius Mammula prætor voverat de senatus sententia populique jussu, Cn. Servilio, C. Flaminio consulibus. Annis post uno et viginti factum est, quam votum. Per eosdem dies C. Claudius, Ap. filius, Pulcher, augur in Q. Fabii Maximi locum, qui priore anno mortuus erat, lectus inauguratusque est. Mirantibus jam vulgo hominibus, quod Hispania movisset, bellum negligi[2], literæ a Q. Minucio allatæ sunt, *Se ad Turbam oppidum cum Budare et Besaside, imperatoribus hispanis, signis collatis prospere pugnasse: duodecim millia hostium cæsa; Budarem imperatorem captum; cæteros fusos fugatosque.* His literis lectis, minus terroris ab Hispanis erat, unde ingens bellum exspectatum fuerat. Omnes curæ, post adventum utique[3] decem legatorum, in Antiochum regem conversæ. Hi, expositis prius, quæ cum Philippo acta essent, et quibus legibus data pax, non minorem belli molem restare ab Antiocho docuerunt. *Ingenti classe, egregio terrestri exercitu, in Europam eum trajecisse. Nisi avertisset vana spes,*

exercitu, quem Valerius cos. adversus Gallos ducturus erat; Glar.

Cap. XLIV. 1. *Ver sacrum... fecere, quod*, etc. vide ad XXII, 9, n. 9. Dodwell. de Cyclis, Diss. X, § 40, 41, erroris arguit Livium. Sed vid. Duker. qui tamen negligentiæ accusat Livium, quod *ludos magnos*, a senatu simul decretos, neque h. l. neque XXXIV, 44, factos memoraverit. — *Ex pontificum jussu.* Cod. Bamb. *ex decreto pontificum jussi.* Ed. — *Annis post uno et viginti;* tot consulum paria intersunt: unde patet, Livium neutrum annum, quo votum susceptum solutumque est, comprehendisse; Drak. qui et conf. infra ad librum XLII, cap. 10, n. 5.

2. *Bellum negligi.* Locus ita apparet in Bamb. MS, *quod quum Hispania movisset, bellum negligerent*, scilicet Ap. Claudius et P. Manlius. Vulgatam Gelenius ait esse veram lectionem; sed, quod notat Goellerus, non indicavit, unde veram quam dicit lectionem sumpserit. Ed. — *Literæ a Minucio allatæ*, etc. vid. VIII, 9, n. 10.

3. *Post adventum utique* (vide ad II, 30, n. 1) *decem legatorum*, de quibus vid. cap. 24, 30, 34, 35, 39.

Digitized by Google

ex vaniore rumore orta[4], *Ægypti invadendæ, mox bello Græciam arsuram fuisse. Neque enim ne Ætolos quidem quieturos, quum ingenio inquietam*[5], *tum iratam Romanis gentem. Hærere et aliud in visceribus Græciæ*[6] *ingens malum, Nabin, nunc Lacedæmoniorum, mox, si liceat, universæ Græciæ futurum tyrannum, avaritia et crudelitate omnes fama celebratos tyrannos æquantem. Cui si Argos, velut arcem Peloponneso impositam, tenere liceat, deportatis in Italiam romanis exercitibus, nequidquam liberatam a Philippo Græciam fore, pro rege, si nihil*[7] *aliud, longinquo vicinum tyrannum dominum habituram.*

XLV. Hæc quum jam ab gravibus auctoribus, tum qui omnia per se ipsos explorata referrent, audirent majores[1]; quod ad Antiochum attineret, maturanda his, quum rex quacumque de causa in Syriam concessisset, de tyranno consultatio visa est. Quum diu disceptatum esset, utrum jam causæ satis videretur, cur decerneretur, an permitterent T. Quintio; quod ad Nabin Lacedæmonium attineret, faceret, quæ e republica censeret esse, permiserunt; eam rem esse rati, quæ maturata dilatave non tam magni momenti

4. *Ex vaniore rumore orta*, etc. vid. cap. 41 pr.

5. *Quum ingenio inquietam*, etc. vide ad XXVI, 25, n. 6.

6. *In visceribus Græciæ*, etc. vide ad XXII, 38, n. 4.

7. *Pro rege, si nihil aliud* fit, saltem *longinquo.*

Cap. XLV. 1. *Audirent majores*, insolenter dictum pro *majores natu* vel *seniores* Patrum; et in edd. vett. ante Frob. a. 1531 legitur *audirentur.* Hinc bene emend. Jac. Periz. *Hæc quum tum ab gravibus auctoribus, tum... referrent, audirentur, major res, quod ad Antiochum attineret, maturanda magis, quum rex*, ete. Ita sensus est: *major* quidem *res*, scilic. *visa est* (id ex seqq. revocandum), quod ad Antiochum attineret, sed maturanda magis, etc. Verbis transpositis et inserta voce *dilato* conj. Gron. *maturanda his (quod ad Antiochum attineret, quum rex..... concessisset, dilato) de tyranno*, etc. — *Faceret, quæ e republica censeret esse, permiserunt;* vide ad XXII, 39, n. 1. *Facere* malebat Gronov. ut XXXIV, 34 extr. et mox (ut et XXXVI, 34) *summam rempublicam pop. rom.* vide

Digitized by Google

ad summam rem populi romani esset. Magis id animadvertendum esse, quid Hannibal et Carthaginienses, si cum Antiocho ortum foret bellum, acturi essent. Adversæ Hannibali factionis homines principibus romanis, amicis quisque suis, idemtidem scribebant, *Nuntios literasque ab Hannibale ad Antiochum missas, et ab rege ad eum clam legatos venisse. Ut feras quasdam nunquam mitescere*[2]; *sic immitem, implacabilem ejus viri animum esse. Marcescere otio situque civitatem, queri eum, et inertia operis; nec sine armorum sonitu excitari posse.* Hæc probabilia memoria prioris belli, per unum illum non magis gesti, quam moti, faciebat. Irritaverat etiam recenti[3] facto multorum potentium animos.

XLVI. Judicum ordo Carthagine ea tempestate dominabatur; eo maxime[1], quod iidem perpetui judices erant. Res, fama, vitaque omnium in illorum potestate erat: qui unum ejus ordinis, idem omnes adversos habebat; nec accusator apud judices infensos

ad III, 5, n. 6. Eidem multo rotundior videbatur lectio cod. Mogunt. *eam rem rati maturatam dilatamve non magni m. ad s. r. p. r. esse.* Sed vid. Drak. qui monet, Livii lacteam ubertatem non minus laudari, quam concisam rotunditatem, et vocem *tam* ab omnibus fere edd. antt. et MS additam esse, Livium vero *non tam magni momenti* dixisse pro: non admodum, non valde magni momenti.

2. *Ut feras quasdam nunquam mitescere*, pro *ut feræ mitescant.* — In cod. Bamb. legitur *nulla mitescere arte*, quod elegantius dicitur, quam *nunquam.* Ed.—*Marcescere otio situque*, inertia, segnitie, *civitatem;* vide ad XXIII, 45, n. 1, et ad Sil. VIII, 20. — *Et inertia operis:* verba vix latina (etsi *inertia laboris* dicta sit Cic. pro Q. Roscio, cap. 8), et forte inepta τοῦ *situque* glossa. Ingeniose tamen pro *operis* tum *sopiri* conj. Ruben., tum *torpere* Bauer. qui hoc prope aptius monet esse voci *inertiæ*, sicut illud sequenti verbo *excitari.* — *Sopiri* legitur in codice Bamb. quem locum pro virili parte restituere et illustrare conatur Kreyssig. in epistola ad Goellerum. Ed.

3. *Recenti facto*, quod mox memoratur cap. 46.

Cap. XLVI. 1. *Eo maxime;* vide ad I, 11, n. 6.—*Qui unum ejus ordinis* adversum sibi, *idem*, etc. — Goeller. e codice suo dat, *qui unum ejus ordinis offendisset;* quæ ultima vox in editis nusquam apparet. Ed.

Digitized by Google

deerat. Horum in tam impotenti regno[2] (neque enim civiliter nimiis opibus utebantur) prætor factus Hannibal vocare ad se quæstorem. Is rem pro nihilo habuit[3]; nam et adversæ factionis erat, et, quia ex quæstura in judices, potentissimum ordinem, referebantur, jam pro futuris mox opibus animos gerebat. Enimvero indignum id ratus Hannibal, viatorem ad prehendendum quæstorem misit; subductumque in concionem[4], non ipsum magis, quam ordinem judicum, præ quorum superbia atque opibus nec leges quidquam essent, nec magistratus, accusavit: et, ut secundis auribus accipi orationem animadvertit, et infimorum quoque libertati gravem esse superbiam eorum, legem extemplo promulgavit, pertulitque, *Ut in singulos annos judices legerentur, ne quis biennium*[5] *continuum judex esset.* Cæterum quantam eo facto ad plebem inierat gratiam, tantum magnæ partis principum offendebat animos. Adjecit aliud, quod, bono publico, sibi proprias simultates irritavit. Vectigalia publica partim negligentia dilabebantur[6], partim prædæ ac divisui principum quibusdam et magistratibus erant: quin et pecunia, quæ in stipendium Ro-

2. *Horum in tam impotenti regno;* vide ad III, 36, n. 2. — *Non civiliter opibus utebantur;* vide ad VII, 5, n. 2. — *Prætor factus Hannibal,* ut *prætor* Epit. 50; *consul* apud Justin. XXXI, 2, § 6; et *rex* apud Nep. Hann. 7 (ubi cf. *Tzschucke*) pro sufete. Conf. ad VI, 42, n. 7, et XXVIII, cap. 27, not. 3.

3. *Is rem pro nihilo habuit* edidi ex emend. Periz. pro vulg. *Idem p. n. h.* Minus placebit Gronovianum *Id is.*— *Ex quæstura in judices referebantur,* egebantur, scilic. homines, hoc est, quæstores.

4. *Subductumque in concionem,* quia in loco forsan superiore statutus est; nisi leg. *productumque;* Gron. — *Præ quorum superbia,* propter q. superbiam; sed vox *præ* abest ab edd. vett. ante Frob. a. 1531, neque necessaria videtur; Drak.

5. *Ne quis biennium,* etc. forte *neve* vel *neu;* Duk. et Bauer. Ille etiam mox malebat *offenderat.*

6. *Vectigalia publica negligentia dilabebantur,* etc. vide ad VII, 20, n. 3, et conf. Nep. Hann. 7. — *Divisui fuere;* vide supra ad librum I, cap. 54, n. 6.

Digitized by Google

manis suo quoque anno[7] penderetur, deerat, tributumque grave privatis imminere videbatur.

XLVII. Hannibal postquam, vectigalia quanta terrestria maritimaque essent, et in quas res erogarentur, animadvertit, et quid eorum ordinarii reipublicæ usus[1] consumerent, quantum peculatus averteret; omnibus residuis pecuniis[2] exactis, tributo privatis remisso, satis locupletem rempublicam fore ad vectigal præstandum Romanis, pronuntiavit in concione, et præstitit promissum. Tum vero isti, quos paverat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi et irati Romanos in Hannibalem, et ipsos causam odii quærentes, instigabant. Itaque, diu repugnante Scipione Africano[3], quia parum ex populi romani dignitate esse ducebat, subscribere odiis accusationibusque Hannibalis, et factionibus Carthaginiensium inserere pu-

7. *Suo quoque anno*, lego *quæque;* Gron. Conf. ad III, 22, n. 5.

Cap. XLVII. 1. *Ordinarii reip. usus*, perpetuæ, annuæ, solennes ejus necessitates.—*Quantum peculatus averteret;* vide ad I, 7, n. 6. *Peculatus* furtum seu interceptio pecuniæ, inpr. publicæ vel sacræ; qui mox *publicus peculatus* dicitur. Conf. Gron. Obss. IV, 5.

2. *Omnibus residuis pecuniis*, nondum solutis et in tabulas relatis, vel datis ex ærario magistratibus, ut in usum publicum consumerentur, ab his autem oppressis et in rem suam conversis.

3. *Scipione Africano*, *quia parum*, etc. forte *qui parum;* Crev. — *Subscribere odiis accusationibusque Hannibalis*, adjuvare adversarios accusatoresque Hann. (vide ad X, 22, n. 4), et inhonestas horum partes simul agere: ad cujus rei indignitatem adumbrandam pertinent etiam verba *velut accusatores calumniam in eum jurare* (h. e. jusjurandum de calumnia, se non calumniæ vel rei vexandi causa eum accusasse; de quo vide ad Tacit. Ann. XIV, 41, n. 4; Sigon. de Judic. II, 10; Ernesti clav. Cic.), *ac nomen* ejus *deferre;* vide ad IX, 26, n. 5. « Illud elegantissime dictum, quum proprie, quia *primo* loco et præcipui Hannibalem alii accusabant domi, ut jam subscriptores seu *secundarii* actores fierent Romani, tum contemptim, quasi famulaturi essent Pœnis Hannibali inimicis, et velut in jure, ad tribunal, proditurí accusatores. Nil opus legere cum Gron. *accusatorum Hannibalis* vel *accusantium Hannibalem*. Quis enim hæc mutasset? Non idem certe sunt *odia* et *accusationes* »; Bauer. *Accusationes Hannibalis*

Digitized by Google

blicam auctoritatem, nec satis habere bello vicisse Hannibalem, nisi velut accusatores calumniam in eum jurarent ac nomen deferrent, tandem pervicerunt, ut legati Carthaginem mitterentur, qui apud senatum eorum arguerent, Hannibalem cum Antiocho rege consilia belli faciendi inire. Legati tres missi[4], C. Servilius, M. Claudius Marcellus, Q. Terentius Culleo. Qui quum venissent, ex consilio inimicorum Hannibalis, quærentibus causam adventus dici jusserunt, venisse ad controversias, quæ cum Masinissa rege Numidarum Carthaginiensibus essent, dirimendas. Id creditum vulgo. Hannibalem unum se peti ab Romanis non fallebat, et ita pacem Carthaginiensibus datam esse, ut inexpiabile bellum adversus se unum maneret[5]. Itaque cedere tempori et fortunæ statuit, et, præparatis jam omnibus ante ad fugam, obversatus eo die in foro[6] avertendæ suspicionis causa, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus ignaris consilii est egressus.

XLVIII. Quum equi, quo in loco jussi erant[1], præsto fuissent, nocte via cita regionem quamdam agri Vo-

passive dici, quæ ei intententur, monet Drak.—*Factionibus C. inserere publicam auctoritatem;* vide ad VI, 38, n. 4. — *Nec satis habere bello vicisse H., nisi jurarent,* etc. vide ad VI, 14, n. 10.

4. *Legati tres missi,* etc. confer. Justin. XXXI, 2, qui non nisi unum eumque *Cn. Servilium* nominat.

5. *Ita pacem C. datam esse, ut... maneret;* vide ad I, 17, n. 5.

6. *Obversatus eo die in foro;* vide ad XXIV, 23, n. 2. Conf. Justin. l. l. et Nep. Hann. 7. — *Vestitu forensi,* quo *in foro* usus erat, et quo summi magistratus ibi solent uti. *Vestes forenses* Romanis dicebantur quibus, vel *in foro* vel *foras* uti solebant, togæ; iisque opponuntur *domesticæ* tunicæ; v. c. apud Suet. Aug. 73, ut forensis exercitatio domesticæ in præf. Colum. lib. XII.

Cap. XLVIII. 1. *Quo in loco jussi erant* ex ed. Vascos. In Mog. *quo in loco fuerunt;* in Frob. a. 1535 *fuerant.—Nocte via cita regionem quamdam agri Vocani* prorsus ignoti. *Volani* conj. Doujat. et *Vaccani* Drak. *Vol* locus in Africa propria non procul Tunete apud Polyb. IV, 3. *Vacca* opp. inter Carthaginem turrimque Hannibalis situm, sed forte longius a

Digitized by Google

cani transgressus, postero die mane inter Achollam et Thapsum ad suam turrim pervenit: ibi eum parata instructaque remigio excepit navis. Ita Africa Hannibal excessit, sæpius patriæ, quam suorum[2] eventus miseratus. Eo die in Cercinam insulam trajecit: ubi quum in portu naves aliquot onerarias cum mercibus invenisset, et ad egressum eum e nave concursus salutantium esset factus; percunctantibus legatum se Tyrum dici jussit. Veritus tamen, ne qua earum navis nocte profecta Thapsum aut Achollam nuntiaret, se Cercinæ visum, sacrificio apparari jusso, magistros navium mercatoresque invitari jussit, et vela cum antennis ex navibus corrogari[3], ut umbra (etenim

Carthagine remotum, quam ut vespera inde profectus proxima nocte ejus agrum transgrederetur. Conf. Hirt. Bell. Afr. cap. 74. *Via cita* ex edd. Frob. a. 1531, *visa cita* Mog. *vi accita* Ald. « *Via cita* quid est? *Itinere cito* feram. Poeticum certe illud est, aut leg. *occulta*, aut *recta*; » Bauer. Possis et suspicari *nocte illa cito regionem*, etc. — Cod. Bamb. locum sic exhibet: *nocte Byzacium, ita regionem quamdam agri vocant.* Pro voc. *agri*, quæ displicet Kreyssig. legi vult *Afri*. De Byzacio vid. Polyb. XII, 1, § 515, ibique interpretes; adi quoque Casaub. ad Strabon II, pag. 193, et Schweigh. ad Polyb. III, 23, § 2. Ed. —*Inter Achollam* (al. *Acollam*, *Acyllam*, *Acillam*, *Ancillam*) *et Thapsum ad suam turrim*, a se denominatam, ad Turrim Hannibalis. Conf. Justin. XXXI, 2, et Plin. II, 71. *Turris*, ut gr. πύργος, est arx, castellum, palatium (germ. *ein Schloss*), amplum magnificumque ædificium, prospectus causa altius exstructum in vineis, villis, hortis, ut turris Timonis (vid. Pausan. I, 30, et Luciani Timon) et Mæcenatiana; vid. Duker. ad h. l. Ernesti ad Suetonium, Ner. 38; Schleusneri Lex. in Nov. Test. voc. πύργος, Broekh. et Heyn. ad Tibull. I, 7, 8 seu 19. *Acholla* opp. vicinum Thapso Syrtique minori; vid. Strab. XVI, 834; Schweigh. ad Appian. B. Pun. 94; Steph. et Ptolem. — Creverius e Plinii loco supra citato intelligit unam ex iis turribus, quas speculandi causa Hannibal in Hispania Africaque exstruxerat; sed Doer. per *turrim* haud dubie villam, vel domum alto loco ædificatam intelligi vult. Ed.

2. *Suorum eventus:* leg. *suos* cum Gron. aut *suarum rerum* cum Bauero, aut *suorum eventuum miseratus* seu *miseritus* cum Drak. — Cod. Bamb. habet, *quam suum eventum miseratus. Eodem die*, etc. Cæterum *suorum*, id est, propinquorum suorum, quos reliquerat, defendit Doering. Ed.

3. *Vela cum antennis ex navibus corrogari*, colligi, peti, ut, iis super cœnantes expansis, *umbra*, etc. sed revera, ut *aptandis armamentis ab-*

Digitized by Google

media æstas forte erat) cœnantibus in litore fieret. Quantum res et tempus patiebantur, apparatæ celebratæque ejus diei epulæ sunt, multoque vino in serum noctis convivium productum[4]. Hannibal, quam primum fallendi eos, qui in portu erant, tempus habuit, navem solvit. Cæteri sopiti, quum postero die tandem ex somno pleni crapulæ surrexissent, id quod serum erat[5], aliquot horas remis in naves collocandis et aptandis armamentis absumpserunt. Carthagine et multitudinis assuetæ domum Hannibalis frequentare concursus ad vestibulum ædium est factus; et, ut non comparere eum vulgatum est, in forum turba convenit principem civitatis quærentium, et alii fugam conscisse (id quod erat), alii fraude Romanorum interfectum, idque magis, ferebant: variosque vultus cerneres, ut in civitate aliorum alias partes foventium factionibus. Visum deinde Cercinæ eum, tandem allatum est.

XLIX. Romani legati quum in senatu exposuissent, *Compertum Patribus romanis esse, et Philippum regem ante, ab Hannibale maxime accensum, bellum*

sumerent aliquantum temporis. Conf. seqq. *ex navibus* recte legi in edd. vett. ante postremam Gruteri, quæ operarum errore, in edd. seqq. propagato, *et navibus* reposuerit, verboque *corrogare* usum esse Livium et XXXIX, 22; XLIII, 9, ac Cic. orat. in Ant. III, 8, et ad Herenn. IV, 51, monet Drak. *et malis collocari* conj. Gron.

4. *In serum noctis convivium productum;* vide supra ad librum II, cap. 61, n. 6.

5. *Id quod serum erat,* immo *id quod quæsitum;* Gron. Non male; sed et vulgatum servari potest, ut indicetur, sero demum et multa jam luce surrexisse eos, quia convivium multo vino in serum noctis productum fuerat; Drak. Idem mox *velis* conj. pro *remis*, et deinde *Carthagine ut multitudinis... et non comparere*, etc. certe pro *et ut* solum *ut* legitur in edd. ante Ald. — *Domum H. frequentare*, celebrare, implere, frequentem reddere, non simpl. visere; Bauer. — *Foventium et factionibus* edd. ante Ald. *plena* vel *distracta* post *et* excidisse, putabat Crev. — Doeringio potius vox *distenta* post *factionibus* excidisse videtur; sic enim supra IX, 46, *duæ factiones senatum distinebant*. Ed.

Digitized by Google

populo romano fecisse, et nunc literas nuntiosque ab eo ad Antiochum regem profectos; haud quieturum ante, quam bellum toto orbe terrarum concisset; ne his debere impune esse[1], *si satisfacere Carthaginienses populo romano vellent, nihil eorum sua voluntate, nec publico consilio factum esse:* Carthaginienses responderunt, quidquid æquum censuissent Romani, facturos esse. Hannibal prospero cursu Tyrum pervenit; exceptusque a conditoribus Carthaginis[2], ut alia patria, vir tam clarus omni genere honorum, paucos moratus dies, Antiochiam navigat. Ibi profectum jam regem quum audisset, filium ejus solenne ludorum ad Daphnen[3] celebrantem convenit; et, comiter ab eo exceptus, nullam moram navigandi fecit. Ephesi

Cap. XLIX. 1. *Ne his debere impune esse:* hoc *ne* pro *ne quidem* dictum credebat Drak. ut XLIV, 36 (conf. ad XXXI, 22, n. 4; Duk. ad Flor. II, 8, n. 12, et III, 17, n. 2; Burman. ad Sueton. Aug. 35; Bentl. ad Hor. Sat. II, 3, 262), et seq. *si* pro *etsi* (vide ad V, 51, n. 1). Ita vero difficultas h. l. non tollitur. Conjiciebam olim *nec his*, vel, quod aliis etiam in mentem venit, *nec id.* At ita non congruunt proxima, nisi pro *si vellent* scripseris *nisi possent*, saltem *nisi* pro *si.* Præstiterit: *sed his* aut *sed id debere impune esse, si satisfacere C. p. r. vellent;* quod *vellent* ita humanius dictum quam *possent.* Sustuli autem majorem distinct. post *concisset* et *factum esse.* — Walchius, Emend. pag. 241, locum illustrare conatur hac conjectura: *ne bis debere impune*, etc. quod ad Hannibalem ipsum, cui dudum exsilium machinabantur Romani, referendum. Inde miratur quantillum sit vitium, quod deluserit tot et doctrina et divinandi vi præstantes viros. Ed. — Cod. Bamb. omnem locum sic exhibet: « nunc literas nuntiosque ab eo ad Antiochum et Ætolos missos, consiliaque inita impellendæ ad defectionem Carthaginis, nec alio eum quam ad Antiochum regem profectum, haud, etc. » Et mox: « Id ei non debere impune... vellent... nihil eorum... factum esse Carth. responderunt, etc. » Ed. — *Si satisfacere, probare ... vellent, nihil ... factum esse;* vide ad XXIV, 47, n. 3.

2. *A conditoribus Carthaginis*, Tyriis; vide ad Sil. I, 21 seq. et Heyn. Exc. I ad Virg. Æn. IV.

3. *Filium ejus solenne ludorum celebrantem ad Daphnen*, vicum ad Orontem fl. XL stadiis ab *Antiochia* distantem, de quo vid. Strab. XVI, 749 seq. et Hard. ad Plin V, 21 seu 18. *Convenit, et* ex conject. Jac. Gron., quæ et mihi in mentem venit, reposui pro vulg. *convenisset;* quod tamen et servari potest, si ante *filium* cum aliis inserueris copulam *et*, quæ post *audisset* facile excidere potuit. —

Digitized by Google

regem est consequutus[4], fluctuantem adhuc animo incertumque de romano bello; sed haud parvum momentum animo ejus ad moliendum adventus Hannibalis fecit. Ætolorum quoque eodem tempore alienati ab societate romana animi sunt: quorum legatos Pharsalum et Leucadem, et quasdam alias civitates ex primo fœdere petentes, senatus ad Quintium rejecit[5].

Nostrum non scripsisse *convenit*, quia et scribendum fuisset, *a quo comiter exceptus*, existimat Doering. Ed.

4. *Ephesi reg. est consequutus*, etc. confer. Appian. Syr. 4, qui primum congressum in annum præcedentem rejicit.

5. *Ad Quintium rejecit*, forte *rejecisset* vel *rejecerat*; Bauer. Conf. ad II, 22, n. 4.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXIV.

BREVIARIUM.

Cap. I; Lex Oppia de cultu mulierum, a C. Oppio tribuno plebis in medio punici belli ardore lata, Romæ magnas hominum turbas, nobilium præcipue mulierumque, concitat. — II - IV; Pro ea disserit M. Porcius Cato consul; — V-VII; contra illam L. Valerius tribunus plebis. — VIII; Remissa ab tribunis intercessione anno vigesimo post abrogatur, quam lata est. Cato cum XXV navibus longis trajicit in Hispaniam. — IX; Benigne accipitur a Græcis, alteram Emporiarum partem incolentibus, et inde profectus agros hostium urit vastatque. — X; M. Helvius et Q. Minucius ex Hispania triumphant. — XI; Bilistages, regulus Ilergetum, præsidia castellorum suorum petit a Catone. XII; Is, ne nimis minuat vires suas, sociis spem pro re ostendit. — XIII; Mox suorum hostiumque animos experitur prædationibus, et milites adhortatus pronuntiat, se nocte eos ad hostium castra ducturum. — XIV, XV; In prælio ancipiti cædit hostes castrisque exsuit; — XVI; quo die tria fecisse laudabilia putatur. Non ita multo post perdomatur omnis cis Iberum Hispania, et captivi Romani sociorumque donum consuli a Barbaris reducuntur. — XVII; Interim P. Manlius prætor imbelles fundit Turdetanos. Cato autem omnibus cis Iberum Hispanis, ne Bergistanorum exemplo rebellare possint, arma adimit. Quod quum adeo ægre paterentur, ut multi mortem sibimet ipsi consciscerent, muros omnium diruit eosque in deditionem compellit. — XVIII; Quæ res difficillima sane (nam Hispani non,

Digitized by Google

ut olim, tædio imperii Pœnorum ad Romanos deficiebant, sed ex usurpata libertate in servitutem velut asserendi erant), non nisi a tali imperatore, qualis ille fuit, perfici potuisset. — XIX; Celtiberi, mercede exciti a Turdetanis, quoniam difficilius bellum faciunt Manlio, consul eo legiones ducit; sed, ubi Celtiberos neque ad defectionem movere, neque elicere ad pugnam potest, relicto omni fere exercitu in castris prætoriis, ipse cum septem cohortibus ad Iberum regreditur. — XX, XXI; Cum tam exigua manu sociorumque auxiliis Lacetanos, Vergestanos aliosque populos subigit; et, provincia pacata, ex ferrariis argentariisque magna instituit vectigalia. — XXII; Eadem æstate alter consul L. Valerius Flaccus in Gallia vincit Boios. Quintius autem Flamininus, hibernis in Græcia actis, lectoque senatusconsulto, quo bellum adversus Nabin Lacedæmoniorum tyrannum decretum erat, socios, Corinthum evocatos, de re ad ipsos potissimum pertinente et communi hinc animo consilioque gerenda consulit. — XXIII; Legatus ibi Atheniensium, laudatis Romanorum in Græciam meritis, offert auxilium: sed Alexander, princeps Ætolorum, insimulat fraudis Romanos, quod, vano titulo libertatis ostentato, Chalcidem, Acrocorinthum et Demetriadem præsidiis teneant, et causam remanendi in Græcia faciant Nabin; quem aut sponte, aut coactum vi et armis Ætolorum præsidium Argis deducturum pollicetur. — XXIV; Hanc vaniloquentiam Aristænus prætor Achæorum cæterique legati increpant, et omnes decernunt bellum. — XXV; Tum Quintius copias, sociorum viribus auctas, ab Elatia ducit Argos; ubi Pythagoras, gener idem tyranni et uxoris ejus frater, validis omnia firmat præsidiis, et seditionem, a Damocle Argivo motam, opprimit. — XXVI; Dux Romanorum castra propius urbi admovet; sed mox, Aristæno auctore, ipsum Nabin Lacedæmonemque petere constituit, et in castra ad Caryas posita recipit Philippi, Thessalorum aliorumque sociorum auxilia, et permultos ipsorum quoque Lacedæmoniorum exsules; quorum princeps est Agesipolis, infans regno expulsus ab Lycurgo tyranno. XXVII; Interea Nabis urbem communit, et cæde suspectorum principum juventutis atque Ilotarum omnes ab conatu novorum consiliorum absterret. — XXVIII; Quintius ad Eurotam pervenit amnem, et mercenarios hostium milites bis in fugam vertit. — XXIX; Eodem fere tempore L. Quintius, frater ejus, Gythium capit, a Gorgopa fortiter defensum; et Pythagoras qui-

Digitized by Google

dem auxilia Lacedæmonem adducit: — XXX; sed Nabis, non terra modo cinctus hostibus, sed, Gythio tradito, a mari quoque toto interclusus, colloquium ab imperatore rom. petit et impetrat. — XXXI; Ipse prior loquitur; — XXXII; tum Quintius, et graviter quidem, ut cum tyranno et hoste. — XXXIII; Postero die Nabis pollicetur, cessurum se Argis, et captivos perfugasque redditurum: quo facto Quintius consilium habet sociorum. Maximæ partis sententia est, perseverandum in bello esse tollendumque tyrannum: ille ad pacem inclinatior propter diuturnitatem obsidionis, infidam cum Antiocho pacem, tacitamque curam, ne confecti belli gloria successori tradenda sit. — XXXIV; Socios quoque, simulando se transire in eorum sententiam jubendoque jam nunc machinas, commeatus aliaque necessaria in hiemem et lentam obsidionem expedire, omnes in assensum consilii sui traducit. — XXXV; Inde conscribit conditiones, in quas pax fiat. — XXXVI; Earum vix ulla placet neque tyranno, neque Lacedæmoniis. — XXXVII; Multitudo convocata prope una voce, nihil respondere bellumque geri, jubet; et prælia iterum, non levia tantum, sed prope justa, committuntur. — XXXVIII; Tum Romani urbem undique tanta vi oppugnant, ut Nabis inops consilii et vix mentis compos esset. — XXXIX; Lacedæmonii jam superiora petere loca coguntur, et Pythagoras solus urbem capi prohibet, succendi ædificia muro proxima jubens. — XL; Idem mox orator ad Quintium mittitur, et tyranno pax datur iisdem, quas repudiaverat, conditionibus. Paulo ante Argivi, duce Archippo quodam, jam ipsi expulerant præsidium, cui Timocrates Pellenensis præfuerat. — XL; Argivorum libertas ipso Nemeorum die promulgatur voce præconis: sed Lacedæmonem tyranno relinqui ægre ferunt Achæi; eamque rem Ætoli in omnibus conciliis lacerant. — XLII; Ob res a Quintio et Catone gestas supplicatio decernitur a senatu; et consules (P. Cornelius Scipio Africanus II et Ti. Sempronius Longus) prætoresque creantur. Jam ante hoc anno Ferentinates et alii frustra novum tentaverant jus, ut coloni essent cives romani. — XLIII; Pax, Nabidi a Quintio data, a senatu rom. confirmatur. Prætores sortiuntur provincias, senatuique placet, exercitus Quintii et Porcii Catonis dimitti, consulibusque ambobus Italiam provinciam esse. — XLIV; Ver sacrum ludique votivi de integro facti. Mitis censura Sex. Ælii Pæti et C. Cornelii Cethegi. Iidem ædilibus curulibus

Digitized by Google

imperant, ut in ludis Romanis loca senatoria secernant a populo. Q. Pleminius, ut e carcere effugiat, comparat homines, qui pluribus simul locis Urbis nocte incendia faciant, sed, re palam facta, necatur. — XLV; Coloniæ deducuntur, et procurantur prodigia. — XLVI; M. Porcius Cato ex Hispania triumphat. In Gallia L. Valerius Flaccus proc. Insubres et Boios, Dorulaco duce Padum transgressos, vincit; et Ti. Sempronius consul cum Boiorige, Boiorum duce, in angustiis pugnat. — XLVII; Varia hinc atque illinc nunc fuga, nunc victoria est. — XLVIII; Consul Placentiam ducit legiones. T. Quintius Elatiæ hiemem jure dicundo mutandisque Philippi institutis consumit, et veris initio venit Corinthum. — XLIX; Ibi in conventu sociorum indicat iis, Demetriadis, Chalcidis et Acrocorinthi præsidia propediem cum omni exercitu rom. in Italiam deportaturum iri, simulque illos hortatur, ut libertate, a Romanis reddita, modice utantur et concordiæ consulant. — L; Simul idem petit ab iis et impetrat, ut cives romani, ab Hannibale capti ipsisque venumdati, servitute liberentur. Tum per Thessaliam atque Epirum duci exercitum jubet; — LI; et ipse in Eubœa et Thessalia civitates non modo liberat, sed in meliorem quoque redigit formam. — LII; Ab Orico copias omnes Brundisium transportat, et per totam Italiam atque in Urbem triumphans invehitur. — LIII; Duæ deducuntur coloniæ, in Bruttios et Thurinum agrum, ædesque dedicantur Junonis Sospitæ, Fauni, Fortunæ Primigeniæ et Jovis in Insula. — LIV; Consules (L. Cornelius Merula et Q. Minucius Thermus) prætoresque creantur: et Megalesia ædiles curules primi faciunt. Hos ludos primum senatus a populo secretus spectat; quod præbet sermones, sicut omnis novitas solet. — LV; Crebri terræ motus et feriæ ob eos indictæ. Provinciæ consulum prætorumque. — LVI; Propter Ligurum rebellionem sociis imperantur milites, et tumultum esse decernit senatus. — LVII; T. Quintius postulat, ut acta sua confirmentur: et in senatu audiuntur legati Antiochi; quorum princeps, Menippus, haud æquum censet, regi a Romanis leges dici. — LVIII; Ei respondet Quintius. — LIX; Altercationibus factis integra differtur res, et legati ad regem remittuntur. — LX; Quibus vix profectis legati Pœnorum adferunt, bellum haud dubie parare Antiochum, Hannibale auctore et ministro. — LXI; Is Aristonem quemdam Tyrium ad sollicitandos popularium animos Carthaginem, et, publicato

Digitized by Google

crimine, Pœni legatos Romam miserant, qui rem ad senatum deferrent, et simul de injuriis Masinissæ quererentur. — LXII; Legationes et Carthaginiensium et Masinissæ altercantur in senatu rom., et ab eo in Africam mittuntur, qui inter illos in re præsenti disceptent. Hi suspensa relinquunt omnia; etsi unus eorum, P. Scipio Africanus, solus litem nutu dirimere potuisset.

I. Inter bellorum magnorum, aut vixdum finitorum, aut imminentium, curas intercessit res parva dictu, sed quæ studiis in magnum certamen excesserit[1]. M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebei ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda[2]. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis, Q. Fabio, Ti. Sempronio consulibus, in medio ardore punici belli, *Ne qua mulier plus semunciam auri haberet*[3]; *neu vesti-*

Cap. I. 1. *In magnum certamen excesserit;* vide ad III, 41, n. 6.

2. *De Oppia lege abroganda;* vide ad IV, 58, n. 10, et X, 33, n. 5. Conf. Valer. Maxim. IX, 1, 3; Tac. Ann. III, 33, 34; et Jo. Gul. Hoffmanni Diss. de lege Oppia, Frf. ad Viadr. 1736. Cæterum hæc lex et certamen de ea ortum (cap. 1-8) docet, quantopere jam mores hujus ævi declinaverint a prisca simplicitate. Eodem spectant leges sumptuariæ his temporibus latæ, Metella a. U. 534 (vid. Plin. XXXV, 17), Orchia a. 573 (vid. Macrob. Sat. II, 13), et aliæ; vid. Gell. II, 24. — *Q. Fabio, Ti. Sempronio coss.* His consul Ti. Sempronius fuit, primum anno 538 cum Q. Fabio, illo Cunctatore; iterum anno 540 cum Q. Fabio, Cunctatoris filio. Ad utrum e duobus Sempronii consulatibus lex Oppia referri debeat, dubitari posse arbitratur cl. Creverius. Verum quum infra, c. 8, Livius tradat eam anno vigesimo post abrogatam esse, quam lata fuerat, hinc recte colligit Drak. eam secundum Livii verba latam fuisse anno 538, in primo Tib. Sempronii consulatu. Ed.

3. *Ne aliqua mulier plus* quam *semunciam auri haberet*, al. *plus semuncia.* Conf. XXVI, 36. — *Neu vestimento versicolori uteretur*, quod *purpureum* dicitur cap. 7 (adeoque fuco tinctum seu infectum); sed *varii coloris* Valer. l. l. Nota Dukeri est: « Hoc esse gr. ἀνθινὸν ἱμάτιον, varium, i. e. varios colores simul intextos habens, monet Salmas. ad Vopisc. Aurel. c. 46; conf. Terent. Eun. IV, 4, 16, atque Casaub. ad Athen. VII, 6, ubi scribit, versicolores vestes olim luxuriosis et impudicis proprias fuisse, atque ideo lege Oppia vetitas. Sane apud Græcos quosdam non nisi meretrices ἀνθινὰ gestasse, ex Athen. XII, 4; Suida in v. Ἑταιρῶν et Ζάλευκος, aliisque ostendit Petit. leg. Att. VI, 5, p. 476. Sed Oppio hæc videtur causa fuisse mulieribus hac veste interdicendi, ne mulieres in miseria et inopia civitatis, per quam omnium privato-

Digitized by Google

mento versicolori uteretur; neu juncto vehiculo[4] *in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur.* M. et P. Junii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur, nec eam se abrogari passuros aiebant. Ad suadendum dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum faventium adversantiumque legi complebatur. Matronæ nulla nec auctoritate, nec verecundia, nec imperio virorum contineri limine poterant: omnes vias urbis aditusque in forum obsidebant, viros descendentes ad forum[5] orantes, ut, florente republica, crescente in dies privata omnium fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Augebatur hæc frequentia mulierum in dies: nam etiam ex oppidis conciliabulisque[6] conveniebant. Jam et consules prætoresque et alios magistratus adire et rogare audebant. Cæterum minime exorabilem alterum utique consulem M. Porcium Catonem[7] habe-

rum pecuniæ in usum publicum, quod Valerius, c. 6, dicit, vertendæ erant, pecuniam in vestes, quæ aliis pretiosiores erant, effunderent. Nam si Romani omnino versicoloria honestis feminis non convenire existimassent, nec matronæ sibi usum eorum reddi petiissent, nec tribunos pl. adjutores ad eum recuperandum nactæ fuissent, nec Cato hoc argumento ad impugnandam legem, qua Oppia abrogabatur, uti neglexisset ».

4. *Neu juncto* equis *vehiculo* (ut XLII, 65; conf. Gron. diatr. Stat. cap. 9) *in urbe oppidove, aut propius inde* quam *mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur;* vide ad V, 25, n. 6. — *M. et P. Junii Bruti,* ut apud Cic. Verr. I, 50. Pro *P.* Duk. conj. *D.* quod illud prænomen a gente Junia alienum videatur.

5. *Viros descendentes ad forum;* vide ad II, 54, n. 13.

6. *Ex oppidis conciliabulisque;* v. ad XXV, 5, n. 3. — *Conveniebant.* In editionibus veteribus *convenerant:* lectionem, quæ nunc vulgatur, defendit Drak. Ed.

7. *Minime exorabilem alterum utique* (vide ad II, 30, n. 1) *consulem M. Porcium Catonem,* virum et eloquentissimum et luxui moribusque græcis et asiaticis inimicissimum, notissimumque severitate et morum et censuræ, qui priscam simplicitatem in omnibus et in eo etiam servabat, ut intonsus esset, atque hirsutus: unde *priscus* et *censorius* dicebatur. Conf. cap. 4 seq. 18; XXXVIII, 54; XXXIX, 40 seq. Plut. Cat.

Digitized by Google

bant, qui pro lege, quæ abrogabatur[8], ita disseruit:

II. « Si in sua quisque nostrum matre[1] familiæ, « Quirites, jus et majestatem viri retinere instituisset, « minus cum universis feminis negotii haberemus. « Nunc domi victa libertas nostra impotentia mulie- « bri, hic quoque in foro obteritur et calcatur; et, « quia singulas sustinere non potuimus, universas hor- « remus. Equidem fabulam et fictam rem ducebam « esse, virorum omne genus in aliqua insula conju- « ratione muliebri ab stirpe sublatum esse. Ab nullo « genere non summum periculum est, si cœtus et con- « cilia et secretas consultationes esse sinas. Atque ego « vix statuere apud animum meum possum, utrum « pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur. Quorum « alterum ad nos consules reliquosque magistratus, « alterum ad vos, Quirites, magis pertineret; nam « utrum e republica sit, necne, id quod ad vos fer-

8. *Pro lege, quæ abrogabatur*, abroganda censebatur; quæ ut abrogaretur, multi suadebant; vide ad III, 21, n. 3. — Sigonius ex vet. lib. dabat *ne abrogaretur*. Sed Gronovius vulgatam lect. latiniorem esse pronuntiavit; quia non modo eventum effectumque, sed etiam intentionem et præsumptum finem actionis susceptæ significat. Conf. exempla a Drak. ad hunc locum allata. Ed.

Cap. II. 1. *Matre familiæ*. Quædam editt. *familias;* sed rectius tam *mater familiæ* quam *pater familiæ* dici copiose ad hunc locum docuerunt Gron. et Drak. quibus plane assentitur cl. *Doering*. Ed. — *Retinere instituisset*, voluisset, studuisset, curasset, e gr. ἐπιτηδεύειν, *darüber gehalten hätte;* Bauer. — *Impotentia muliebri*, mulierum insolentia, immoderata cupiditate, luxuria et dominandi cupidine (vide ad III, 36, n. 2), *libertas nostra*, virorum, *obteritur et calcatur;* vide ad XXIII, 43, n. 6, et conf. mox n. 4, *fabulam ducebam esse* (quod *esse* forte del., quia mox repetitur), *virorum omne genus in aliqua insula*, Lemno, *conjuratione muliebri ab stirpe sublatum esse;* vid. Val. Flacc. II, 82-331; Apollon. I, 609, ibique Schol.; Hygin. fab. XV, 254, atque Apollodor. I, 9, 17, ubi conf. Heyn. — *Ab nullo genere non*, ab omni sexu, non modo virili, sed etiam muliebri; Drak. qui et post *non* delevit importunum *æque*. Baueri nota est: « Si verba *ab nullo æque genere* suppleri desiderant *atque a mulieribus;* profecto *non* redundat. Alioquin intelligi potest: ab nullo genere hominum omnino, ergo et a muliebri. Sed illud aptius. Forte et in *non* corruptum latet voc. *hominum* ». Ut verba

Digitized by Google

« tur, vestra existimatio est[2], qui in suffragium ituri « estis. Hæc consternatio muliebris[3], sive sua sponte, « sive auctoribus vobis, M. Fundani et Valeri, facta « est, haud dubie ad culpam magistratuum pertinens, « nescio vobis, tribuni, an consulibus, magis sit de- « formis: vobis, si feminas ad concitandas tribunicias « seditiones jam adduxistis; nobis, si, ut plebis quon- « dam, sic nunc mulierum secessione[4] leges acci- « piendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam « paullo ante per medium agmen mulierum in forum « perveni. Quod nisi me verecundia singularum magis « majestatis et pudoris, quam universarum, tenuisset, « ne compellatæ a consule[5] viderentur, dixissem: Qui « hic mos est in publicum procurrendi, et obsidendi « vias, et viros alienos appellandi[6]? Istud ipsum, suos « quæque, domi rogare non potuistis? An blandiores « in publico, quam in privato, et alienis, quam ve-

præcedd. melius cum his cohæreant, legendum videtur: *Sed ab nullo utique genere non summum periculum est*, etc.

2. *Nam utrum e republica sit* (vid. ad I, 27, n. 5) *id, quod* (lex, quæ) *ad vos fertur, vestra existimatio est;* vide ad IV, 15, n. 1. — Conf. et exempla huc a Drak. allata, et apud eos, quos ibi laudat. Ed.

3. *Hæc consternatio muliebris;* vide ad II, 47, n. 3, et XXVIII, 25, n. 3. — *Pertinens:* Gron. malebat *pertinet, nescio vobis... magis deformis;* Duk. et Drak. *pertinet et.* Mox pro otioso *jam* Bauer. conj. *huc;* sed eo deleto Duk. *muliebres seditiones* (ut cap. 3 et 7) *adduxistis.* — Non cum Dukero (qui vocem *tribunicias*, ut otiosam, delendam censebat) facit clariss. *Doering*, sensu ita exposito: « ad seditiones una vobiscum concitandas ». Immo mihi videtur inesse isti vocab. aliquid acerbi, quod huic loco bene conveniat. Scilicet nemini non succurrit vetus illa inter senatum et tribunitiam potestatem simultas et perpetua colluctatio. Ed.

4. *Ut pleb. quondam secessione* (vide II, 32 sq. et III, 50 sq.), *sic nunc mulierum secessione:* et hæc et alia esse *verba magna et invidiosa, quæ rei augendæ causa conquirantur ab oratore non solum gravi, sed interdum etiam truci*, monuit jam Valerius inf. cap. 5 et 7 extr. — *Majestatis* matronarum, de qua vid. Casaub. ad Trebell. Poll. Gallien. 14.

5. *Compellatæ a consule;* vide ad XXII, 12, n. 12. — *Qui mos;* vide ad VI, 32, n. 3.

6. *Viros alienos appellandi;* vide ad II, 27, n. 2, et XXIV, 5, n. 6. — *An blandiores in publico, quam in*

Digitized by Google

« stris, estis? quanquam ne domi quidem vos, si sui « juris finibus matronas contineret pudor, quæ leges « hic rogarentur abrogarenturve, curare decuit. Ma- « jores nostri, nullam, ne privatam quidem, rem agere « feminas sine auctore[7], voluerunt; in manu esse pa- « rentum, fratrum, virorum. Nos (si diis placet) jam « etiam rempublicam capessere eas patimur, et foro « prope et concionibus et comitiis immisceri. Quid « enim nunc aliud per vias et compita faciunt, quam « rogationes tribunorum plebis suadent, aliæ legem « abrogandam censent? Date frenos impotenti naturæ « et indomito[8] animali, et sperate, ipsas modum licen- « tiæ facturas, nisi vos feceritis. Minimum hoc eorum « est, quæ iniquo animo feminæ sibi aut moribus aut « legibus injuncta patiuntur. Omnium rerum liberta- « tem, immo licentiam (si vera dicere volumus), de- « siderant. Quid enim, si hoc expugnaverint, non « tentabunt?

privato (vide ad II, 24, n. 6), et in *alienis*, *quam vestris*, viris, *estis*, pro *alienos* et *vestros* (vide ad II, 14, n. 2); vel *in* est pro *qua*, apud, si cum alienis res est; Bauer.

7. *Majores nostri nullam, ne privatam quidem, rem voluerunt agere feminas sine auctore*, tutore (curatore, rem acturo, ratam facturo, periculum præstituro, *Anwalt;* Bauer), ut apud Cic. Cæcin. 25, et parentibus, viris cognatisque; unde mox *in manu* (vide ad V, 20, n. 1) *parentum*, etc. vid. XXXIX, 19, n. 4. Super h. l. multa disputavit Otto in Diss. de perpet. fem. tut. et in Præfat. t. IV, Thes. Jur. civ. — *Si diis placet;* vide ad IV, 3, n. 4. Mox forte del. *faciunt*, quod, ut gr. ποιεῖν, in hac locutione eleganter omittitur; vide ad II, 8, n. 9. Ed.

8. *Impotenti naturæ et indomito a.* (vide ad III, 36, n. 2) *date frenos*, laxate, remittite, ut passim eques vel auriga *frenos* seu *habenas dare*, *immittere*, *largiri*, et equus *accipere* dicitur. Sic et gr. ἐνδιδοῦναι τὸν χαλινὸν, et Eurip. δοῦναι χαλινοὺς γυναικί. Conf. Drak. ad h. l. Scheffer. de Re vehic. I, 13, p. 176; Cerda ad Virg. Æn. I, 63. — Cum hoc loco, si fas est, confer hanc nostratis *Molière* lepidam sententiam in fabula inscripta: *le Dépit amoureux*, Act. IV, sc. 2: « Il faut apprendre à vivre à ce sexe volage... Car, voyez-vous, la femme est, comme on dit, mon maître, Un certain animal difficile à connaître, Et de qui la nature est fort encline au mal, etc. » Ed.—*Et sperate* εἰρωνικῶς dictum.

Digitized by Google

III. « Recensete omnia muliebria jura[1], quibus li-
« centiam earum alligaverint majores nostri, per quæ-
« que subjecerint viris : quibus omnibus constrictas
« vix tamen continere potestis. Quid? si carpere sin-
« gula et extorquere, et exæquari ad extremum viris
« patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis? extem-
« plo, simul pares esse cœperint, superiores erunt.
« At, hercule, ne quid novum in eas rogetur, recu-
« sant. Non jus, sed injuriam deprecantur : immo ut,
« quam accepistis, jussistis suffragiis vestris legem,
« quam usu tot annorum et experiendo comprobastis,
« hanc ut abrogetis[2], id est, ut unam tollendo legem
« cæteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus
« est : id modo quæritur, si majori parti et in sum-
« mam prodest. Si, quod cuiquam privatim officiet,
« jus, id destruet ac demolietur, quid adjuvabit uni-
« versos rogare leges, quas mox abrogare, in quos
« latæ sunt[3], possint? Volo tamen audire, quid sit,
« propter quod matronæ consternatæ procurrerunt in
« publicum, ac vix foro se et concione abstinent. Ut
« captivi ab Hannibale redimantur parentes, viri, li-
« beri, fratres earum? Procul abest absitque semper
« talis fortuna reipublicæ : sed tamen, quum fuit,

Cap. III. 1. *Muliebria jura*, leges, spectantes ad mulieres (jura, quæ non habent mulieres, sed quibus coercentur, jura de iis, quas ea instituta; Bauer.), *quibus licentiam earum*, sc. mulierum; vide ad V, 49, n. 5. — *Carpere singula*; vide ad III, 5, n. 1, et XXXIII, 31, n. 1. — Locus ita exponendus: si patiemini mulieres omnia, ut libuerit, reprehendere, si, quidquid cupiant, extorquere, etc. sed τῷ *carpere* parum respondet *extorquere*, ut docuit clariss. *Doering*, qui legendum proponit *si cupere sing.* hoc est, si patiemini eas singula quæque appetere, et, quidquid appetunt, extorquere. Ed. — *Ne quid novum*, seu *novi*, ex usu linguæ; qui tamen et in hoc subinde fallat; Bauer.

2. *Hanc ut abrogetis*, sc. postulant, petunt; quod ex *deprecantur* intell. vide ad XXII, 12, n. 8.

3. *In quos latæ sunt*, forte *sint*; Bauer. Nil opus ita legere, et sic verba *sint, possint*, aures magnopere offenderent. — *Consternatæ procurrerunt in publicum*; vide ad II, 24, n. 6, et II, 47, n. 3.

Digitized by Google

« negastis hoc piis precibus earum. At non pietas nec « sollicitudo pro suis, sed religio congregavit eas. Ma- « trem Idæam, a Pessinunte ex Phrygia venientem, « accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem sedi- « tioni prætenditur muliebri? Ut auro et purpura ful- « geamus, inquit[4]; ut carpentis, festis profestisque « diebus, velut triumphantes de lege victa et abrogata, « et captis et ereptis suffragiis vestris, per Urbem ve- « ctemur : ne ullus modus sumptibus, ne luxuriæ sit.

IV. « Sæpe me querentem[1] de feminarum, sæpe de « virorum, nec de privatorum modo, sed etiam ma- « gistratuum, sumptibus audistis, diversisque duobus « vitiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare[2]; quæ « pestes omnia magna imperia everterunt. Hæc ego, « quo melior lætiorque in dies fortuna reipublicæ est « imperiumque[3] crescit, et jam in Græciam Asiamque « transcendimus, omnibus libidinum illecebris reple- « tas, et regias etiam attrectamus gazas, eo plus hor- « reo, ne illæ magis res nos ceperint[4], quam nos illas. « Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt « huic urbi[5]. Jam nimis multos audio Corinthi et

4. *Ut purpura fulgeamus, inquit;* ita scripti et editi ante Ascens., non *inquiunt;* vide ad VI, 40, n. 3. — *Ut carpentis festis profestisque*, etc. vide ad V, 25, n. 6. — *Ne luxuriæ sit* pro vulg. *nec l. s.* dedit Drak. ex emendat. Jac. Gron. prob. Bauero.

Cap. IV. 1. *Sæpe me querent.*, etc. conf. ad cap. 1, n. 7. Mox τὸ *de* ante *privatorum* delendum videtur Bauero.

2. *Civitatem laborare vitiis;* vide ad III, 31, n. 1.

3. *Quo melior lætiorque in dies fortuna reip. est imperiumque* quo magis *crescit;* quæ particulæ subaudiendæ ex præc. *quo melior lætiorque*, quod est id. qd. *quo magis bona lætaque;* Gron. Vide ad I, 25, n. 11.—*Regias etiam* Philippi Antiochique *adtrectamus gazas;* vide ad librum XXVIII, cap. 24, n. 7.

4. *Ne illæ magis res nos ceperint* (jam ceperint, non nunc demum capiant), h. e. vicerint, *quam nos illas;* ut fere *Græcia capta ferum victorem cepit* apud Horat. Epist. II, 1, 156. Verba *illæ res* majoris perspicuitatis causa et in fervore orationis adjectæ videntur primæ periodi voci *Hæc.*

5. *Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi:* « nil

« Athenarum ornamenta[6] laudantes mirantesque, et « antefixa fictilia deorum[7] romanorum ridentes. Ego « hos malo propitios deos; et ita spero futuros, si in « suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum « memoria per legatum Cineam Pyrrhus[8] non viro- « rum modo, sed etiam mulierum animos donis ten- « tavit. Nundum lex Oppia ad coercendam luxuriam « muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. Quam « causam fuisse censetis? Eadem fuit, quæ majoribus « nostris nihil de hac re lege sanciendi. Nulla erat « luxuria, quæ coerceretur. Sicut ante morbos necesse « est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupidi- « tates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum « facerent. Quid legem Liciniam excitavit de quingentis « jugeribus[9], nisi ingens cupido agros[10] continuandi? « Quid legem Cinciam de donis et muneribus[11], nisi

acutius hac ambiguitate aut gravius, qua *et impetum* velut hostilem, et *statuas* invectas notet. *Statuæ* infestæ moribus, et tamen quasi *signa, vexilla* hostium impugnantium mores et virtutem Rom. » Bauer.

6. *Corinthi et Athenarum ornamenta*, mox Romam deportanda, captis his urbibus, quarum expugnationem jam augurabantur Romani, libertate vix iis data. Notissimum quoque est, bello achaico ab ipsis conflato, Mummium confecisse illud a. U. 608 capta Corintho, et pretiosa signa, tabulas vasaque, ab eo inde Romam devectâ, ad mores civium suorum mutandos plurimum valuisse.

7. *Antefixa fictilia deorum* (fastigia templorum, forte et simulacra in summo: immo magis, quum et *fictilia* magis iis congruat, et mox dicat *hos deos*, sc. fictilibus simulacris expressos; Bauer. Conf. XXVI, 23, n. 2) *ridentes*. — *Ego hos malo propitios deos*, etc. conf. similia loca Juvenal. VI, 342 sq. XI, 100 sq. 111-116; Plin. XXXIV, 7 seu 16; XXXV, 12 seu 45, 46; Senec. Consol. ad Helv. cap. 10, et Epist. 31 extr. (qui præter alia dicit: *tunc per fictiles deos religiose jurabatur;* et *cogita deos, quum propitii essent, fictiles fuisse*), et Tibull. I, 10, 19 sq.

8. *Per legat. Cineam Pyrrhus*, etc. conf. Plut. Pyrrh. p. 394. — *Tentavit;* vide ad IX, 35, n. 1. — *Tamen nulla* mulier *accepit* dona illa: tanta earum abstinentia fuit! Conf. Varr. lib. II de vit. pop. rom.

9. *Legem Liciniam de D jugeribus;* vide ad VI, 35, n. 3.

10. *Cupido agros continuandi;* vide ad I, 44, n. 8.

11. *Legem Cinciam de donis et muneribus;* vide ad Tac. Ann. XI, 5, n. 3, et XIII, 42, n. 2. — *Vectiga-*

Digitized by Google

« quia vectigalis jam et stipendiaria plebes esse sena-
« tui cœperat? Itaque minime mirum est, nec Oppiam,
« nec aliam ullam tum legem desideratam esse, quæ
« modum sumptibus mulierum faceret, quum aurum
« et purpuram data et oblata ultro non accipiebant.
« Si nunc cum illis donis Cineas Urbem circumiret;
« stantes in publico invenisset, quæ acciperent. Atque
« ego nonnullarum cupiditatum ne causam quidem
« aut rationem inire[12] possum. Nam ut, quod alii li-
« ceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut
« pudoris aut indignationis habeat; sic, æquato om-
« nium cultu, quid unaquæque vestrum veretur, ne
« in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel
« parcimoniæ, vel paupertatis: sed utrumque lex vo-
« bis demit, quum id, quod habere non licet, non ha-
« betis. Hanc, inquit, ipsam exæquationem non fero,
« illa locuples. Cur non insignis auro et purpura con-
« spicior? cur paupertas aliarum sub hac legis specie
« latet, ut, quod habere non possunt[13], habituræ, si
« liceret, fuisse videantur? Vultis hoc certamen uxo-

lis et stipendiaria plebes, etc. tropice dicitur; vide ad V, 10, n. 5, et Brummer. ad leg. Cinc. c. 2, § 15.

12. *Ne causam quidem aut rationem inire*, ed. Mogunt. *invenire*, non improb. Duk. quia causa *inveniri* dicitur, non *iniri*, ratio *iniri* et *inveniri*. Sed idem non damnat vulgatum; vide ad I, 33, n. 7. — Contra codd. et editt. auctoritatem *invenire* repositum est; τὸ *inire* per zeugma ultimo tantum nomini accommodatum, probante Doering. Ed. — *Ut aliquid fortasse naturalis*, « non mirandi, non insoliti, ex natura rei oriundi (pæne ut nos utimur germanico *natürlich*), *pudoris aut indignationis habeat*, sit in eo, quod efficiat pudorem, indignationem, cujus te pudeat; *sic æquato omnium cultu:* delendum videtur *sic;* nam præc. *ut*, conjunctivo seq., non sign. *quomodo*, sed *quamvis;* » Bauer. Forte sensus h. l. est, *ut habeat*, ut seu quemadmodum habere possit et videatur... *sic* non video, quid sit, quod vereatur, etc. aut jungenda *sic æquato*, ut *sic* sit hoc modo, hac lege: aut pro *sie* leg. *nunc* vel *tn*, h. e. tamen.—*Utrumque*, sc. pudorem tam parcimoniæ quam paupertatis.

13. *Quod habere non possunt*, potius *possint;* Bauer. — *Certamen uxoribus injicere* (vide ad XXI, 54, n. 6), *ut pauperes... supra vires se*,

Digitized by Google

« ribus vestris injicere, Quirites, ut divites id habere « velint, quod nulla alia possit; pauperes, ne ob hoc « ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Næ, « simul pudere, quod non oportet, cœperit, quod « oportet, non pudebit. Quæ de suo poterit, parabit: « quæ non poterit, virum rogabit[14]. Miserum illum « virum, et qui exoratus, et qui non exoratus erit! « quum, quod ipse non dederit, datum ab alio vide- « bit. Nunc vulgo alienos viros rogant, et, quod ma- « jus est, legem et suffragia rogant, et a quibusdam « impetrant, adversus te et rem tuam et liberos tuos « inexorabiles. Simul lex modum sumptibus uxoris « tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem « loco existimare, Quirites, futuram rem, quo fuit, « antequam lex de hoc ferretur. Et hominem impro- « bum non accusari, tutius est, quam absolvi; et « luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nunc, « ipsis vinculis, sicut feræ bestiæ[15], irritata, deinde « emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam « censeo. Vos quod faxitis, deos omnes[16] fortunare « velim.

V. Post hæc tribuni quoque plebei, qui se intercessuros professi erant, quum pauca in eamdem sen-

sumptus, *extendant;* conf. ad Juvenal. III, 180 seq. et VI, 352 sq. — Similem locum esse apud Petronium, c. 46, ubi videnda quæ de hoc loquendi genere notavit Burmannus, docet cl. Doering. Ed. — *Simul,* simul ac, *pudere, quod non oportet, cœperit, quod oportet, non pudebit,* h. l. *quod* pro *cujus,* vel pro *quoad,* quatenus, ubi; Bauer.

14. *Quæ non poterit, virum rogabit,* etc. cf. ad Juvenal. VI, 149 sq. — *Simul lex,* simul ac lex.

15. *Ipsis v., sicut feræ bestiæ,* etc. ita pro vulg. *fera bestia* MSS, in quibus etiam *irritatæ* et *emissæ,* quod durius est: sed nihil impedit, quo minus luxuria cum multis feris recte comparetur; Gron. Conf. XXXV, 18, n. 4. — Cl. Doering. prætulit *fera bestia... emissa,* vinculis soluta, et ingenio suo relicta, ut ruere possit quo velit. Ed.

16. *Ego nullo modo abrog.... velim,* solennis finiendæ suasionis formula. Cf. VI, 41, n. 11, et X, 8, n. 11.

Digitized by Google

tentiam adjecissent; tum L. Valerius pro rogatione ab se promulgata ita disseruit. « Si privati tantum-« modo ad suadendum dissuadendumque id, quod a « nobis rogatur, processissent, ego quoque, quum « satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus « suffragia vestra exspectassem. Nunc, quum vir gra-« vissimus[1] consul M. Porcius, non auctoritate solum, « quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione « etiam longa et accurata insectatus sit orationem no-« stram, necessum est paucis respondere. Qui tamen « plura verba in castigandis matronis, quam in roga-« tione nostra dissuadenda, consumpsit; et quidem, « ut in dubio poneret, utrum id, quod reprehende-« ret, matronæ sua sponte, an nobis auctoribus, feci-« sent. Rem defendam, non nos, in quos jecit magis « hoc[2] consul verbo tenus, quam ut re insimularet. « Cœtum et seditiones et interdum secessionem mu-« liebrem appellavit, quod matronæ in publico vos « rogassent, ut legem, in se latam per bellum tempo-« ribus duris, in pace et florente ac beata republica « abrogaretis. Verba magna, quæ rei augendæ causa « conquirantur, et hæc, et alia esse scio; et M. Ca-« tonem oratorem non solum gravem, sed interdum « etiam trucem, esse scimus omnes, quum ingenio « sit mitis. Nam quid tandem novi matronæ fecerunt,

Cap. V. 1. *Vir gravissimus:* quidam legi volunt *clarissimus;* parvi quidem interest. Qui auctoritate præstant, *graves;* qui gloria florent, *clari* vocantur : ideoque de Catone dici utrumque potest. Quum tamen statim Valerius addat *auctoritatem vel tacitam*, etc. τὸ *gravissimus* multo accommodatius et significantius judicat Doering. Ed. — *Et quidem:* forte *ita* excidit, aut in *et* latet; Bauer

2. *In quos jecit hoc* (al. *hæc*); vide ad II, 45, n. 6. — *Verbo tenus*, inquit Doering. ubi quis verba facit in speciem, vel simulanter et dicis causa aliquid profert: τῷ *verbo tenus* statim opponitur *res*. Ed. — *In publico;* vide ad II, 24, n. 6. — *Per bellum;* vide ad II, 18, n. 1. — *Verba magna*, hoc est, speciosa, quæ fucum faciant; sic *magna loqui* pro jactare, ap. Horat. Sat. I, 3, 13. Ed.

Digitized by Google

« ribus vestris injicere, Quirites, ut divites id habere « velint, quod nulla alia possit; pauperes, ne ob hoc « ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Næ, « simul pudere, quod non oportet, cœperit, quod « oportet, non pudebit. Quæ de suo poterit, parabit: « quæ non poterit, virum rogabit[14]. Miserum illum « virum, et qui exoratus, et qui non exoratus erit! « quum, quod ipse non dederit, datum ab alio vide- « bit. Nunc vulgo alienos viros rogant, et, quod ma- « jus est, legem et suffragia rogant, et a quibusdam « impetrant, adversus te et rem tuam et liberos tuos « inexorabiles. Simul lex modum sumptibus uxoris « tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem « loco existimare, Quirites, futuram rem, quo fuit, « antequam lex de hoc ferretur. Et hominem impro- « bum non accusari, tutius est, quam absolvi; et « luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nunc, « ipsis vinculis, sicut feræ bestiæ[15], irritata, deinde « emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam « censeo. Vos quod faxitis, deos omnes[16] fortunare « velim.

V. Post hæc tribuni quoque plebei, qui se intercessuros professi erant, quum pauca in eamdem sen-

sumptus, *extendant;* conf. ad Juvenal. III, 180 seq. et VI, 352 sq. — Similem locum esse apud Petronium, c. 46, ubi videnda quæ de hoc loquendi genere notavit Burmannus, docet cl. Doering. Ed. — *Simul*, simul ac, *pudere, quod non oportet, cœperit, quod oportet, non pudebit*, h. l. *quod* pro *cujus*, vel pro *quoad*, quatenus, ubi; Bauer.

14. *Quæ non poterit, virum rogabit*, etc. cf. ad Juvenal. VI, 149 sq. — *Simul lex*, simul ac lex.

15. *Ipsis v., sicut feræ bestiæ*, etc. ita pro vulg. *fera bestia* MSS, in quibus etiam *irritatæ* et *emissæ*, quod durius est: sed nihil impedit, quo minus luxuria cum multis feris recte comparetur; Gron. Conf. XXXV, 18, n. 4. — Cl. Doering. prætulit *fera bestia... emissa*, vinculis soluta, et ingenio suo relicta, ut ruere possit quo velit. Ed.

16. *Ego nullo modo abrog.... velim*, solennis finiendæ suasionis formula. Cf. VI, 41, n. 11, et X, 8, n. 11.

Digitized by Google

tentiam adjecissent; tum L. Valerius pro rogatione ab se promulgata ita disseruit. « Si privati tantum-« modo ad suadendum dissuadendumque id, quod a « nobis rogatur, processissent, ego quoque, quum « satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus « suffragia vestra exspectassem. Nunc, quum vir gra-« vissimus[1] consul M. Porcius, non auctoritate solum, « quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione « etiam longa et accurata insectatus sit orationem no-« stram, necessum est paucis respondere. Qui tamen « plura verba in castigandis matronis, quam in roga-« tione nostra dissuadenda, consumpsit; et quidem, « ut in dubio poneret, utrum id, quod reprehende-« ret, matronæ sua sponte, an nobis auctoribus, fecis-« sent. Rem defendam, non nos, in quos jecit magis « hoc[2] consul verbo tenus, quam ut re insimularet. « Cœtum et seditiones et interdum secessionem mu-« liebrem appellavit, quod matronæ in publico vos « rogassent, ut legem, in se latam per bellum tempo-« ribus duris, in pace et florente ac beata republica « abrogaretis. Verba magna, quæ rei augendæ causa « conquirantur, et hæc, et alia esse scio; et M. Ca-« tonem oratorem non solum gravem, sed interdum « etiam trucem, esse scimus omnes, quum ingenio « sit mitis. Nam quid tandem novi matronæ fecerunt,

Cap. V. 1. *Vir gravissimus:* quidam legi volunt *clarissimus;* parvi quidem interest. Qui auctoritate præstant, *graves;* qui gloria florent, *clari* vocantur : ideoque de Catone dici utrumque potest. Quum tamen statim Valerius addat *auctoritatem vel tacitam*, etc. τὸ *gravissimus* multo accommodatius et significantius judicat Doering. Ed. — *Et quidem:* forte *ita* excidit, aut in *et* latet; Bauer

2. *In quos jecit hoc* (al. *hæc*); vide ad II, 45, n. 6. — *Verbo tenus*, inquit Doering. ubi quis verba facit in speciem, vel simulanter et dicis causa aliquid profert: τῷ *verbo tenus* statim opponitur *res*. Ed. — *In publico;* vide ad II, 24, n. 6. — *Per bellum;* vide ad II, 18, n. 1. — *Verba magna,* hoc est, speciosa, quæ fucum faciant; sic *magna loqui* pro jactare, ap. Horat. Sat. I, 3, 13. Ed.

Digitized by Google

« quod frequentes in causa ad se pertinente in publi-
« cum processerunt? Numquam ante hoc tempus in
« publico apparuerunt? Tuas adversus te Origines re-
« volvam[3]. Accipe, quoties id fecerint, et quidem sem-
« per bono publico. Jam a principio, regnante Ro-
« mulo, quum, Capitolio ab Sabinis capto, medio in
« foro signis collatis dimicaretur, nonne intercursu
« matronarum inter acies duas prælium sedatum est?
« Quid? regibus exactis, quum, Coriolano[4] Marcio
« duce, legiones Volscorum castra ad quintum lapi-
« dem posuissent, nonne id agmen, quo obruta hæc
« urbs esset, matronæ averterunt? Jam, Urbe capta
« a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum ma-
« tronæ consensu[5] omnium in publicum contulerunt.
« Proximo bello (ne antiqua repetam) nonne et, quum
« pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adjuverunt
« ærarium[6], et, quum dii quoque novi ad opem fe-
« rendam dubiis rebus arcesserentur, matronæ uni-

3. *Tuas Origines revolvam :* historiæ rom. libros VII, quorum argumenta memorat Nepos in Cat. 3. Idem tradit, eum senem demum historias scribere instituisse, et Cicero, iis ultimam ab illo manum paucis ante mortem diebus fuisse impositam. Livius itaque hujus immemor fuisse videtur, suoque ingenio, ut solet, orationem Valerii, ut et Catonis, apte ad rem et personas effinxisse; aut per prolepsin et e ratione sui temporis hæc dixisse. Conf. ad IV, 54, n. 7; Voss. de Hist. lat. I, 5; Reines. var. lect. I, 25, et Noris. Cenot. Pis. I, 1, p. 4, qui huc etiam refert Liv. XLV, 25, n. 2. Sed ibi Livius laudat librum hunc, qui eo tempore, quo illa scribebat, dudum compositus ac vulgatus erat. — *Capitolio ab Sabinis*, virgines raptas bello repetentibus, *capto*, etc. vid. I, 11-13.

4. *Coriolano Marcio* (vide ad III, 1, n. 1) *duce*, etc. vid. II, 39, 40.— *Agmen, quo obruta hæc urbs esset;* conf. ad Juvenal. X, 142, et XV, 6. —*Urbe capta.* Concinnior cl. Doering. videretur oratio, si, quod vir doctus apud Drak. suadet, legeretur, *Jam urbs capta a Gallis quomodo red.* Facile *quomodo* in *quo* per compendia scripturæ transire potuit. Ed. — Pro *nempe* Duk. malebat. *nonne.* Ed.

5. *Aurum matronæ consensu*, etc. vid. V, 50.

6. *Proximo bello... viduarum pecuniæ adjuverunt ærarium;* vide ad XXIV, 18. Forte leg. *punico bello :* nam *proximum* bellum fuit macedonicum.

Digitized by Google

« versæ ad mare profectæ sunt ad Matrem[7] Idæam ac-
« cipiendam? Dissimiles, inquit, causæ sunt. Nec mihi
« causas æquare propositum est. Nihil novi factum,
« purgare satis est. Cæterum, quod in rebus ad omnes
« pariter viros feminasque pertinentibus fecisse eas
« nemo miratus est, in causa proprie ad ipsas perti-
« nente miramur fecisse? Quid autem fecerunt? Su-
« perbas, me dius fidius, aures habemus, si, quum
« domini servorum non fastidiant preces, nos rogari
« ab honestis feminis indignamur.

VI. « Venio nunc ad id, de quo agitur: in quo du-
« plex consulis oratio fuit. Nam et legem ullam om-
« nino abrogari est indignatus[1] et eam præcipue legem,
« quæ luxuriæ muliebris coercendæ causa lata esset.
« Et illa communis pro legibus visa consularis oratio
« est; et hæc adversus luxuriam severissimis moribus
« conveniebat. Itaque periculum est, nisi, quid in
« utraque re vani sit, docuerimus, ne quis error vo-
« bis obfundatur. Ego enim, quemadmodum ex his le-
« gibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetnæ
« utilitatis causa in æternum latæ[2] sunt, nullam abro-

7. *Ad matrem Idæam accipiendam;* vid. XXIX, 14. — *Inquit:* Drakenb. reposuit *inquis;* nam Valerius, oratione ad consulem conversa, ipsum alloquutus erat, et nunc quasi respondentem inducit: quod probant Modius et Gebhardus. At vide ad VI, 40, n. 3. Ed. — *Nihil novi factum esse, purgare;* vide ad XXIV, 47, n. 3, et XXVII, 20, n. 6. — *Me dius fidius;* vide ad II, 31, n. 5. — *Superbas aures;* vid. XXIV, 5, n. 2.

Cap. VI. 1. *Legem ullam abrogari est indignatus;* vide ad III, 3, n. 1, et XXXI, 31, n. 8. — *Et illa communis pro legibus oratio,* qua pro omnibus est loquutus, nullamque omnino abrogandam censuit, *visa est* ei *consularis,* digna se consule. — *Severissimis moribus* ejus. Conf. ad c. 1, n. 7. — *In utraque re.* Vocabul. *re,* quod, præeunte Gelenio, expunxit edit. Frobeniana anni 1535 et rell. editt. usque ad Gronovium omiserunt, codices tamen tuentur, et cum Gronovio defendit Drak. Ed. — *Ne quis error;* vide ad VI, 32, n. 3.

2. *In æternum latæ* leges, quales sunt leges omnes naturæ, i. e. dei: cæteræ omnes tam diu durant, quam diu reipublicæ statui expedit; Gruter. collato Sophocl. Œd. Tyr. 880. —

Digitized by Google

« gari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut « status aliquis reipublicæ inutilem fecit; sic, quas « tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (ut ita « dicam) et temporibus ipsis mutabiles esse video. « Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum[3] abrogat, « quæ in bello, pax; ut in navis administratione alia « in secundam, alia in adversam tempestatem usui « sunt. Hæc quum ita natura distincta sint, ex utro « tandem genere ea lex esse videtur, quam abroga- « mus[4]? An vetus regia lex, simul cum ipsa urbe nata? « An (quod secundum est) ab decemviris, ad con- « denda jura creatis, in duodecim tabulis scripta? Sine « qua quum majores nostri non existimarint decus « matronale servari posse, nobis quoque verendum « sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque feminarum « abrogemus? Quis igitur nescit, novam istam legem « esse, Q. Fabio et Ti. Sempronio consulibus viginti « annis ante latam? sine qua quum per tot annos ma- « tronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne « abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculum est? « Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem

Quam usus coarguit, ἐλέγχει, inutilem, noxiam, incongruam esse ostendit; Bauer.

3. *Plerumque bellum abrogat* leges, etc. vide ad VII, 16, n. 6. — *Alia in secundam.....tempestatem usui sunt* ex Mogunt. recepit Gron. pro *in secunda tempestate*.

4. *Lex esse videtur, quam abrogamus;* vide ad III, 21, n. 3, et VII, 16, n. 6. — *Vetus regia lex* non, quod jurisconsulti putant (certe id ex his verbis effici haud potest), lex de regio imperio lata, qua populus Romulo supremam omnemque suam potestatem detulerit, sed vetus aliqua lex ex iis, quæ olim a regibus latæ propter æquitatem utilitatemque in usu manserant; Duk. et Drakenb. Cf. VI, 1, et Sigon. de Jure civ. I, 5. — Primas Romanorum leges, ut observat Crev. a regibus latæ fuerant, easque Sex. Papirius quidam, Tarquinio Superbo regnante, in unum collegerat, unde id corpus regiarum legum *jus Papirianum* appellabatur, teste Pomponio de Orig. Juris, n. 2. Ed. — *Sine qua quum majores*, etc. excidisse videtur *an:* nova enim legum classis et commendatio ponitur, non ex antiquitate, sed ex utilitate ac necessitate; Bauer.

Digitized by Google

« muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret: « cur sit autem lata, ipsum indicavit tempus [5]. Han- « nibal in Italia erat victor ad Cannas: jam Tarentum, « jam Arpos, jam Capuam habebat: ad urbem Romam « admoturus exercitum videbatur: defecerant socii: « non milites in supplementum, non socios navales « ad classem tuendam [6], non pecuniam in ærario ha- « bebamus: servi, quibus arma darentur, ita ut pre- « tium pro iis bello perfecto dominis solveretur, eme- « bantur: in eamdem diem pecuniæ frumentum et « cætera, quæ belli usus postulabant, præbenda pu- « blicani se conducturos professi erant: servos ad re- « mum [7], numero ex censu constituto, cum stipendio « nostro dabamus: aurum et argentum omne, ab se- « natoribus ejus rei initio orto, in publicum confere- « bamus: viduæ et pupilli [8] pecunias suas in ærarium

5. *Cur sit autem lata, i. indicavit tempus;* immo *indicabit:* nam si jam *indicavit*, non opus te dicere; Gron.

6. *Non socios navales ad classem tuendam;* vide sup. ad IX, 38, n. 1. « Sententiam non puto esse, non habebamus socios navales, qui classem tuerentur, sed non poteramus tueri classem, quia socios navales non habebamus; quod narrat Liv. XXIV, 11; XXVI, 35, 36. Nam alibi non socii navales, sed respublica *classes* et exercitus navales *tueri* dicitur, quum curat, et de publico præbet tum alia ad eam instruendam et ornandam necessaria, tum remiges et socios navales, omniaque, sine quibus classis haberi et usui esse non potest.» Duk. coll. XXIII, 38, 48; XXVIII, 41; Justin. XVI, 3; ubi *tutela classis* sic dicitur. — *Servi, quibus arma darentur,* etc. vide ad XXII, 57. — *In eamdem diem pecuniæ*, h. e. diem solutionis ex ærario faciendæ, ut jurisconsultis *diem esse, venire, cedere;* Gron. Conf. XXXVI, 4, n. 3; et de re XXIII, 48, 49. — Sic Cic. ad Attic. X, 5: *diem pecuniæ idus novembres esse.* Ed. — *Præbenda public. se conducturos professi erant;* conf. XXIII, 48, 49, et ad V, 23, n. 6, et XXIII, 48, n. 4.

7. *Servos ad remum dabamus*, i. e. qui remiges essent, ut apud Sueton. Aug. 16; quod ibi non recte quidam de pœna accipiunt: nam *ad* sæpe notat ministerium; Duk. Conf. ad VII, 5, n. 4; Scalig. ad Catull. X; Passerat. ad Prop, IV, 8, pag. 662. Similiter XXII, 61, *servos ad militiam emere* dicitur; Drak.—*Cum stipendio nostro dabamus*, ita, ut et stipendium iis de nostro præberemus; Bauer. — *In publicum conferebamus;* vid. XXVI, 35, 36, et ad XXVI, 36, n. 3.

8. *Viduæ et pup.*, etc. vid. XXIV,

Digitized by Google

« deferebant : cautum erat, quo ne plus auri et ar-
« genti facti, quo ne plus signati argenti et æris domi
« haberemus. Tali tempore in luxuria et ornatu ma-
« tronæ occupatæ erant, ut ad eam coercendam lex
« Oppia desiderata sit? quum, quia Cereris sacrifi-
« cium, lugentibus omnibus matronis, intermissum
« erat, senatus finiri luctum triginta diebus jussit. Cui
« non apparet, inopiam et miseriam civitatis, et quia
« omnium privatorum pecuniæ in usum publicum
« vertendæ erant, istam legem scripsisse[9], tamdiu
« mansuram, quamdiu causa scribendæ legis mansis-
« set? Nam si, quæ tunc temporis causa aut decrevit
« senatus, aut populus jussit, in perpetuum servari
« oportet, cur pecunias reddimus privatis? cur pu-
« blica præsenti pecunia locamus[10]? cur servi, qui
« militent, non emuntur? cur privati non damus re-
« miges, sicut tunc dedimus?

VII. « Omnes alii ordines, omnes homines muta-
« tionem in meliorem statum rei publicæ sentient : ad
« conjuges tantum nostras pacis et tranquillitatis pu-
« blicæ fructus non perveniet? Purpura viri utemur,
« prætextati in magistratibus, in sacerdotiis; liberi

18. — *Ne plus auri et argenti facti;* de ære facto nihil cautum fuerat : cujus rei causam Periz. in diss. de ære gravi, § 18, exponit; Duk.—*Tali tempore in luxuria et ornatu* (in luxurioso ornatu; Drak.) *matronæ*, etc. hoc potius cum interrogatione, quam per ironiam dictum videtur; Duk.—*Ad eam coercendam*, sc. luxuriam. Forte leg. *ad ea coercenda.* — *Quia Cereris sacrificium*, etc. vide ad lib. XXII, cap. 56, n. 4.

9. *Inopiam et miseriam civitatis... istam legem scripsisse*, h. e. causam fuisse, cur lex scriberetur. Quidam MSS et edd. *ob inopiam..... legem scriptam*: sed illud multo elegantius esse docet Gron. coll. VIII, 12, n. 12; Plin. Ep. VIII, 18, et exemplis græcis, Hyperidis apud Longin. τοῦτο τὸ ψήφισμα οὐχ ὁ ῥήτωρ ἔγραψεν, ἀλλ' ἡ ἐν Χαιρωνείᾳ μάχη, Aurelii apud Plut. in Sull. pag. 472, Οἴμοι τάλας, διώκει με τὸ ἐν Ἀλβανῷ χωρίον, et Libanii τῆς ψήφου δὲ τεθείσης, ἣν τὸ κράνος καὶ ὁ θώρηξ ἤθελεν. Conf. supra apud V, 39, n. 3, et VII, 16, n. 6.

10. *Publica* opera *præs. pecunia locamus;* vide ad I, 12, n. 6, et V, 23, n. 6. Hæc et reliqua spectant ad præcc.

Digitized by Google

« nostri prætextis purpura togis utentur[1]; magistra-
« tibus in coloniis municipiisque, hic Romæ infimo
« generi magistris vicorum[2] togæ prætextæ habendæ
« jus permittemus; nec id ut vivi solum habeant tan-
« tum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mor-
« tui[3]: feminis dumtaxat purpuræ usum interdice-
« mus? et, quum tibi viro liceat purpura in veste
« stragula[4] uti, matrem familiæ tuam purpureum ami-
« culum habere non sines? et equus tuus speciosius
« instratus erit, quam uxor vestita? Sed in purpura,
« quæ teritur, absumitur, injustam quidem, sed ali-
« quam tamen, causam tenacitatis video: in auro
« vero, in quo præter manus pretium[5] nihil intertri-

Cap. VII. 1. *Prætextati in magistratibus... prætextis purpura togis utentur;* vide ad XXII, 57, n. 10. — *Magistratibus in coloniis m.*, etc. non additur *sacerdotibus*, quibus etiam in municipiis datam esse prætextam, Otto de ædil. colon. c. 12, perperam ex h. l. probare conatur; Drak.

2. *Infimo generi* magistratuum, *magistris vicorum*, qui etiam *vicomagistri* et *viocuri* dicebantur. — Hi apud Romanos vicorum magistri prætexta usi, notante Doering. videntur tum quum ludos compitalitios facerent, ut observat Ascon. ad Cic. in Pis. c. 4: *sicut mag. vic. faciebant compitalitios prætextati.* Videtur autem Livius causæ quam perorabat Valerius præter rationem temporis inserviisse. Vicorum enim magistri ab Augusto demum instituti sunt, ut tradit Suet. Aug. 30; nisi forte verba *hic Romæ... vicorum* pro additamento, post Augusti tempora adscripto, habenda sint. Ed. — *Jus permittemus*, pleonasmi genus; Bauer.

3. *Ut cum eo crementur mortui:* nam vestimenta cum mortuis cremari, et hi togis operiri solebant. Confer. Suet. Cæs. 84; Virgil. Æn. VI, 221; ad Juvenal. III, 172; Lips. Elect. I, 6; Kirchman. de Fun. I, 10; Otto de Ædil. Col. cap. 12. — *Usum interdicemus.* Quidam habent *usu;* sed vulgatam defendit præter alios Modius, allatis exemplis e Sen. de Ira, III, 23; Suet. Ner. 22. Utramque lectionem Livio et aliis usitatam fuisse ostendit Drak. ad V, § 8. Ed.

4. *In veste stragula*, qua lecti sternuntur, peripetasmate, peristromate. Conf. ad XXXIX, 6, n. 8. — *Equus tuus speciosius instratus erit:* nam equi magistratuum, eorumque, qui in imperio erant, stratis ex auro et purpura ornabantur; vid. Lips. de Mil. rom. III, 7, ubi et notat eos, qui *lectus* pro *equus* legebant; Duk. Conf. ad XXVIII, 14, n. 1.

5. *In quo* auro *præter manus pretium* (quod etiam *manupretium* et *manipretium* dicitur, germ. *Macherlohn*, merces artifici pro labore data, *ubi non tam materiæ ratio, quam manus*

Digitized by Google

« menti fit, quæ malignitas est? Præsidium potius in « eo est et ad privatos, et ad publicos usus, sic ut « experti estis. Nullam æmulationem inter se singu- « larum, quando nulla haberet, esse aiebat. At, her- « cule, universis dolor et indignatio est, quum so- « ciorum latini nominis uxoribus vident ea concessa « ornamenta, quæ sibi adempta sint, quum insignes « eas esse auro et purpura, quum illas vehi per ur- « bem, se pedibus sequi[6]; tanquam in illarum civita- « tibus, non in sua, imperium sit. Virorum hoc ani- « mos vulnerare posset: quid muliercularum censetis, « quas etiam parva movent? Non magistratus, nec « sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona, « aut spolia bellica his contingere possunt. Munditiæ « et ornatus et cultus, hæc feminarum insignia sunt: « his gaudent et gloriantur; hunc mundum muliebrem « appellarunt majores nostri. Quid aliud in luctu, « quam purpuram atque aurum deponunt[7]? quid, « quum eluxerunt, sumunt? quid in gratulationibus « supplicationibusque, nisi excellentiores ornatus, ad- « jiciunt? Scilicet, si legem Oppiam[8] abrogaveritis,

atque artis ducitur; Ascon. ad Cic. Verr. I, 56) *nihil intertrimenti fit;* vide ad XXXII, 2, n. 1, et cf. Drak.

6. *Se pedibus sequi*, sane non ut sequantur pedibus carpento vectas, quippe per se vadebant, suum iter persequentes; sed indignitati dedit, quasi pedisequæ viderentur, illis deteriores, aut etiam subjectæ ut dominabus; Bauer. *Sequi* pro lentius procedere: potest tamen et proprie dictum videri. — *Virorum animos vulnerare*, angere, cruciare, ut *vulgus* mentis dicitur dolor et ægritudo. — *Mundum muliebrem* et *munditias* modo laxiore, modo arctiore significatione dixere scriptores veteres; Duk. — Hic videtur Livius ambigue argutari vocab. *mundus*, quod orbem universum simul ac muliebria ornamenta significat, sicut Græcis κόσμος accipitur. Itaque innuit orator pro magistratibus, pro sacerdotiis, etc. unum feminis concedi cultum, qui pro rebus universi orbis omnibus suppetit illis. Ed.

7. *In luctu purpuram et aurum deponunt;* vide ad IX, 7, n. 5.—*Quum eluxerunt*, lugere et uti veste lugubri desierunt. Conf. Noris. ad cenot. Pis. diss. III, 2, p. 368.—*Gratulationibus supplicationibusque;* vid. III, 63, n. 2.

8. *Scilicet* (vide ad IV, 5, n. 2)

Digitized by Google

« non vestri arbitrii erit, si quid ejus vetare volueritis, « quod nunc lex vetat. Minus filiæ, uxores, sorores « etiam quibusdam in manu erunt[9]. Nunquam, salvis « suis, exuitur servitus muliebris; et ipsæ libertatem, « quam viduitas et orbitas facit, detestantur. In vestro « arbitrio suum ornatum, quam in legis, malunt esse. « Et vos in manu et tutela, non in servitio, debetis « habere eas; et malle patres vos aut viros, quam do- « minos, dici. Invidiosis nominibus utebatur modo « consul, seditionem muliebrem et secessionem ap- « pellando: id enim periculum est[10], ne Sacrum mon- « tem, sicut quondam irata plebs, aut Aventinum ca- « piant. Patiendum huic infirmitati[11] est, quodcumque « vos censueritis. Quo plus potestis, eo moderatius « imperio uti debetis. »

VIII. Hæc quum contra legem proque lege dicta essent, aliquanto major frequentia mulierum postero die sese in publicum effudit, unoque agmine omnes tribunorum januas obsederunt, qui collegarum rogationi intercedebant, nec ante abstiterunt, quam remissa intercessio ab tribunis esset. Nulla deinde dubitatio fuit, quin omnes tribus legem abrogarent. Anno vigesimo post abrogata est, quam lata. M. Por-

si legem Oppiam... erunt, argumentum Catonis, quod mox refellitur.

9. *Quibusdam in manu erunt* (vide ad V, 20, n. 1), sc. parentibus, fratribus, viris. Conf. cap. 2. — *Salvis suis*, cognatis, necessariis, sc. patre, marito, avo, socero, fratribus. — « *Servitus muliebris* et *libertas* feminarum non proprie, sed oratoria αὐξήσει et eodem modo dicitur, quo maritus *dominus uxoris*, et quo *servire* apud Virgil. Æn. IV, 103. Nam mulieres, quæ in manum viri convenerant, in mancipio viri erant (quod Serv. ad Virgil. l. l. dicit *sustinere conditionem liberalis servitutis*), nec tamen illius mancipia; et hoc vult Livius, illas, dum in manu ac potestate virorum et patrum sunt, nihil, nisi ex eorum arbitrio, posse gerere; viduas et orbas factas magis sui juris et arbitrii esse. » Duker.

10. *Id enim periculum est*, εἰρωνικῶς dicta.

11. *Huic infirmitati*, infirmo mulierum generi.

Digitized by Google

cius consul, postquam abrogata est Oppia lex, extemplo viginti quinque navibus longis (quinque sociorum erant) ad Lunæ portum[1] profectus, eodem exercitu convenire jusso, et, edicto per oram maritimam misso, navibus omnis generis contractis, ab Luna proficiscens edixit, ut ad portum Pyrenæi sequerentur: inde se frequenti classe ad hostes iturum. Prætervecti Ligustinos montes sinumque Gallicum, ad diem, quam edixerat, convenerunt: inde Rhodam ventum[2], et præsidium Hispanorum, quod in castello erat, vi dejectum. Ab Rhoda secundo vento Emporias perventum: ibi copiæ omnes, præter socios navales, in terram expositæ.

IX. Jam tunc Emporiæ duo oppida[1] erant muro divisa: unum Græci habebant, a Phocæa, unde et Massilienses, oriundi; alterum Hispani. Sed græcum oppidum, in mare expositum, totum orbem muri minus quadringentos passus patentem habebat; Hispanis retractior a mari trium millium passuum in circuitu murus erat. Tertium genus[2], romani coloni ab Divo Cæsare, post devictos Pompeii liberos, adjecti. Nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis

Cap. VIII. 1. *Ad Lunæ portum*; vide ad Sil. VIII, 480 sq. et Strab. V, 2, n. 5, p. 222. Luna urbs Etruriæ trans Macram fl. (hod. *Magra*; conf. XXXIX, 32; XL, 41), qui et Lunam portumque ejus capacissimum, et Etruriam Liguriamque interfluit. — *Eodem*, ad eumdem portum. — *Ad portum Pyrenæi*. Non *Pyrenem* quod in nullo cod. præter unum Harl. legi testatur Drak. Per portum Pyrenæi intelligi, qui «inter Pyrenæi promontoria portus Veneris in sinu falso» Melæ vocatur, P. de Marca in Marca Hispan. I, 9, 4. Ed.

2. *Inter Rhodam ventum*, opp. Indigetum in Hispania prope Pyrenæum, hod. *Roses*. De *Rhoda* et *Emporiis* vid. P. de Marca in Marca Hispan. II, 18.

Cap. IX. 1. *Jam nunc Emporiæ duo oppida... a Phocæa, unde et Massilienses, oriundi*, etc. vide ad XXI, 60, n. 1. (Ubi adire licet Edit. nostr. Sil. Ital. vol. I, p. 516. Ed.)

2. *Tertium genus* incolarum, hominum; vide ad I, 18, n. 5. — *In corpus unum confusi omnes* incolæ, ex diversis regionibus oriundi. Conf. ad I, 17, n. 2.

Digitized by Google

prius, postremo et Græcis in civitatem romanam adscitis. Miraretur, qui tum cerneret[3], aperto mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam feræ et bellicosæ genti, objectos quæ res eos tutaretur. Disciplina erat custos infirmitatis[4], quam inter validiores optime timor continet. Partem muri versam in agros egregie munitam habebant, una tantum in eam regionem porta imposita; cujus assiduus custos semper aliquis ex magistratibus[5] erat. Nocte pars tertia civium in muris excubabant; neque moris tantum aut legis causa, sed, quanta si hostis ad portas esset, et servabant vigilias, et circumibant, cura. Hispanum neminem in urbem recipiebant: ne ipsi quidem temere urbe excedebant; ad mare patebat omnibus exitus. Porta ad Hispanorum oppidum versa nunquam nisi frequentes, pars tertia fere, cujus proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Causa exeundi hæc erat: commercio eorum Hispani[6], imprudentes

3. *Miraretur, qui tum cerneret*, etc. sua respicit tempora Livius, quibus id non cernebatur; Gron. — Orationem paulo impeditiorem sic exponit Doering. « qui nunc cerneret quomodo illi tum ab altera parte... objecti fuerint, is sane miraretur, quæ res eos, etc. » Ed.

4. *Disciplina erat custos infirmitatis*, tuebatur Græcos, infirmiores Hispanis, *quam* disciplinam... *continet*, servat, haud negligi patitur.

5. *Cujus assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat*, vocem *semper* ex Mogunt. cod. addidit All., eamque tum τῷ *assiduus* a Cic. Rosc. Am. 18, et Ovid. Fast. IV, 686, tum similibus vocabulis a Liv. V, 42, XXXV, 16, et aliis per pleonasmum adjici monet Duker. qui etiam verba nostra ita accipi posse dicit, semper servatum fuisse, ut unus e magistratibus custos portæ esset, eaque custodia per vices in orbem iret, ita ut is, cujus vices erant, assiduus ibi adesset, nec usquam a custodia discederet. — Quosdam fuisse, qui particulam *semper* sine idonea causa delendam censerent, monet Doering.; τὸ *semper* enim non ad *assiduus*, in quo jam latet illa particula, sed ad morem, de quo sermo est, semper servatum, referendum est. Ed. — *Neque moris tantum aut legis causa, sed* etiam *cura* tanta, *quanta*, etc. — *Servabant vigilias*, ut *præsidia* XXVIII, 22, n. 4, et *custodias*, XXXIII, 4; gr. τηρεῖν et φυλάττειν φυλακάς · vide Drak.

6. *Hispani, imprudentes maris* (vide ad IV, 39, n. 4), *volebant*, cupiebant,

Digitized by Google

maris, gaudebant, mercarique et ipsi ea, quæ externa navibus inveherentur, et agrorum exigere fructus, volebant. Hujus mutui usus desiderium, ut hispana urbs Græcis pateret, faciebat. Erant etiam eo tutiores, quod sub umbra romanæ amicitiæ latebant; quam sicut minoribus viribus[7], quam Massilienses, pari colebant fide. Tunc quoque consulem exercitumque comiter ac benigne acceperunt. Paucos ibi moratus dies Cato, dum exploraret, ubi et quantæ hostium copiæ essent; ut ne mora quidem segnis esset, omne id tempus exercendis militibus consumpsit. Id erat forte tempus anni, ut frumentum in areis[8] haberent. Itaque, redemptoribus vetitis frumentum parare, ac Romam dimissis, « Bellum, inquit, se ipsum alet ». Profectus ab Emporiis agros hostium urit vastatque; omnia fuga et terrore complet.

X. Eodem tempore M. Helvio, decedenti ex ulteriore Hispania cum præsidio sex millium, dato ab Ap. Claudio prætore, Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Illiturgi occurrerunt. Viginti millia armatorum fuisse, Valerius scribit; duodecim millia ex iis cæsa, oppidum Illiturgi receptum, et puberes omnes interfectos. Inde ad castra Catonis Helvius pervenit; et, quia tuta jam ab hostibus regio erat, præsidio in ulteriorem Hispaniam remisso, Romam est profectus,

gestiebant, *et mercari ipsi ea, quæ externa*, e regionibus externis, *navibus* Græcorum *inveherentur, et agrorum* suorum *fructus exigere*, exportare ope Græcorum in externas regiones, vel vendere Græcis. « Sic *mercibus exactis*, h. e. venditis traditisque et distractis, dixit Colum. X, 317. *Venales extrudere merces* Horat. Epist. II, 2, v. 11. *Mercis exactum* Quintil. in Decl. 11, h. e. forum, nundinæ, locus et occasio mercis exigendæ et magno cum lucro venumdandæ. Græcis quoque recepta ἐξάγειν σῖτον pro exportare, ἐξαγωγὴ σίτου, unde Plautus *facere exagogam* et τὰ ἐξαγώγιμα merces, quæ exportantur »; Gron.

7. *Sicut minoribus viribus*, ita *pari c. f.*; vide ad IX, 17, n. 2.

8. *Ut frumentum in areis haberent*, in quibus teri seu tribulari solebat. — *Redemptoribus*; vide ad V, 23, n. 6.

Digitized by Google

et ob rem feliciter gestam ovans Urbem est ingressus. Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo[1], et signati bigatorum septemdecim millia viginti tria, et Oscensis[2] argenti centum viginti millia quadringentos triginta octo. Causa triumphi negandi senatui fuit, quod alieno auspicio[3] et in aliena provincia pugnasset. Cæterum biennio post redierat, quum, provincia successori Q. Minucio tradita[4], annum insequentem retentus ibi

Cap. X. 1. *Quatuordecim millia pondo*, etc. selibras seu marcas nostrates 23018 cum sex unciis, secundum Creverii rationes, quas hactenus sequuti et adhuc sequuturi sumus. Ed. — *Et signati* argenti *bigatorum;* vide ad XXII, 52, n. 3. — *Septemdecim millia*, etc. denarios 17023, marcas argenti paulo plus 267. Pondus hoc Creverio perexiguum videtur, et fortasse aliquis error irrepsisse in numeris. « Verisimile enim, inquit, non est hic suppleri debere pondo ut intelligantur libræ romanæ argenti 17023: ubi enim Livius bigatorum aut quadrigatorum mentionem apposito numero facit, numerum ipsorum denariorum exprimit ut hoc ipso c. infra, ut lib. XXXIII, cap. 37, et alibi passim. » Tamen adjicienti τὸ *pondo* unus Lov. teste Drak. qui tamen potius subintelligendam arbitratur vocem *nummorum* vel *nummos*. Utrum vero nummus argenti Oscensis Romanorum sestertio æquiparari debeat, ut statuit Crev. ad lib. XL, 43, sibi incertum esse vir doct. profitetur: videtur enim ei intelligendus nummus in Hispania ab ipsis Hispanis cusus; qui cujus valoris fuerit, aliquem indicare non meminit. Cæterum Livius non nisi in rebus hispanicis *Oscensis argenti* mentionem facit. Ed.

2. *Oscensis*, sc. nummos, Oscæ signatos, ut c. 46 pr. Sic et XLV, 43, n. 3, *centum viginti millia Illyrii argenti*, h. e. nummorum argenteorum, in Illyrico cusorum, quos *Victoriatos* fuisse dictos monet Doujat. quia primos Victoriatos ex Illyrico advectos tradat Plin. XXXIII, 3. Duæ autem *Oscæ* fuerunt in Hispania, altera in Tarrac. seu citeriore, Vescitanorum urbs ad fines Ilergetum, hod. *Huesca* (vid. Ptol. II, 6; Plut. Sertor. p. 575, et intpp. Velleii, II, 30), altera in Bætica; vid. Ptol. II, 4. Ab illa argentum Oscense dictum suspicabatur Marca in Marca Hisp. II, 28. In horum Osoensium ditione celebres fuisse credendum argentifodinas, quibus Hispania abundavit; Donat. Confer. ad Sil. I, 155, 228 seq. III, 401.

3. *Quod alieno auspicio*, etc. conf. n. 4, et ad XXVI, 21, n. 1.—*Biennio post redierat*, sc. quam provinciam sortitus fuerat, vel in eam venerat; Duk. Conf. XXXII, 28.

4. *Provincia successori Q. Minucio tradita:* Helvius quidem Hispaniam ulteriorem, Minucius citeriorem erat sortitus (vide ad lib. XXXII, 28, et XXXIII, 26); sed Helvius, ex sua provincia decedens, in *aliena* rem bene gesserat, i. e. in citeriore; et quia hanc citeriorem obtinuerat Mi-

Digitized by Google

longo et gravi morbo fuisset. Itaque duobus modo mensibus ante Helvius ovans Urbem est ingressus, quam successor ejus Q. Minucius triumpharet. Hic quoque tulit argenti pondo triginta quatuor millia octingenta, bigatorum septuaginta octo millia, et Oscensis argenti ducenta septuaginta[5] octo millia.

XI. In Hispania interim consul haud procul Emporiis castra habebat: eo legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus unus filius erat, venerunt, querentes, *castella sua oppugnari, nec spem ullam esse resistendi, nisi præsidium Romani misissent*[1]. *Tria millia militum satis esse; nec hostes, si tanta manus venisset, mansuros.* Ad ea consul, *Moveri quidem se vel periculo eorum, vel metu*, dicere; *sed sibi nequaquam tantum copiarum esse, ut, quum magna vis hostium haud procul absit, cum qua mox signis collatis dimicandum sibi in dies exspectet, dividendo exercitum minuere tuto vires posset.* Legati, ubi hæc audierunt, flentes ad genua consulis provolvuntur.

nucius, idcirco *successor* Helvii appellatur: quare nihil mutandum est, contra atque Glar. censet; Sigon. Hæc mihi non satis faciunt, et miror Pighium ac Periz. qui studiose consectantur ea, in quibus negligentia aliqua Livii accusari potest, hoc intactum præteriisse, quod mihi inexplicabile videtur; Duker.

5. *Ducenta septuaginta*, etc. selibras nostrates 434375. Numerus ille immanis est, et qui fidem excedere videatur Creverio. Fortasse hic aliquid est mendi. Vid. supra n. 1. Ed.

Cap. XI. 1. *Nisi præsidium Romani misissent:* Gelen. e cod. Mogunt. *nisi præsidio romanus miles esset*, quod restituit Drak. Displicuit forte, quod *misissent* dictum pro *mitterent.* Sed hoc neque nostro, neque purgatissimis aliis scriptoribus insolens esse, docent Gron. et Drak. Conf. ad VI, 3, n. 3.—*Tria millia militum.* In numero variant MSS; quidam *quatuor millia.* Ex Mogunt. cod. *tria mil.* edidit Drak. consentiente Christio, qui hanc recte reddit rationem, Livium si alterum maluisset potius dicturum fuisse *legionem satis esse*, quum legio eo tempore ex tot ferme militibus constaret. Ed. — *Moveri quidem se.* Gronovianæ editiones carent τῷ *se;* Creverius ex cæterarum consensu illud revocavit. Ed.—*Cum qua mox... dimicandum sibi*, etc. Jac. Gron. ex Thuan. cod. cui assentiuntur duo e MSS Hearnii, ita locum emendat, *et quam mox..... dimicandum sit, in*

Digitized by Google

Orant, *Ne se in rebus tam trepidis*[2] *deserat. Quo enim se, repulsos ab Romanis, ituros? Nullos se socios, nihil usquam in terris aliud spei habere. Potuisse se extra id periculum esse, si decedere fide, si conjurare cum cæteris voluissent. Nullis minis, nullis terriculis se motos, sperantes, satis opis et auxilii sibi in Romanis esse. Id si nullum sit, si sibi a consule negetur, deos hominesque se testes facere, invitos et coactos se, ne eadem, quæ Saguntini passi sint, patiantur, defecturos, et cum cæteris potius Hispanis, quam solos, perituros esse.*

XII. Et illo quidem die sic sine responso dimissi: consulem nocte, quæ insequuta est, anceps cura agitare. Nolle deserere socios, nolle minuere exercitum; quod aut moram sibi ad dimicandum, aut in dimicando periculum afferre posset. Stat sententia, non minuere copias, ne quid interim hostes inferant ignominiæ: sociis spem pro re ostendendam[1] censet. Sæpe vana pro veris, maxime in bello, valuisse[2]; et credentem se aliquid auxilii habere, perinde atque haberet, ipsa fiducia et sperando atque audendo servatum. Postero die legatis respondit, *Quanquam vereatur, ne suas vires, aliis eas commodando, minuat; tamen illorum se temporis ac periculi magis, quam sui, rationem habere.* Denuntiari militum parti tertiæ ex omnibus

dies, etc. Lectionem hanc eleganter vocat Crev. Ed.

2. *In rebus tam trepidis;* vide ad V, 11, n. 3.

Cap. XII. 1. *Spem pro re* ostentandam; nam spes valet pro re, quia animis omnes ea præcipiunt, quæ cupiunt, ut loquitur Dio Cass. LII, 13; hoc est, spes nihil putat futurum, cuncta habet præsentia; Gruter. Pro *spem* etiam suspicari possis *speciem*, quæ sæpe *rei* opponitur, ut mox *vana veris*. Conf. ad VI, 14, n. 2, et XXII, 3, n. 4; ad Tac. III, 30, n. 7. Huic conjecturæ favent prima verba cap. 13; *ubi satis, quod in speciem fuit, ostentatum est.*

2. *Sæpe vana pro veris... valuisse*, etc. quia implent animos modo spe, modo formidine; Grut. Conf. ad XXVII, 45, n. 1; Curt. IV, 13, n. 5, et Cæs. B. C. II, 4. — *Denuntiari...*

Digitized by Google

cohortibus jubet, ut cibum, quem in naves imponant, mature coquant; navesque in diem tertium expediri jussit. Duos ex legatis Bilistagi atque Ilergetibus nuntiare ea jubet; filium reguli comiter[3] habendo et muneribus apud se retinet. Legati non ante profecti, quam impositos in naves milites viderunt: id pro haud dubio jam nuntiantes, non suos modo, sed etiam hostes, fama Romani auxilii adventantis impleverunt.

XIII. Consul, ubi satis, quod in speciem fuit, ostentatum est[1], revocari ex navibus milites jubet. Ipse, quum jam id tempus anni appeteret, quo geri res possent, castra hiberna tria millia passuum ab Emporiis posuit. Inde per occasiones, nunc hac parte, nunc illa, modico præsidio castris relicto, prædatum milites in hostium agros educebat. Nocte ferme proficiscebantur, ut et quam longissime a castris procederent, et inopinatos opprimerent. Et exercebat ea res novos milites, et hostium magna vis excipiebatur; nec jam egredi extra munimenta castellorum audebant. Ubi satis admodum et suorum et hostium animos est ex-

jubet... jussit, etc. Jac. Periz. quum hæc omnia sive ipsius auctoris, sive Catonis ad legatos verba sint, necessario cum præcedd. conjuncta volebat; mox expungendum τὸ *jubet*, atque insuper *jussisse*, pro *jussit*, scribendum conjectavit. Sed locum defendit clar. Doering. qui emendationem ibi aliquam nemini desiderandam pronuntiat. Nam repetitionem verbi *jubet*, *jussit* et paulo post *jubet* alibi quoque Noster haud repudiavit; vid. Drakenb. ad XXXI, 11, § 9. Ed.

3. *Comiter habendo*, tractando.

Cap. XIII. *Quod in speciem fuit, ostentatum est*; vide ad IV, 30, n. 1. et VI, 14, n. 2.—*Quum jam id tempus anni appeteret* (vide ad V, 19, n. 2), *quo*, etc. unde vix *hibernis* locus est, et τὸ *hiberna* expungerem, si codices faverent; Drak. Cato, qui in Hispaniam venit, quum Hispani frumentum in areis haberent (vid. cap. 9), ab eo tempore usque ad id, quo castra hiberna ad Emporias posuit, nihil rerum gessisse videtur, nisi quod agros hostium vastavit, fortassis quod propter calores Hispaniæ ibi per æstatem res geri non poterant; Duk. Conf. ad XXXV, 7. — *Nocte ferme proficiscebantur* præter morem; vid. Schel. ad Polyb. cap. 9. — *Satis admodum*, f.

Digitized by Google

pertus, convocari tribunos præfectosque[2] et equites omnes et centuriones jussit. « Tempus, inquit, quod « sæpe optastis, venit, quo vobis potestas fieret vir- « tutem vestram ostendendi. Adhuc prædonum magis, « quam bellantium, militastis more : nunc justa pugna « hostes cum hostibus conseretis manum. Non agros « inde populari, sed urbium opes exhaurire[3] licebit. « Patres nostri, quum Hispania Carthaginiensium, et « imperatores ibi et exercitus essent, ipsi nullum im- « peratorem, nullos in ea milites haberent; tamen ad- « dere hoc in fœdere voluerunt, ut imperii sui Iberus « fluvius esset finis. Nunc, quum duo prætores, quum « consul, quum tres exercitus Romani Hispaniam ob- « tineant, Carthaginiensium jam prope decem annis « nemo in his provinciis sit, imperium nobis citra Ibe- « rum amissum est. Hoc armis et virtute recuperetis « oportet; et nationem, rebellantem magis temere, « quam constanter bellantem, jugum, quo se exsuit, « accipere rursus cogatis. » In hunc modum maxime

satis ad hunc modum; Duker. Sed illud *admodum* videtur τῷ *satis* ita adjunctum esse, ut alibi numeris, quum diligenter, non crassiori modo significantur; Ern.

2. *Convocari tribunos præfectosque* sociorum, qui tribunis pares, *et equites omnes et centuriones;* sed cur *equites omnes?* nam consilium est, non concio. Lipsius, Mil. Rom. XXI, 8, conj. *præfectosque equitum omnes*, ut sint decuriones, merito vocati, ubi omnes centuriones. Sed ita in hoc consilio non dari locum præfectis sociorum, qui fere cives romani non infimi loci, et decurionibus equitum dignitate longe superiores fuerint, monet Duk. *Equites omnes centuriones* emend. Grut. qui tamen centuriones primorum ordinum equis militasse dicit, non probat. Latet mendum, etsi haud variant libri. — Nihil hic mutandum existimat cl. Doering. non enim sermo jam est de *consilio* in quod deliberandi gratia convenitur, sed de *concilio*, in quo consul omnes milites ad virtutem ostendendam exhortaturus erat. Ejusmodi *concilio* cur non adesse potuerint *omnes equites* ipse vir cl. non videt. Ed.

3. *Urbium opes exhaurire;* vide ad X, 44, n. 1. — *Quum Hispania Carthag.* Ante Gronov. edebatur, *quum in Hispania*, etc. male. Sensum melius sic exponit Doering. « quum Hispania ad Carthaginienses pertineret, sive in Carthaginiensium potestate esset, et imperatores, etc. » Ed.

Digitized by Google

adhortatus pronuntiat, se nocte ad castra hostium ducturum. Ita ad corpora curanda dimissi.

XIV. Nocte media quum auspicio[1] operam dedisset, profectus, ut locum, quem vellet, prius quam hostes sentirent, caperet, præter castra hostium circumducit, et prima luce, acie instructa, sub ipsum vallum tres cohortes mittit. Mirantes Barbari ab tergo apparuisse Romanum, discurrere ipsi ad arma. Interim consul apud suos, « Nusquam, nisi in virtute, « spes est, milites, inquit, et ego sedulo, ne esset, « feci. Inter castra nostra et nos medii hostes. Ab « tergo hostium ager est. Quod pulcherrimum, idem « tutissimum est, in virtute spem positam habere ». Sub hæc cohortes recipi[2] jubet, ut Barbaros simulatione fugæ eliceret. Id, quod crediderat, evenit. Pertimuisse et cedere rati Romanos, porta erumpunt, et, quantum inter castra sua et hostium aciem relictum erat loci, armatis complent. Dum trepidant acie instruenda[3], consul, jam paratis ordinatisque omnibus, incompositos aggreditur. Equites primos ab utroque cornu in pugnam educit: sed in dextro extemplo pulsi, cedentesque trepidi etiam pediti terrorem intulere. Quod ubi vidit consul, duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci jubet, et ab tergo se ostendere, prius quam concurrerent peditum acies. Is terror objectus hosti rem, metu romanorum equitum inclinatam, æquavit. Tamen adeo turbati erant

Cap. XIV. 1. *Nocte media quum auspicio*, auspiciis capiendis, *operam dedisset;* vide ad VIII, 23, n. 12. — *Circumducit;* vide ad I, 23, n. 4. — *Discurrere ipsi*, forte *et ipsi*, quod amat Livius; Duk. — *Ego sedulo, ne esset* spes nisi in virtute, *feci*, naves Massiliam ablegando, ut observat J. Fr. Gronovius ex Appiano, pag. 276. Ed.

2. *Sub hæc* verba *cohortes*, etc. vide ad II, 55, n. 1.

3. *Trepidant acie instruenda;* vide ad III, 49, n. 4.

Digitized by Google

dexteræ alæ equites peditesque, ut quosdam consul manu ipse reprehenderit[4], verteritque in hostem. Ita, et quamdiu missilibus pugnatum est, anceps pugna erat; et jam ab dextra parte, unde terror et fuga cœperat, ægre Romanus restabat, ab sinistro cornu et ab fronte urgebantur Barbari, et cohortes ab tergo instantes pavidi respiciebant. Ut, emissis[5] soliferreis falaricisque, gladios strinxerunt, tum velut redintegrata est pugna. Non cæcis ictibus[6] procul ex improviso vulnerabantur; sed, pede collato, tota in virtute ac viribus spes erat.

XV. Fessos jam suos consul, ex secunda acie subsidiariis cohortibus in pugnam inductis, accendit: nova acies facta. Integri recentibus telis fatigatos adorti hostes primum acri impetu, velut cuneo[1], perculerunt; deinde dissipatos in fugam averterunt: effusoque per agros cursu castra repetebantur. Ubi omnia fuga completa vidit Cato, ipse ad secundam legionem, quæ in

4. *Manu ipse reprehenderit* (vide ad II, 10, n. 2), *verteritque in hostem:* ita MSS et edd. antt. *et adversos in hostem verterit* ex cod. Mogunt. recepere Aldus et alii. Scribendum saltem *aversos*, scil. ab hoste et fugam quærentes; Gron. — *Adversos* tamen defendit Doer. nam *vertere adversum aliquem*, est eum vertere ita ut ei, in quem versus est, fiat *adversus*, e regione, ἐναντίος. Ed. — *Restabat;* vide ad IV, 58, n. 5.

5. *Emissis soliferreis*, scil. telis seu jaculis, quæ tota erant ferrea, sive hastili, e ferro *solo* vel solido; nisi potius leg. *solliferreis*, quia *sollus* Oscis dicebatur *totus;* vid. Fest. voc. *Sollo*. De *falaricis* vid. XXI, 28.

6. *Cæcis ictibus*, qui fiunt *procul ex improviso*, quorumque auctor incertus est et ignotus, ut *ictus* et *tela fallentia, tacita, occulta*, et passim *cæca* passive dicuntur occultata, ἄδηλα, obscura, latentia, ignota, ut *mutus, surdus* et alia; vide ad Sil. III, 579; V, 3; VI, 75; XI, 386, et inf. ad cap. 39, n. 3, ubi *tela ex propinquo illata* opponuntur *cæcis ictibus*. *Cæcum crimen*, incertum, dubium, *in Achæis erat, nullis eorum literis inventis*, quibus ejusdem criminis convinci possent, XLV, 31, n. 5.

Cap. XV. 1. *Hostes acri impetu, velut cuneo, perculerunt;* vid. XL, 40, n. 2. — *Cuneus*. Quantam impressionem faciat istius modi agmen, testis erit illa Anglorum acies, apud vicum *de Fontenoi*, quæ Gallorum regem exercitumque in tantum discrimen adduxit. Vid. *Voltaire, Précis*

Digitized by Google

subsidio posita erat, equo revehitur, et signa præ se ferri, plenoque gradu[2] ad castra hostium oppugnanda succedere jubet. Si quis extra ordinem avidius procurrit, et ipse interequitans sparo percutit, et tribunos centurionesque castigare jubet. Jam castra hostium oppugnabantur; saxisque et sudibus et omni genere telorum submovebantur a vallo Romani. Ubi recens admota legio est, tum et oppugnantibus animus crevit, et infensius hostes pro vallo pugnabant. Consul omnia oculis perlustrat, ut, qua minima vi restatur, ea parte irrumpat. Ad sinistram portam infrequentes videt: eo secundæ legionis principes hastatosque inducit. Non sustinuit impetum eorum statio, quæ portæ apposita erat; et cæteri, postquam intra vallum hostes vident, ipsis castris exsuti, signa armaque abjiciunt. Cæduntur in portis, suomet ipsi agmine in arcto hærentes[3]: secundani terga hostium cædunt, cæteri castra diripiunt. Valerius Antias supra quadraginta millia hostium cæsa eo die scribit. Cato ipse, haud sane detractator laudum suarum, multos cæsos ait[4]; numerum non adscribit.

XVI. Tria eo die laudabilia fecisse putatur: unum,

du siècle de Louis XV, cap. 15, et alios. Ed. — *In subsidio posita;* vide ad II, 20, n. 2.

2. *Plenoque gradu;* vide ad IV, 32, n. 6.— *Sparo percutit*, telo; vide ad Sil. III, 388; Cort. ad Sall. Cat. 56; intpp. Virg. Æn. XI, 682; *du Cange*, Glossar. med. latin. — *Infensius hostes pro vallo pugnabant;* Duk. malebat *impensius*, et Periz. *intentius*, quia non facile quisquam, nisi infenso animo, in hostem pugnet aut ei repugnet. Sed similiter sæpe dicitur *hostis infensus;* de quo vide ad IV, 10, n. 3, et apud Sall. Jug. 57 (ubi vid. Corte), *infensi intentique manent;* Drak.

3. *In arcto hærentes* (vide ad V, 38, n. 4) *cæduntur in portis*, etc. cf. Hom. Iliad. XII, 122 sq. et Virg. Æn. XI, 879 sqq.

4. *Cato ipse multos cæsos ait*, scil. in Originibus; vide ad cap. 5, n. 2. — *Detractator* pro vulg. *detrectator* edidit Drak. et Voss. et Lov. 5. In aliis MSS est *detractor*, quod vel nec ipsum spernendum, vel corruptum; vide ad III, 60, n. 5.

Digitized by Google

quod, circumducto exercitu, procul navibus suis castrisque, ubi spem nisi in virtute haberent[1], inter medios hostes prælium commisit: alterum, quod cohortes ab tergo hostibus objecit: tertium, quod secundam legionem, cæteris omnibus effusis ad sequendos hostes, pleno gradu sub signis compositam instructamque subire ad portam castrorum jussit. Nihil deinde a victoria cessatum. Quum, receptui signo dato, suos spoliis onustos in castra reduxisset, paucis horis noctis ad quietem datis, ad prædandum in agros duxit. Effusius, ut sparsis hostibus fuga[2], prædati sunt. Quæ res non minus, quam pugna pridie adversa, Emporitanos Hispanos[3] accolasque eorum in deditionem compulit. Multi et aliarum civitatium, qui Emporias perfugerant, dediderunt se. Quos omnes, appellatos benigne vinoque et cibo curatos, domos dimisit. Confestim inde castra movit; et, quacumque incedebat agmen, legati dedentium civitates suas occurrebant. Et quum Tarraconem venit, jam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat, captivique et Romani, et socium ac latini nominis, variis casibus in Hispania oppressi, donum consuli a Barbaris reducebantur. Fama deinde vulgatur, consulem in Turdetaniam exercitum ducturum, et ad devios montanos profecturum etiam falso perlatum est[4]. Ad hunc vanum et sine auctore ullo rumorem Bergista-

Cap. XVI. 1. *Ubi spem* non *nisi in virtute haberent;* quod *non* vel excidit, vel supplendum est. Illud putabat Gron., hoc Drak. Conf. Duk. ad Flor. I, 12, 8; Cort. ad Sall. Jug. 54, 5; Burm. ad Ovid. Art. Amat. II, 694. — *Pleno gradu;* vide supra ad IV, cap. 32, n. 6.

2. *Ut sparsis hostibus fuga;* vide ad VIII, 30, n. 7.

3. *Emporitanos Hispanos;* vide ad cap. 9 pr.

4. *Profecturum etiam falso,* etc. Hic esse aliquid redundantis et obscuri pronuntiat Crev. legendumque proponit: *et ad devios montanos etiam falso perlata est.* Sed si particulam *etiam,* quæ in quibusdam codd. apud Drak. omittitur, deleveris, atque τὸ *et* pro *etiam* explicaveris, tunc ni-

Digitized by Google

norum civitatis septem castella defecerunt. Eos, deducto exercitu, consul sine memorando prælio in potestatem redegit. Haud ita multo post iidem, regresso Tarraconem consule, prius quam inde quoquam procederet, defecerunt. Iterum subacti : sed non eadem venia victis fuit. Sub corona veniere[5] omnes, ne sæpius pacem sollicitarent.

XVII. Interim P. Manlius prætor, exercitu vetere a Q. Minucio, cui successerat, accepto, adjuncto et Ap. Claudii Neronis ex ulteriore Hispania vetere item exercitu, in Turdetaniam proficiscitur. Omnium Hispanorum maxime imbelles habentur Turdetani : freti tamen multitudine sua obviam ierunt agmini romano; eques immissus turbavit extemplo aciem eorum; pedestre prælium nullius ferme certaminis fuit. Milites veteres, periti hostium bellique, haud dubiam pugnam fecerunt : nec tamen ea pugna debellatum est. Decem millia Celtiberum mercede Turduli conducunt[1], alienisque armis parabant bellum. Consul interim, rebellione Bergistanorum ictus[2], cæteras quoque civitates ratus per occasionem idem facturas, arma omnibus cis Iberum Hispanis ademit. Quam rem adeo ægre passi, ut multi mortem sibimet ipsi consciscerent[3] : ferox genus, nullam vitam rati sine armis esse.

hil mutandum *Doering* existimat, sensum ita explanans : « falso quoque perlatum est eum ad dev. mont. profecturum ». Ed. — *Bergistanorum civitatis*, gentis (populi, reipublicæ), ut Cæsari *civitas Helvetiorum* et *Æduorum* dicitur; Gron. Conf. ad III, 47, n. 1; Drak. ad Epit. LXV; Cort. ad Sall. Catilin. 40, p. 147. — *Deducto exercitu*, sc. in civitatem Bergistanorum. *Educto* malebat Gronov. et *inducto* Crev.

5. *Sub corona veniere;* vide ad II, 17, n. 3.

Cap. XVII. 1. *Turduli conducunt*, vulgo Turdetani.

2. *Rebellione Bergistanorum ictus;* vide ad I, 16, n. 2.

3. *Ut multi mortem sibimet ipsi consciscerent*, etc. more eorum, qui non tam *feroces*, quam natura timidi sunt et melancholici, malisque afflicti facile animum despondent : unde Hispani ad αὐτοχειρίαν admodum pro-

Digitized by Google

Quod ubi consuli renuntiatum est, senatores omnium civitatium ad se vocari jussit, atque iis, « Non nostra, « inquit, magis, quam vestra, refert, vos non rebel- « lare : siquidem id majore Hispanorum malo, quam « exercitus romani labore, semper adhuc factum est. « Id ut ne fiat, uno modo arbitror caveri posse, si ef- « fectum erit, ne possitis rebellare. Volo id quam mol- « lissima via consequi. Vos quoque in ea re consilio « me adjuvate. Nullum libentius sequar, quam quod « vosmet ipsi attuleritis ». Tacentibus spatium se ad deliberandum dierum paucorum dare dixit. Quum revocati secundo quoque concilio tacuissent; uno die muris omnium dirutis, ad eos, qui nondum parebant, profectus, ut in quamque regionem venerat, omnes, qui circa incolebant, populos in deditionem accepit. Segesticam tantum[4], gravem atque opulentam civitatem, vineis et pluteis cepit.

XVIII. Eo majorem habebat difficultatem in subigendis hostibus, quam qui primi venerunt in Hispaniam, quod ad illos tædio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant; huic ex usurpata libertate in servitutem velut asserendi[1] erant: et ita mota omnia accepit, ut alii in armis essent, alii obsidione ad de-

clives et olim fuere et etiam nunc sunt, ut Turcæ. Conf. Justin. XLIV, 2, et Sil. I, 225. sq.—*Ferox genus rati;* vide ad I, 18, n. 5, et I, 41, n. 1. — *Vos non rebellare.* Libri nonnulli *bellare;* mox repetitum τὸ *rebellare* quosdam offendit; unde Jacobsio blanditur suspicio Gronovii, postremum verbum non a Livio esse, sed ex margine, existimantis: sæpius tamen Noster et alii ex narrationis simplicitate vocem, quæ facile suppleri poterat, repetere solent, ut observat Doering. ablegans ad Drak. notas supra I, 3, § 9. Ed.

4. *Segesticam tantum,* opp. Celtiberorum, idem forte quod Σεγήδη et Σεγίδη aliis dicitur; vid. Schweigh. ad Appian. Hisp. 44. — *Gravem civitatem,* validam, vel potentem opibus (*wichtige*), βαρείαν πόλιν· Ern. et Schæfer. coll. Duker. ad Flor. I, 3, et Wessel. ad Diodor. t. I, p. 306, t. II, p. 630.

Cap. XVIII. 1. *In servit. velut asserendi.* Asserere in servitutem dicitur

fectionem cogerentur; nec, nisi in tempore subventum foret, ultra sustentaturi fuerint. Sed in consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per se adiret atque ageret; nec cogitaret modo imperaretque, quæ in rem essent[2], sed pleraque ipse per se transigeret; nec in quemquam omnium gravius severiusque, quam in semet ipsum, imperium exerceret; parcimonia et vigiliis[3] et labore cum ultimis militum certaret; nec quidquam in exercitu suo præcipui, præter honorem atque imperium, haberet.

XIX. Difficilius bellum in Turdetania prætori P. Manlio Celtiberi, mercede exciti ab hostibus, sicut ante dictum est, faciebant. Itaque eo consul, arcessitus literis prætoris, legiones duxit. Ubi eo venit (castra separatim Celtiberi et Turdetani habebant), cum Turdetanis extemplo levia prælia, incursantes in stationes eorum, Romani facere; semperque victores ex quamvis temere cœpto certamine abire. Ad Celtiberos in colloquium tribunos militum ire consul, atque iis trium conditionum electionem ferre, jubet: primam, si transire ad Romanos velint, et duplex stipendium accipere, quam quantum[1] a Turdetanis pepigissent; alteram, si domos abire, publica fide accepta, nihil eam rem noxæ futuram, quod hostibus se Romanorum junxissent; tertiam, si utique bellum placeat,

is qui in jure postulat addici sibi tanquam servum eum qui se pro libero gerat, ut ait Crev. ad hunc locum. Quum igitur a consuetudine forensi ductam locutionem hic ad bellicas res transferat Livius, ideo opponendam judicavit particulam *velut*. Ed. — *In tempore subventum*, vide ad II, 47, n. 4. — *Sustentaturi* absolute ut apud Cæs. B. G. II, 14; Drak. *Sustenturi* conj. Jac. Periz. Confer. Oudend. ad Cæsar. B. G. II, 25.

2. *Quæ in rem essent;* vide ad I, 27, n. 5.

3. *Parcimonia et vigiliis*, etc. vide ad cap. 1, n. 7.

Cap. XIX. 1. *Duplex stipendium, quam quantum*, etc. vide ad XXXV, 1, n. 1.—*Publica fide accepta;* vid. XXIII, 19, n. 10.

Digitized by Google

diem locumque constituant, ubi secum armis decernant. A Celtiberis dies ad consultandum petita. Concilium immixtis Turdetanis habitum magno cum tumultu : eo minus decerni quidquam potuit. Quum incertum[2], bellum an pax cum Celtiberis esset, commeatus tamen, haud secus quam in pace, ex agris castellisque hostium Romani portabant; dein sæpe munimenta eorum, velut communi pactó commercio privatis induciis, ingredientes. Consul ubi hostes ad pugnam elicere nequit, primum prædatum sub signis aliquot expeditas cohortes in agrum integræ regionis ducit; deinde audito, Seguntiæ Celtiberum omnes sarcinas impedimentaque relicta, eo pergit ducere ad oppugnandum. Postquam nulla moventur re, persoluto stipendio, non suis modo, sed etiam prætoris militibus, relictoque omni exercitu in castris prætoriis, ipse cum septem cohortibus ad Iberum est regressus.

XX. Ea tam exigua manu oppida aliquot cepit. Defecere ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani. Lacetanos, deviam et silvestrem gentem, quum insita feritas continebat in armis, tum conscientia, dum consul exercitusque Turdulo bello est occupatus, depopulatorum[1] subitis incursionibus sociorum. Igitur ad op-

2. *Quum incertum, bellum*, etc. in MSS. *Quum incerta bellum an pax c. C. essent* prob. Gron. Idem monet verborum seqq. sententiam esse, primum quidem ex hostico Romanos sine metu et injuria cujusquam pabulatos et frumentatos, deinde, quod majoris discriminis est, aucta securitate etiam intra præsidia Celtiberorum venisse. Sed quia oratio suspenditur per partic. *ingredientes*, idque nihil habet, quo referri debeat, pro *dein* vel *deinde* (quod in multis MSS et in edd. vett. ante Frob. a. 1535 legitur) Sigon. non male conj. *perinde*, i. e. non minus sæpe, quam in pace; Drak. — *Privatis induciis;* vide ad II, 18, n. 7.

Cap. XX. 1. *Tum conscientia depopulatorum sociorum*, memoria populationum, quas in Suessetanorum aliorumque sociorum, merito ipsis propterea infensorum, agris nuper fecissent.

Digitized by Google

pidum eorum[2] oppugnandum consul ducit non romanas modo cohortes, sed juventutem etiam merito infensorum iis sociorum. Oppidum longum, in latitudinem haudquaquam tantumdem patens, habebant. Quadringentos inde ferme passus constituit signa. Ibi delectarum cohortium stationem relinquens, præcepit eis, ne se ex eo loco ante moverent, quam ipse ad eos venisset. Cæteras copias ad ulteriorem partem urbis[3] circumducit. Maximum ex omnibus auxiliis numerum Suessetanæ juventutis habebat. Eos ad murum oppugnandum subire jubet. Quorum ubi arma signaque Lacetani cognovere; memores, quam sæpe in agro eorum impune persultassent, quoties ipsos signis collatis fudissent fugassentque, patefacta repente porta, universi in eos erumpunt. Vix clamorem eorum, nedum impetum, Suessetani tulere. Quod postquam, sicut futurum ratus erat, consul fieri etiam vidit; equo citato subter murum hostium ad cohortes advehitur, atque eas arreptas[4], effusis omnibus ad sequendos Suessetanos, qua silentium ac solitudo erat, in urbem inducit; priusque omnia cepit, quam se reciperent Lacetani. Mox ipsos, nihil præter arma habentes, in deditionem[5] accepit.

XXI. Confestim inde victor ad Vergium[1] castrum ducit: receptaculum id maxime prædonum erat, et inde incursiones in agros pacatos provinciæ ejus fie-

2. *Ad oppidum eorum*, nescio quod.

3. *Ad ulteriorem partem urbis*, remotiorem: etenim nullo flumine dirimebatur, sed erat in longitudinem valde porrecta; Ern. — *In agro eorum impune persultassent*, vagati essent populabundi. Confer. ad Tacit. Ann. XI, 9, n. 1; XI, 28, n. 2.

4. *Atque eas arreptas*, raptim motas, *effusis omnibus* Lacetanis ex oppido, *qua* parte, eo ubi *silentium ac solitudo erat*, sc. *in urbem inducit*.

5. *In deditionem accepit;* vide ad VIII, 20, n. 7.

Cap. XXI. 1. *Ad Vergium castrum;* vide ad XXI, 19, n. 5.—Vide, quem Drak. laudavit, P. *de Marca* in Marc. Hispan. II, 13, § 5. Ed.

Digitized by Google

bant. Transfugit inde ad consulem princeps Vergestanus, et purgare se ac populares cœpit; *non esse in manu ipsis rempublicam : prædones receptos totum suæ potestatis id castrum fecisse.* Consul eum domum redire, conficta aliqua probabili, cur abfuisset, causa, jussit. *Quum se muros subisse cerneret, intentosque prædones ad tuenda mœnia esse; tum uti cum suæ factionis hominibus meminisset arcem occupare.* Id, uti præceperat, factum. Repente anceps terror, hinc muros[2] adscendentibus Romanis, illinc arce capta, Barbaros circumvasit. Hujus potitus loci consul eos, qui arcem tenuerant, liberos esse cum cognatis, suaque habere jussit : Vergestanos cæteros, quæstori, ut venderet, imperavit : de prædonibus supplicium sumpsit. Pacata provincia, vectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque; quibus tum institutis, locupletior in dies provincia fuit. Ob has res gestas in Hispania supplicationem in triduum Patres decreverunt.

XXII. Eadem æstate alter consul L. Valerius Flaccus in Gallia cum Boiorum manu propter Litanam silvam[1], signis collatis, secundo prælio conflixit. Octo millia Gallorum cæsa traduntur : cæteri, omisso bello, in vicos suos atque agros dilapsi. Consul reliquum æstatis circa Padum Placentiæ et Cremonæ exercitum habuit, restituitque, quæ in iis oppidis bello diruta fuerant. Quum hic status rerum in Italia Hispaniaque esset, T. Quintio, in Græcia ita hibernis actis, ut, exceptis Ætolis, quibus nec pro spe victoriæ præmia

2. *Anceps terror, hinc muros adsc. Romanis, illinc arce capta, B. circ.* vide ad I, 25, n. 4. — *Ferrariis argentariisque*, scil. fodinis et officinis ad ferrum et argentum eruendum, excoquendum, expurgandumque institutis. Ed.

Cap. XXII. 1. *Propter Litanam silvam;* vide ad XXI, 27, n. 6, et XXIII, 24, n. 4. — (Per) *reliquum*

contigerant, nec diu quies placere poterat, universa Græcia, simul pacis libertatisque perfruens bonis, egregie statu suo gauderet, nec magis in bello virtutem romani ducis, quam in victoria temperantiam justitiamque et moderationem miraretur, senatusconsultum, quo bellum adversus Nabin Lacedæmonium decretum erat, affertur. Quo lecto, Quintius, conventu Corinthum omnium sociarum civitatium legationibus in diem certam edicto, ubi frequentes undique principes convenerunt, ita ut ne Ætoli quidem abessent, tali oratione est usus: « Bellum adversus « Philippum non magis communi animo consilioque « Romani et Græci gesserunt, quam utrique suas cau- « sas belli habuerunt[2]: nam et Romanorum amici- « tiam, nunc Carthaginienses hostes eorum juvando, « nunc his sociis nostris oppugnandis, violaverat; et « in vos talis fuit, ut nobis, etiamsi nostrarum obliv- « sceremur injuriarum, vestræ injuriæ satis digna causa « belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex vobis pen- « det. Refero enim ad vos[3], utrum Argos, sicut scitis « ipsi, ab Nabide occupatos, pati velitis sub ditione « ejus esse, an æquum censeatis, nobilissimam vetu- « stissimamque civitatem, in media Græcia sitam, re- « peti in libertatem, et eodem statu, quo cæteras ur- « bes Peloponnesi et Græciæ, esse. Hæc consultatio, « ut videtis, tota de re pertinente ad vos est; Romanos

æstatis; vide ad XXII, 15, n. 3. — *Senatuscons. quo bellum*, etc. Supra XXXIII, 45, Livius scripsit permissum fuisse a senatu T. Quintio, quod ad Nabin attineret, faceret quæ e rep. esse censeret. Unde minus proprie bellum adversus Nabin senatuscons. decretum dici videtur Creverio, qui Livii diligentiam in hac re desiderat. Ed.

2. *Causas belli habuerunt:* forte *bellandi;* Gron. — Sensum cl. Doering. ita explanat: Romani nempe et Græci pariter communi animo consilioque bellum adversus Phil. gesserunt, prouti utrisque, quibus ad bellum impellerentur, causæ fuere. Ed.

3. *Refero enim ad vos*, etc. vide ad XXVI, 2, n. 3.

Digitized by Google

« nihil contingit[4], nisi quatenus liberatæ Græciæ, « unius civitatis servitus, non plenam, nec integram « gloriam esse sinit. Cæterum si vos nec cura ejus ci- « vitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne « serpat latius contagio ejus mali, nos æqui bonique « facimus. De hac re vos consulo, staturus eo[5], quod « plures censueritis. »

XXIII. Post orationem romani imperatoris percenseri aliorum sententiæ cœptæ sunt. Quum legatus Atheniensium, quantum poterat gratiis agendis, Romanorum in Græciam merita extulisset, *imploratos auxilium adversus Philippum tulisse opem; non rogatos ultro adversus tyrannum Nabin offerre auxilium;* indignatusque esset[1], *hæc tanta merita sermonibus tamen aliquorum carpi*[2], *futura calumniantium, quum fateri potius præteritorum gratiam deberent;* apparebat incessi Ætolos. Igitur Alexander princeps gentis, invectus primum in Atheniensis, libertatis quondam duces et auctores, assentationis propriæ gratia communem causam prodentes[3]; questus deinde, *Achæos, Philippo quondam milites, postremum ab inclinata ejus fortuna transfugas, et Corinthum recepisse*[4], *et id agere, ut Argos habeant: Ætolos, pri-*

4. *Romanos nihil contingit;* vide ad XXII, 10, n. 10. — *Nos æqui bonique facimus.* Id est, optamus, ut illud bene vertat; vel illud vestro arbitrio nos relinquimus. Ed.

5. *Staturus eo, quod,* etc. vide ad III, 36, n. 11.

Cap. XXXIII. 1. *Imploratos auxilium adversus Philippum tulisse, opem non rogatos ultro a. t. N. offerre; indignatusque esset,* etc. conj. Gron. — Voce *opem* deleta oratio concinnior videretur. Doering. Ed.

2. *Hæc tanta merita... carpi;* vide ad XXXIII, 31, n. 1.

3. *Communem causam prodentes;* vide ad II, 43, n. 5. — *Communis causa* opponitur τῇ *assentationis propriæ*, id est, ipsorum commodis tantum convenientis. Plures vett. editt. dant, *qui libertat. quond..... proderat*, sed lectionem, quæ nunc vulgatur, ex omnibus fere codd. apud Drak. defendit Doering. Ed.

4. *Et Corinthum recepisse;* etc. vide ad XXXIII, 34.

Digitized by Google

mos hostes Philippi, semper socios Romanorum, pactos in fœdere suas urbes agrosque fore devicto Philippo, fraudari Echino et Pharsalo; insimulavit fraudis Romanos, *quod, vano titulo libertatis*[5] *ostentato, Chalcidem et Demetriadem præsidiis tenerent, qui Philippo, cunctanti deducere inde præsidia, objicere semper soliti sint*[6], *nunquam, donec Demetrias, Chalcisque et Corinthus tenerentur, liberam Græciam fore; postremo, quia remanendi in Græcia retinendique exercitus Argos et Nabin causam facerent. Deportarent legiones in Italiam. Ætolos polliceri, aut conditionibus*[7] *et voluntate sua Nabin præsidium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos, in potestate consentientis Græciæ esse.*

XXIV. Hæc vaniloquentia primum Aristænum prætorem Achæorum excitavit. « Ne istuc, inquit, Jupiter « Optimus Maximus sirit Junoque Regina, cujus in tu« tela Argi sunt[1], ut illa civitas inter tyrannum Lace« dæmonium et latrones Ætolos præmium sit posita « in eo discrimine, ut miserius a nobis recipiatur, « quam ab illo capta est. Mare interjectum ab istis « prædonibus non tuetur nos, T. Quinti. Quid, si in

5. *Vano titulo l. ostentato;* vide ad IV, 30, n. 1.

6. *Objicere semper soliti sint* pro vulg. *sunt* recepi ex MS Mead. 2, et emend. Perizoniorum. — *Demetrias; Chalcisque et Corinthus;* vid. XXXII, 37, n. 2. — *Postremo quia*, multi MSS; *qui* probb. Periz. Gron. et Crev. Contra vel *quia* retinendum, vel ex ed. Frob. a. 1535 leg. *postremo* (sc. *quod*) *manendi*, etc. putabat Drak. quod duplicis fraudis insimulentur Romani. Ita tamen τὸ *postremo* vix aptum.

7. *Aut conditionibus* MSS plerique. Conf. Drak. ad h. l. et ad XXIII, 7, n. 1. *Conditione* quidam codd. et edd. ante Frob. a. 1535. prob. Gron. quia *conditio* non modo unum caput transactionis seu pactionis, sed eam totam multis capitibus constantem interdum significet. Conf. Ernesti Clav. Cic.

Cap. XXIV. 1. *Juno Regina* deorum, *cujus in tutela Argi sunt;* unde Ἀργεία, *Argiva* dicebatur. Conf. Hom. Il. IV, 51 sq. et Spanh. ad Callim. H. in Del. 74. — *Latrones Ætolos.* Conf. ad nostratem *Barthélemy, Voyage du jeune Anacharsis*, cap. 36, et quos ibi laudat auctores. En.

Digitized by Google

« media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum no-
« bis est? Linguam tantum Græcorum habent, sicut
« speciem hominum. Moribus ritibusque efferatiori-
« bus, quam ulli Barbari, immanes belluæ vivunt. Ita-
« que vos rogamus, Romani, ut et ab Nabide Argos
« recuperetis, et ita res Græciæ constituatis, ut ab la-
« trocinio quoque Ætolorum satis pacata hæc relin-
« quatis. » Romanus, cunctis undique increpantibus Ætolos, *responsurum se fuisse iis*, dixit, *nisi ita infensos omnes in eos videret, ut sedandi potius, quam irritandi essent. Contentum itaque opinione ea, quæ de Romanis Ætolisque esset, referre se*[2], dixit, *quid de Nabidis bello placeret, nisi redderet Achæis Argos?* Quum omnes bellum decressent, auxilia ut pro viribus suis quæque civitates mitterent, est hortatus. Ad Ætolos legatum etiam misit, magis ut nudaret animos, id quod evenit, quam spe impetrari posse.

XXV. Tribunis militum, ut exercitum ab Elatia arcesserent, imperavit. Per eosdem dies et Antiochi legatis, de societate agentibus, respondit, *Nihil se, absentibus decem legatis, sententiæ habere. Romam eundum ad senatum iis esse.* Ipse copias adductas ab Elatia ducere Argos pergit; atque ei circa Cleonas Aristænus prætor cum decem millibus Achæorum, equitibus mille, occurrit; et haud procul inde, junctis exercitibus, posuerunt castra. Postero die in campum Argivorum descenderunt, et quatuor ferme millia ab Argis locum castris capiunt. Præfectus præsidio Laconum erat Pythagoras, gener idem tyranni et uxoris ejus frater; qui sub adventum Romanorum et

2. *Referre se;* vide ad XXVI, 2, n. 3. — *Redderet* Nabis. — *Ut nudaret animos*, deprehenderet mentem eorum, rariori significatu, nisi leg. *nudarent*, i. e. patefacerent; Burm. ad Phædrum, Prol. 3, 47. Confer. ad XXIV, 27, n. 1, et XXXIII, 21, n. 6.

Digitized by Google

utrasque arces (nam duas habent Argi[1]), et loca alia, quæ aut opportuna, aut suspecta erant, validis præsidiis firmavit. Sed inter agenda hæc pavorem injectum adventu Romanorum dissimulare haudquaquam poterat; et ad externum terrorem[2] intestina etiam seditio accessit. Damocles erat Argivus, adolescens majoris animi, quam consilii; qui primo, jurejurando interposito, de præsidio expellendo cum idoneis colloquutus, dum vires adjicere conjurationi studet, incautior fidei æstimator fuit. Colloquentem eum cum suis satelles a præfecto missus quum arcesseret, sensit proditum consilium esse, hortatusque[3] conjuratos, qui aderant, ut potius, quam extorti morerentur, arma secum caperent; atque ita cum paucis in forum ire pergit, clamitans, ut, qui salvam rempublicam vellent, auctorem et ducem se libertatis sequerentur. Haud sane movit quemquam, quia nihil usquam spei propinquæ, nedum satis firmi præsidii, cernebant. Hæc vociferantem eum Lacedæmonii, circumventum cum suis, interfecerunt. Comprehensi deinde quidam et alii; ex iis occisi plures, pauci in custodiam conjecti. Multi proxima nocte, funibus per murum demissi, ad Romanos transfugerunt.

XXVI. Quintius, affirmantibus iis, si ad portas romanus exercitus fuisset, non sine effectu futurum eum motum fuisse, et, si propius castra admoverentur, non quieturos Argivos, misit expeditos pedites

Cap. XXV. 1. *Duas habent Argi* arces: unius nomen fuit Larissa (vid. Strab. VIII, pag. 569), alterius ignotum est. Conf. ad XXXII, 25, n. 3.— *Loca alia, quæ aut opportuna erant;* vide ad I, 54, n. 4.

2. *Ad externum terrorem;* vide ad I, 57, n. 7.—*Damocles*, al. *Democles*, ut *Damaratus* et *Demaratus* aliaque; vid. Drak.—*Cum idoneis*, id est, cum viris quos ad ea facinora, quæ machinabatur, idoneos existimabat. Ed.

3. *Hortatusque conjuratos*, sc. est, nisi leg. *hortaturque* ex Lov. 2 et 6; aut mox del. *atque ita;* Drak. — *Extorti*, tormentis et cruciatibus enecti:

Digitized by Google

equitesque, qui circa Cylarabin[1] (gymnasium id est minus trecentos passus ab urbe) cum erumpentibus a porta Lacedæmoniis prælium commiserunt, atque eos haud magno certamine compulerunt in urbem. Et castra eo ipso loco, ubi pugnatum erat, imperator romanus posuit. Diem inde unum in speculis fuit, si quid novi motus oriretur. Postquam oppressam metu civitatem vidit, advocat concilium de oppugnandis Argis. Omnium principum Græciæ, præter Aristænum, eadem sententia erat, quum causa belli non alia esset, inde potissimum ordiundi bellum[2]. Quintio id nequaquam placebat, sed Aristænum, contra omnium consensum disserentem, cum haud dubia approbatione audivit. Et ipse adjecit, *quum pro Argivis adversus tyrannum bellum susceptum sit, quid minus conveniens esse, quam omisso hoste Argos oppugnari? Se vero caput belli Lacedæmonem et tyrannum petiturum.* Et, dimisso concilio, frumentatum expeditas

supra XXXII, 38, *lacerati et extorti.* Ed.

Cap. XXVI. 1. *Circa Cylarabin gymnasium*, quod Κυλαράβης seu Κυλλαράβης, Stheneli filius Argivorumque rex, exstruxit; unde *Cylarabis* (immo *Cylarabæ*) *gymnasium* emend. Casaub. ad Strab. III, 153. Sed τὴν Κυλάραβιν etiam dixisse Plut. Pyrrh. pag. 404, monet Jac. Gron. Conf. Pausan. II, 18, 22, ibique Sylburg., Hesych. et Græv. ad Lucian. Merc. conduct. p. 972.

2. *Inde potissimum ordiundi bellum* vel *belli*, MSS et edd. antt. Nec est quod cum Gelen. reponas *ordiundum* offendarisque illa compositione *principum sententia ordiundi bellum*, h. e. sententia et principum, qui censent, et belli ordiendi, quod censent; Gron. *Ordiendi belli* non improbant Crev. et Periz. ad Sanct. Min. II, 3, n. 15, ubi pluribus docet, duos genitivos ab uno nomine pendere. Id quidem nemo vel negat vel ignorat; sed an casta latinitas permittat, ut uni nomini jungatur et genitivus et gerundium in *di* cum casu verbi, in genitivum mutato, dubitant Duk. et Drak. — Plurimi codd. apud Drak. et vett. editt. constanter servant *belli;* unde vetustam hanc lectionem defendit Doering. dummodo, verbis *quum causa belli non alia esset* in parenthesi positis, cætera ita inter se junxeris: *sententia belli inde potiss.* (Argis nempe oppugnandis) *ordiendi* (*quum c. b. non al. esset*, id est, quum non ex alia causa nisi propter Argivos susceptum esset hoc bellum) *eadem erat*, etc. Ed.

Digitized by Google

cohortes[3] misit. Quod maturi erat circa, demessum et convectum est; viridie, ne hostes mox haberent, protritum et corruptum. Castra deinde movit, et, Parthenio superato monte, præter Tegeam tertio die ad Caryas posuit castra. Ibi, prius quam hostium intraret agrum, sociorum auxilia exspectavit. Venerunt Macedones a Philippo mille quingenti, et Thessalorum equites quadringenti. Nec jam auxilia, quorum affatim erat, sed commeatus finitimis urbibus imperati morabantur Romanum. Navales quoque magnæ copiæ conveniebant. Jam ab Leucade L. Quintius quadraginta navibus venerat; jam Rhodiæ decem et octo tectæ naves[4], jam Eumenes rex circa Cycladas insulas erat cum decem tectis navibus, triginta lembis mixtisque aliis minoris formæ navigiis. Ipsorum quoque Lacedæmoniorum exsules permulti[5] tyrannorum injuria pulsi, spe recuperandæ patriæ in castra romana convenerant. Multi autem erant, jam per aliquot ætates, ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem, alii ab aliis pulsi. Princeps erat exsulum Agesipolis,

3. *Expeditas cohortes;* vide ad V, 16, n. 2. — *Ad Caryas* opp. Arcadiæ, at XXXV, 27, Laconices. Utrumque memorat Pausan., illud VIII, 13, 14, 45, hoc III, 10. — *Macedones a P. mille quingenti* ex ed. Frob. a. 1535; sed in edd. primis exstat *Macedones a P. duo millia et septingenti*, quo et multorum codd. vestigia nos ducunt, et quod forte mutatum, quia displicuit *Macedones* pro *Macedonum;* Drak. Conf. ad XXXIX, 7, n. 1.

4. *Decem et octo tectæ naves;* vide ad XXII, 19, n. 4.

5. *Lacedæmoniorum exsules permulti,* etc. vid. XXXVI, 35, n. 4. —De oppido in Arcadia, ubi et *Tegea* fuit, ut observat Cellar. Geogr. Ant. II, 13, p. 793, cogitandum esse putat Doering. Ed. — *Jam per aliquot ætates,* « de annis non ita multis dicit; nam Cleomenes, quem primum tyrannum Lacedæmoniorum fuisse ait, vix XL annis ante hoc tempus regnum inierat; et, si quis ad id tempus referendum putet, quo, Agide ac Leonida Spartæ regnantibus, primum turbari cœpit respublica Lacedæmoniorum, tamen vix L anni sunt ». Duk. Conf. Petav. Ration. Temp. IV, 4. — *Princeps erat exsulum Agesipolis,* filius Agesipolidis, Cleombroti nepos, puer admodum rex creatus Spartæ *post mortem Cleonis, qui* optimus primum rex et deinde *primus* sævissimusque *tyrannus Lacedæm. fuit.* Sed

Digitized by Google

cujus jure gentis regnum Lacedæmone erat, pulsus infans ab Lycurgo tyranno post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedæmone fuit.

XXVII. Quum terra marique tantum belli circumstaret tyrannum[1], et prope nulla spes esset vere suas hostiumque æstimanti vires, non tamen omisit bellum; sed et a Creta mille delectos juventutis eorum excivit, quum mille jam haberet, et tria millia mercenariorum militum, decem millia popularium cum castellanis agrestibus in armis habuit, et fossa valloque urbem communivit: et, ne quid intestini motus oriretur, metu et acerbitate pœnarum tenebat animos, quoniam, ut salvum vellent tyrannum, sperare

mox una cum Cleomene, tutore et patruo, Cleombroti filio, pulsus est *ab Lycurgo*, qui Ephororum corruptione imperium adeptus est, quamvis non esset e stirpe regia. Postea Agesipolis, legatus Romam missus, a piratis captus est et interfectus; vid. Polyb. II, 47, 69; IV, 2, 35, 81; V, 34-39; IX, 23; XXIV, 11; Pausan. I, 13; III, 5, 6; Meurs. Regn. Lacon. c. 14; Plut. Cleom. et Diodor. — Ad explanandam hujus loci intelligentiam plura ex Plutarcho, Polyb. et Diod. collegit Creverius, illosque recensuit qui ultimis temporibus Spartæ dominati sunt. Ea ibi attexere operæ pretium videtur. « Leonidas et Agis ille cujus vitam scripsit Plutarchus, simul regnarunt circa tempora primi punici belli. Leonida abdicare coacto Cleombrotus gener ejus regnum invasit. Mox Leonidas restitutus cum Ephoris in Agidem conjuravit, qui in carcere strangulatus est: ipse non ita multo post obiit, et Cleomeni filio, illi ipsi cujus vita habetur apud Plutarchum, quem primum Lacedæmoniorum tyrannum numerat Livius, regnum per manus tradidit. Is victus ab Antigono et Macedonibus, in Ægyptum fugit, ibique post triennium periit, paulo ante initium secundi punici belli. Tum Lacedæmonii regnum detulerunt ad Agesipolim infantem, nepotem Cleombroti illius, qui Leonidam pridem expulerat, ex Heraclidarum stirpe; et Lycurgum, hominem ignobilem, qui pecunia corruptis Ephoris, obtinuit ut Herculis progenies et Spartæ rex haberetur. Ab hoc in exsilium pulsus est Agesipolis, qui hoc loco princeps exsulum nominatur. Lycurgus quum aliquot regnasset annos, obiit relicto filio Pelope. Post Lycurgum tyrannidem invasit Machanidas, cui a Philopœmene in prælio quodam occiso successit Nabis, isque Pelopem sustulit. » Ed.

Cap. XXVII. 1. *Tantum belli circumstaret tyrannum;* vide ad XXVII, 40, n. 4. — *Vere æstimanti vires;* vide ad III, 19, n. 8. — *Cum castellanis agrestibus;* conf. not. 4. — *Metu et acerbitate pœnarum tenebat animos,*

Digitized by Google

non poterat. Quum suspectos quosdam civium haberet, eductis in campum omnibus copiis (Dromon ipsi vocant[2]), positis armis, ad concionem vocari jussit Lacedæmonios, atque eorum concioni satellites armatos circumdedit; et pauca præfatus, *cur sibi omnia timenti caventique ignoscendum in tali tempore foret: et ipsorum referre, si quos suspectos status præsens rerum faceret, prohiberi potius, ne quid moliri possint, quam puniri molientes. Itaque quosdam se in custodia habiturum, donec ea, quæ instet, tempestas prætereat. Hostibus repulsis (a quibus, si modo proditio intestina satis caveatur, minus periculi esse), extemplo eos emissurum.* Sub hæc citari nomina[3] octoginta ferme principum juventutis jussit, atque eos, ut quisque ad nomen responderat, in custodiam tradidit: nocte insequenti omnes interfecti. Ilotarum deinde quidam (hi sunt jam inde antiquitus castellani[4], agreste genus), transfugere voluisse insimulati, per omnes vicos sub verberibus acti necantur. Hoc

Jac. Periz. conj. *terrebat*. Sed vide ad VII, 25, n. 3, et XXII, 22, n. 9.

2. *Dromon ipsi vocant campum* extra Spartam, ἔνθα τοῖς νέοις, δρόμου μελέτη καθέστηκεν; vid. Pausan. III, 14; Remes. var. lect. II, 3, et Meurs. Att. lect. I, 24, qui verba sic ordinare malebat: *eductis in campum (Dromon ipsi vocant) omnibus copiis.* — Hæc transpositio non necessaria videtur Jacobsio, qui verba *Dromon ipsi vocant* a pluribus codd. etiam a Bamb. abesse testatur. Cæterum pro *jussit* reponendum esse *jubet* ad fidem libri Bamb. contendit: præsentis ita cum perfecto juncti exempla dedit Drak. ad lib. III, 46, n. 9, et al. apud Græcos nihil frequentius. Ed.

3. *Sub hæc* verba *citari nomina;* vide ad II, 55, n. 1.

4. *Ilotarum deinde quidam: hi sunt jam inde antiquitus castellani* (vide ad V, 5, n. 2), *agreste genus:* servi publici Lacedæmoniorum, quorum magna multitudo agros eorum colebat (vid. Nep. Paus. 3): *Ilotæ*, sed rectius *Helotæ* (Εἵλωτες) dicti ab oppido laconico Ἕλος, cujus expugnati incolæ Spartam traducti sunt in servitutem tristissimam, ut deinde Messenii aliique, quibus idem datum est nomen; vid. Pausan. III, 20; Schol. ad Thucyd. I, 101, IV, 80; Strab. VIII, p. 363, 365; Schlægeri diss. de Helotibus Helmst. 1733; *Recherches sur l'histoire des Ilotes par Capperonnier,*

Digitized by Google

terrore obstupuerant multitudinis animi[5] ab omni conatu novorum consiliorum. Intra munitiones copias continebat, nec parem se ratus, si dimicare acie vellet, et urbem relinquere, tam suspensis et incertis omnium animis[6], metuens.

XXVIII. Quintius, satis jam omnibus paratis, profectus ab stativis, die altero ad Sellasiam[1] super Œnunta fluvium pervenit; quo in loco Antigonus, Macedonum rex, cum Cleomene, Lacedæmoniorum tyranno, signis collatis dimicasse dicebatur. Inde, quum audisset adscensum difficilis et arctæ viæ esse, brevi per montes circuitu præmissis, qui munirent viam, lato satis et patenti limite[2] ad Eurotam amnem, sub ipsis prope fluentem mœnibus, pervenit. Ubi castra metantes Romanos Quintiumque ipsum, cum equitibus atque expeditis prægressum, auxiliares tyranni adorti, in terrorem ac tumultum conjecerunt, nihil tale exspectantes, quia nemo his obvius toto

Mémoires de l'Académie des Inscr. t. XXIII, p. 271, sq. Meurs. Misc. Lacon. II, 6; Crag. de Rep. Laced. I, 11; *Voy. du j. Anach.* t. V, p. 42; *Potteri* Archæol. l. I, c. 10, et *Manso's* Sparta.

5. *Hoc terrore obstupuerant m. animi* et deterriti fuerant *ab omni conatu*, etc. Similia passim obvia; neque necesse est cum Duk. legi *obtorpuerant ad omnem conatum.* — Præpositio *ab* sæpius pro *contra* poni ut in nota locutione, *defendere aliquem ab aliquo*, pro *contra aliquem*, monet Doering. qui tamen melius huic loco consuli posse putat hac distinctione, *mult. animi. Ab omni conatu... continebat.* Ed.

6. *Suspensis et incertis animis;* vide ad II, 32, n. 5.

Cap. XXVIII. 1. *Ad Sellasiam* (Σελλασίαν et Σελασίαν Græci appellant) opp. Laconicæ *super* (vide ad I, 2, n. 3). *Œnunta fluvium* (ὁ Οἰνοῦς, Sellasia Spartam fluens inter Evam et Olympum colles), *quo in loco Antigonus* Doson, *Macedonum rex, cum Cleomene..... dicebatur*, sc. Olymp. 138, 4, a. U. C. 530. Conf. L, 54; Polyb. II, 65 seq. IV, 69; V, 24; XVI, 16; Pausan. II, 9; III, 10; IV, 29; VII, 7; VIII, 49. Mox pro *adscensum* quidam MSS *accessum*, alii, ut et Mogunt., *descensum;* unde *escensum* edidit Gron. — Alii codd. exhibent, *adscensum difficilem et arctas vias esse*, sed exquisitior est vulgata. Ed.

2. *Patenti limite* (vide ad II, 39, n. 3) *ad Eurotam amnem, sub ipsis*

Digitized by Google

itinere fuerat, ac veluti pacato agro transierant. Aliquamdiu peditibus equites, equitibus pedites vocantibus, quum in se cuique minimum fiduciæ esset, trepidatum est. Tandem signa legionum supervenerunt, et, quum primi agminis cohortes inductæ in prælium essent, qui modo terrori fuerant, trepidantes in urbem compulsi sunt. Romani, quum tantum a muro recessissent, ut extra ictum teli essent, acie directa paulisper steterunt. Postquam nemo hostium contra exibat, redierunt in castra. Postero die Quintius prope flumen præter urbem, sub ipsas Menelaii montis radices[3], ducere copias instructas pergit. Primæ legionariæ cohortes ibant: levis armatura et equites agmen cogebant[4]. Nabis intra murum instructos paratosque sub signis habebat mercenarios milites (in quibus omnis fiducia erat), ut ab tergo hostem aggrederetur. Postquam extremum agmen præteriit, tum ab oppido, eodem quo pridie eruperant tumultu[5], pluribus simul locis erumpunt. Ap. Claudius agmen cogebat; qui, ad id, quod futurum erat, ne inopinatum accideret, præparatis suorum animis, signa extemplo convertit,

prope fluentem mœnibus Lacedæmonis; vide ad Sil. IV, 364; VI, 311 sq. — *Cum equitibus atque expeditis*, sc. peditibus, quod excidisse suspicabatur Duk. Mox *pedites* simpl. dicuntur distinguunturque a *legionibus*, gravi armatura. Conf. ad V, 16, n. 2, et XXII, 16, n. 2.

3. *Sub ipsas Menelaii montis radices;* conf. Polyb. V, 18, 21, 22, ubi Schweigh. nota est hæc: « Τὸ Μενελάϊον Livio est mons Spartæ proximus, Polybio locus in monte vel juxta montem positus, templum puta cum vico vel oppido. Sic et Steph. in Μενέλαος· ἔστι καὶ χωρίον Σπάρτης, Μενελάϊον. Ac videtur idem locus esse, cujus nom. propr. *Therapne* prodit Pausan. III, 19, in quo templum fuisse *Menelai* ait et sepulcrum Menelai et Helenæ. Facile tamen credas, ab eo loco et totum montem nomen *Menelaii* obtinuisse. Cæterum de situ Spartæ et circumjacentis regionis, vide Polybium, V, 22, et duas tabulas, quæ pertinent ad *Voy. du j. Anach.* t. V, cap. 41 ».

4. *Equites agmen cogebant;* vide ad XXXII, 2, n. 4.

5. (Cum) *eodem quo pridie eriperant tumultu..... erumpunt:* videtur insiticium τὸ *eruperant;* Gron. Sed

Digitized by Google

totumque in hostem agmen circumegit. Itaque, velut rectæ acies concurrissent, justum aliquamdiu prælium fuit. Tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt. Quæ minus infida ac trepida fuisset, ni Achæi locorum prudentes institissent. Hi et cædem ingentem ediderunt, et dispersos passim fuga plerosque armis exsuerunt. Quintius prope Amyclas posuit castra; inde, quum perpopulatus omnia circumjecta urbi frequentis et amœni agri loca esset, nullo jam hostium porta excedente[6], movit castra ad flumen Eurotam. Inde vallem Taygeto subjectam agrosque ad mare pertinentes evastat.

XXIX. Eodem fere tempore L. Quintius maritimæ oræ oppida, partim voluntate, partim metu aut vi, recepit. Certior deinde factus, Gythium[1] oppidum omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum esse, nec procul a mari castra romana abesse, omnibus id copiis aggredi constituit. Erat eo tempore valida urbs, et multitudine civium incolarumque et omni bellico apparatu instructa. In tempore[2] Quintio, rem haud facilem aggredienti, rex Eumenes et classis Rhodiorum supervenerunt. Ingens multitudo nava-

conf. ad I, 3, n. 8. — *Minus infida ac trepida fuga:* verba *infida ac* in omnibus fere MSS et edd. ante Frob. a. 1535 desunt, et *fuga* non *fida* et *infida*, sed *tuta* et *intuta* dici solet; Duk., Crev. (qui conj. *effusa*) et Drak. — Doering. conjectat *impedita*. Fuga enim *minus impedita*, erit celeris et liberior. Voces tamen *infida ac*, quia ex omnibus codicibus Drakenborchii exsulant, delendas facile censeret. Ed.

6. *Nullo jam hostium porta excedente;* multi MSS et edd. ante Ald. *portam;* vide ad II, 37, n. 5. Repetitum *inde* non satis h. l. placet.—*Taygetus* mons a mari per totam procurrens Laconicam, ad cujus radices sita est Sparta.

Cap. XXIX. 1. *Gythium* seu *Gytheum oppidum*, Γύθιον et Γύθειον, portus et navale Lacedæmoniorum, aut certe ei vicinum; vid. Strab. VIII, p. 363; al. 559; Pausan. I, 27, § 6, III, 21; Polyb. V, 19, § 6; ibique Schweigh., et Meurs. Misc. Lacon. IV, 6.

2. *In tempore;* vide ad II, 47, n. 4.

Digitized by Google

lium sociorum, e tribus contracta classibus, intra paucos dies omnia, quæ ad oppugnationem urbis terra marique munitæ facienda opera erant, effecit. Jam testudinibus admotis murus subruebatur; jam arietibus quatiebatur. Itaque una crebris ictibus eversa est turris, quodque circa muri erat, casu ejus prostratum; et Romani simul a portu, unde aditus planior erat, ut distenderent ab apertiore loco hostes[3], simul per patefactum ruina iter irrumpere conabantur. Nec multum abfuit, quin, qua intenderant[4], penetrarent. Sed tardavit impetum eorum spes objecta dedendæ urbis; mox deinde eadem turbata. Dexagoridas et Gorgopas pari imperio præerant urbi. Dexagoridas miserat ad legatum romanum, traditurum se urbem[5]; et quum ad eam rem tempus et ratio convenisset, a Gorgopa proditor interficitur: intentiusque ab uno urbs defendebatur, et difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius cum quatuor millibus delectorum militum supervenisset. Is quum supercilio haud procul distantis tumuli[6] ab urbe instructam aciem ostendisset, et ex altera parte L. Quintius ab operibus suis terra marique instaret; tum vero de-

— *Navalium sociorum;* vide ad IX, 38, n. 1.—*Testudinibus a. m. s.;* vid. V, 5, n. 3

3. *Distenderent ab apertiore loco hostes;* vide ad III, 23, n. 1, et XXI, 32, n. 7. —*Distenderent,* hoc est, in partes distraherent: plures apud Drak. codd. *discederent;* sed vulgatam recte defendit Doering. Ed.

4. *Qua intenderant;* vide ad III, 70, n. 2, et IV, 19, n. 1.

5. *Dexagoridas miserat ad legatum rom., traditurum se urbem;* vide ad VIII, 19, n. 10. — In pluribus Drak. codd. legitur *traditurus;* quam lectionem profectam ab homine, qui elegantiorem τοῦ *mittere* significationem ignoraret, existimat cl. Doering. eleganter enim dicitur *mittere ad aliquem,* pro missis ad aliquem nunciis vel literis, indicare, etc. Ed. — *Tempus et ratio convenisset;* vide ad I, 3, n. 4. — *Et difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius supervenisset;* vide supra ad librum II, cap. 50, not. 10.

6. *Supercilio h. p. distantis tumuli;* vide ad XXVII, 18, n. 5. — *Ab ope-*

Digitized by Google

speratio Gorgopam quoque coegit id consilii, quod in altero morte vindicaverat, capere: et pactus, ut abducere inde milites, quos præsidii causa habebat, liceret, tradidit Quintio urbem. Prius quam Gythium traderetur, Pythagoras, præfectus Argis relictus, tradita custodia urbis Timocrati Pellenensi [7], cum mille mercenariis militibus et duobus millibus Argivorum Lacedæmonem ad Nabin venit.

XXX. Nabis, sicut primo adventu romanæ classis et traditione oppidorum maritimæ oræ conterritus erat, sic, parva spe quum acquievisset, Gythio [1] ab suis retento, postquam id quoque traditum Romanis audivit esse, quum ab terra, omnibus circa hostibus, nihil spei esset, a mari quoque toto se interclusum, cedendum fortunæ ratus, caduceatorem primum in castra misit ad explorandum, si paterentur legatos ad se mitti. Qua impetrata re, Pythagoras ad imperatorem venit, nullis cum aliis mandatis, quam ut tyranno colloqui cum imperatore liceret. Consilio advocato [2], quum omnes dandum colloquium censuis-

ribus suis (vide ad V, 22, n. 7) *instaret* oppido.

7. *Timocrati Pellenensi;* conf. Polyb. XVII, 17, § 1.

Cap. XXX. 1. *Acquievisset, Gythio,* etc. distinctionem post *acquievisset* delevit cl. Doering. ut sit: quum parvam adhuc spem in Gythio ab suis retento posuisset. Ed. — *Omnibus circa hostibus;* Gron. conj. *hostium* vel *hostilibus,* illudque edidit. Sed vulgatum per ellipsin participii verbi substant. exponendum: quod omnes, qui circa erant, hostes forent; Drak. Mox *interclusum* non habet, quo commode referatur, et forte leg. *atque ab terra... nihil spei esse, a mari quoque toto se interclusum* esse, sc. *audivit;* vel cum Drak. *audivit, et* (vel *audivit esse, et*), *quum ab terra... interclusum,* sc. audivit, vel *interclusum videret, cedendum,* etc. — Post *se interclusum* Fr. *Büttner* asteriscum posuit, ubi haud ambigue deprehenditur lacuna. « Quod si, inquit, explendæ lacunæ perfugium generis, est id *cernens,* quod ad elementa sequentis vocis *cedendum* proxime accedit ». Cæterum duram et tortuosam Livii orationem incusat, locumque affert, ubi *cernens* positum est simillime, lib. XLIII, cap. 18. Ed.

2. *Consilio advocato;* al. *concilio;* vide ad X, 17, n. 1. — Quum ibi

Digitized by Google

sent, dies locusque constituitur. In mediæ regionis tumulos, modicis copiis sequentibus, quum venissent, relictis ibi in statione conspecta[3] utrimque cohortibus, Nabis cum delectis custodibus corporis, Quintius cum fratre et Eumene rege et Sosilao Rhodio et Aristæno Achæorum prætore tribunisque militum paucis descendit.

XXXI. Ibi permisso[1], ut, seu dicere prius, seu audire mallet, ita cœpit tyrannus : « Si ipse per me, « T. Quinti vosque, qui adestis, causam excogitare, « cur mihi aut indixissetis bellum, aut inferretis, pos- « sem, tacitus eventum fortunæ meæ exspectassem. « Nunc imperare animo nequivi, quin, prius quam « perirem, cur periturus essem, scirem. Et, hercule, « si tales essetis, quales esse Carthaginienses fama est, « apud quos nihil societatis fides sancti haberet, in « me quoque vobis quid faceretis minus pensi esse, « non mirarer. Nunc, quum vos intueor, Romanos esse « video, qui rerum divinarum fœdera, humanarum « fidem socialem sanctissimam habeatis. Quum me « ipse respexi[2], eum esse spero, cui et publice, sicut « cæteris Lacedæmoniis, vobiscum vetustissimum fœ- « dus sit : et meo nomine privatim amicitia ac societas, « nuper Philippi bello renovata. At enim ego eam vio- « lavi et everti, quod Argivorum civitatem teneo. « Quomodo hoc tueor? re, an tempore? Res mihi du- « plicem defensionem præbet; nam et, ipsis vocanti-

non sermo esse videatur de conventu legatorum quos socii miserant, sed de consilio imperatoris bellico, *consilio* scribendum esse, recte monet Doering. Ed.

3. *In statione conspecta;* vide ad II, 5, n. 8.

Cap. XXXI. 1. *Ibi permisso, ut*, etc. hoc *ut* del., Duk. et Crev. — Sed librarios omisisse potius aliquid quam intrusisse existimat Doering. qui proponit: *ut, seu dicere prius, seu audire mallet, eligeret, ita cœpit tyrannus.* Ed.

2. *Quum me ipse respexi;* forte *respicio.*

Digitized by Google

« bus ac tradentibus, urbem eam accepi, non occu-
« pavi; et accepi, quum Philippi partium, non in ve-
« stra societate esset. Tempus autem eo me liberat,
« quod, quum jam Argos haberem, societas mihi vo-
« biscum convenit[3]; et, ut vobis mitterem ad bellum
« auxilia, non ut Argis præsidium deducerem, pepi-
« gistis. At hercle, in ea controversia, quæ de Argis
« est, superior sum et æquitate rei, quod non vestram
« urbem, sed hostium, quod volentem, non vi coa-
« ctam, accepi; et vestra confessione, quod in condi-
« tionibus societatis mihi Argos reliquistis. Cæterum
« nomen tyranni et facta me premunt[4], quod servos
« ad libertatem voco, quod in agros inopem plebem
« deduco. De nomine hoc respondere possum, me,
« qualiscumque sum, eumdem esse, qui fui, quum
« tu ipse mecum, T. Quinti, societatem pepigisti. Tum
« me regem appellari a vobis memini: nunc tyrannum
« vocari video. Itaque si ego nomen imperii mutas-
« sem, mihi meæ inconstantiæ; quum vos mutetis,
« vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitu-
« dinem servis liberandis[5] auctam et egentibus divi-
« sum agrum attinet, possum quidem et in hoc me
« jure temporis tutari. Jam feceram hæc, qualiacum-
« que sunt, quum societatem mecum pepigistis, et
« auxilia in bello adversus Philippum accepistis. Sed
« si nunc ea fecissem, non dico, quid in eo vos læ-
« sissem, aut vestram amicitiam violassem? sed illud,
« me more atque instituto majorum fecisse. Nolite ad
« vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Lace-
« dæmone fiunt. Nihil comparare singula necesse est.

3. *Societas mihi vobiscum convenit;* vide supra ad I, 3, n. 4. Mox forte legendum *Ita, hercle, in ea controversia*, etc.

4. *Facta me premunt;* vide ad III, 13, n. 1.

5. *Servis liberandis;* vide ad I, 53, n. 3.

Digitized by Google

« Vos a censu equitem, a censu peditem legitis [6]; et « paucos excellere opibus, plebem subjectam esse illis « vultis. Noster legum lator non in paucorum manu « rempublicam esse voluit, quem vos senatum appel- « latis [7], nec excellere unum aut alterum ordinem in « civitate; sed per æquationem fortunæ ac dignitatis « fore credidit, ut multi essent, qui arma pro patria « ferrent. Pluribus me peregisse [8], quam pro patriæ « sermone brevitatis, fateor. Et breviter peroratum « esse potuit, nihil me, postquam vobiscum amicitiam « institui, cur ejus vos pœniteret, commisisse. »

XXXII. Ad hæc imperator romanus: « Amicitia et « societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope, rege Lace- « dæmoniorum [1] justo ac legitimo, facta est. Cujus jus « tyranni quoque, qui postea per vim tenuerunt Lace- « dæmone imperium (quia nos bella nunc punica, nunc « gallica, nunc alia ex aliis occupaverant), usurparant; « sicut tu quoque hoc macedonico bello fecisti. Nam

6. *A censu equitem... legitis*, ut cap. 51 extr. et *ex censu*, XXVI, 35. Res ipsa ex I, 42 sq. nota.

7. *Noster legum lator* Lycurgus *non in paucorum manu remp. esse voluit, quem vos senatum appellatis:* loquitur ex sententia multorum Græcorum et regum, qui sibi persuadebant, rempublicam romanam in manu senatus et plane aristocraticam esse; Duker. conf. Polyb. VI, 11, et ex eo aliisque Spanhem. de usu et pr. num. Diss. 3, pag. 140. — *Sed per æquationem fortunæ*, bonorum, *ac dignitatis*, etc. conf. Polyb. VI, 46 sq. Justin. III, 2, 3; Xenoph. et Cragius de Rep. Laced.; Plut in Lycurgo et instit. Lacon.; *Voy. du j. Anach.* cap. 43-51; Aristotelis et Platonis libri politicorum et de rep.; *Manso's* Sparta.

8. *Pluribus me peregisse*, dixisse hæc vel sententiam meam, loquutum esse; vide ad I, 18, n. 10. *Me ipse egisse* plurimi MSS, non minus recte. — *Quam pro patriæ sermone brevitatis;* vide ad VII, 33, n. 2. Sed insolenter hoc dictum et forte leg. *quam pro patrii sermonis brevitate*, quod et Roellio in mentem venisse video. Nota autem breviloquentia laconica, ὁ λακωνισμὸς apud Cic. ad Div. XI, 25. Conf. Plut. Lycurg pag. 51, 52. — *Cur ejus;* vide ad V, 46, n. 5. An potius leg. *cujus?*

Cap. XXXII. 1. *Cum Pelope, rege Lacedæmon.*, filio Lycurgi (vide ad c. 26, n. 5), ὃν Νάβις ὁ τύραννος τῶν Λακεδαιμονίων ἀνεῖλε, παῖδα τὴν ἡλικίαν ὄντα· εὐλαβεῖτο γὰρ, μήποτε ὁ παῖς παραγενόμενος εἰς ἡλικίαν ἀπο-

Digitized by Google

« quid minus conveniret [2], quam nos, qui pro libertate « Græciæ adversus Philippum gereremus bellum, cum « tyranno instituere amicitiam? et tyranno quam, qui « unquam, sævissimo [3] et violentissimo in suos? Nobis « vero, etiamsi Argos nec cepisses per fraudem, nec « teneres, liberantibus omnem Græciam, Lacedæmon « quoque vindicanda in antiquam libertatem erat at- « que in leges suas, quarum modo, tanquam æmulus « Lycurgi, mentionem fecisti. An, ut ab Jasso et Bar- « gyliis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis? « Argos et Lacedæmonem, duas clarissimas urbes, lu- « mina quondam Græciæ, sub pedibus tuis relinque- « mus; quæ titulum nobis liberatæ Græciæ [4] servientes « deforment? Atenim cum Philippo Argivi senserunt.

καταστήσῃ τῇ πατρίδι ἐλευθερίαν, πεφρονηματισμένος διὰ τὴν εὐγένειαν, Diodor. Exc. l. 26, pag. 285. Sed de alio Pelope loqui Livium, vel potius nomen Pelopis hic vitiosum esse, ex toto h. l. probabile fit, inpr. ex eo quod *rex justus et legitimus* appellatur, quodque Romani post societatem cum eo initam *punica gallicaque bella* gessisse, et *tyranni per vim tenuisse Lacedæmone imperium* dicuntur. Hæc et alia jam monuere Duk., Crev. et Drak.

2. *Nam quid minus conveniret, quam nos*, etc. multi MSS, *quam eos*, quod recepere Crev. et Drak. probavitque etiam Gron. qui hoc dictum monet, ut XXXII, 21, n. 6: *Achæi arma rom. sustinebimus.* Quod tamen exemplum ab h. l. alienum est. *Achæi* pro *nos Achæi* dixit prætor Achæorum, nomine eorum loquens. — Doering. recepit *eos*, ad optimorum codd. fidem, ut prædicat. Ed.

3. *Et tyranno, quam qui unquam, sævissimo:* scita brevitas intellecto casu patrio *omnium*, pro vulg. *et cum tyranno quam sævissimo omnium, qui unquam fuerunt;* nisi pro *quam* legere malis *omnium;* Gron. *Quam qui unquam fuit, sævissimo* MS Mog. *Sævissimo* pro *sæviore*, dictum putat Voss. Gramm. VII, 17; sed durius esse profitetur, si superlativus non tantum vim comparativi adsciscat, sed ei quoque adjungatur casus, quem comparativus requirat. Ita quidem loquutum esse Livium, II, 30, n. 1, suspicabatur Drak. sed vide, quæ ibi notavimus. Forte Livius h. l. scripsit *et tyranno, quam qui unquam* (sc. fuerunt), *sæviore et violentiore in suos*, et glossator margini adscripsit *sævissimo et violentissimo.*

4. *Titulum nobis liberatæ Græciæ servientes*, tuæ nunc tyrannidi subjectæ, *deforment;* vide ad XXXI, 15, n. 7. — In omnibus fere codd. et vett. editt. *libertatis Græciæ*, sed hoc, utcumque explicetur, durissime dictum judicat Doering. qui proponit *libertatis Græciæ partæ.* Ego vulgatam lect. malim. Ed.

Digitized by Google

« Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem[5] irascaris. « Satis compertum habemus, duorum aut summum « trium in ea re, non civitatis, culpam esse; tam, her- « cle[6], quam in te tuoque præsidio arcessendo acci- « piendoque in arcem nihil esse publico consilio actum. « Thessalos et Phocenses et Locrenses consensu om- « nium scimus partium Philippi fuisse. Tamen quum « cæteram liberaverimus Græciam, quid tandem censes « in Argivis, qui insontes publici consilii sint, factu- « ros? Servorum ad libertatem vocatorum et egenti- « bus hominibus agri divisi crimina tibi objici dice- « bas. Non quidem nec ipsa mediocria: sed quid ista « sunt præ iis, quæ a te tuisque quotidie alia super « alia facinora eduntur? Exhibe liberam concionem « vel Argis, vel Lacedæmone, si audire juvat vera do- « minationis impotentissimæ[7] crimina. Ut omnia alia « vetustiora omittam, quam cædem Argis[8] Pythagoras « iste gener tuus pæne in oculis meis edidit? quam tu « ipse, quum jam prope in finibus Lacedæmoniorum

5. *Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris;* vide ad XXV, 38, n. 2. Pro *ne* forte leg. *ut*, hoc sensu: Non postulamus, ut pro nobis id ulciscaris et punias; non est, quod nostra vice propterea irascaris.—Locum ita forte distinguendum putat Doering. *Remitt. hoc tibi. Ne nost. vic. irascaris, satis*, etc. hoc est, concedimus hoc tibi. Noli tamen nostra causa (ob nos, pro nobis), omnibus Argivis irasci; nam satis, etc. Ed.

6. *Tam, hercle* (sc. compertum id habemus), *quam* (sc. compertum habemus) *in te tuoque præsidio... nihil esse publico c. a.;* vid. XXXII, 38. Illud *esse* ex quibusdam edd. antt. recepi pro vulg. *sit*. « Nam vel *est* leg. vel *esse*, quoniam hæc latina sunt: *habeo compertum, tam hoc esse, quam illud est*, et *habeo compertum, tam hoc esse, quam illud quoque esse*, sc. compertum habeo »; Gron. — *Tamen quum cæterum liberavimus Græciam*, « immo leg. *tamen quum eos cum cætera liberaverimus Græcia, quid*, etc. vel *tamen* (eos) *cum cætera liberavimus* (ita plerique MSS et edd. ante Ald. unde *liberarimus* conj. Gron.) *Græcia. Quid tandem*, etc. nam Quintius non argumentatur a libertate toti Græciæ, sed tantum Thessalis, etc. reddita, qui cum Philippo senserant »; Crever.

7. *Dominationis impotentissimæ;* vide ad III, 36, n. 2.

8. *Quam cædem Argis Pythagoras*, etc. vid. cap. 25. — *Quam tu*

Digitized by Google

« essem? Agedum, quos in concione[9] comprehensos,
« omnibus audientibus civibus tuis, in custodia te ha-
« biturum esse pronuntiasti, jube vinctos produci, ut
« miseri parentes, quos falso lugent, vivere sciant. At
« enim, ut jam ita sint hæc, quid ad vos[10], Romani?
« Hoc tu dicas liberantibus Græciam? hoc iis, qui, ut
« liberare possent, mare trajecerunt, terra marique
« gesserunt bellum? Vos tamen, inquis, vestramque
« amicitiam ac societatem proprie non violavi. Quoties
« vis te id arguam fecisse? Sed nolo pluribus: sum-
« mam rem complectar. Quibus igitur rebus amicitia
« violatur? Nempe his maxime duabus, si socios meos
« pro hostibus habeas; si cum hostibus te conjungas.
« Utrum non a te factum est? nam et Messenen, uno
« atque eodem jure fœderis, quo et Lacedæmonem,
« in amicitiam nostram acceptam, socius ipse sociam
« nobis urbem vi atque armis cepisti[11]; et cum Phi-
« lippo, hoste nostro, non societatem solum, sed, si
« diis placet, affinitatem etiam per Philoclem præfe-
« ctum ejus pepigisti, et bellum adversus nos[12] gerens
« mare circa Maleam infestum navibus piraticis feci-
« sti, et plures prope cives romanos, quam Philippus,
« cepisti atque occidisti; tutiorque Macedoniæ ora,
« quam promontorium Maleæ commeatus ad exerci-

ipse, forte *quam tu uxorque;* vide ad XXXII, 40.

9. *Quos in concione comprehensos;* etc. vid. cap. 27.

10. *At enim ut* (etsi) *jam ita sint hæc, quid ad vos* ea pertinent, *Romam?* sententia Nabidis, quæ mox refefllitur. *Atenim* cod. Mogunt. *Etenim* Lov. 3 et 5, cum editionibus veteribus ante Ascens. a. 1513. *Enim* plerique MSS, prob. Gronov. Confer. ad XXIII, 45, n. 6.

11. *Messenen... sociam nobis u. vi atque ar. cepisti;* vid. Pausan. IV, 29; VIII, 50; Plut. Philop. p. 362 sq. Polyb. XVI, 13, ubi conf. Schweigh.

12. *Bellum advers. nos gerens*, etc. « sc. durante adhuc bello macedonico, quo Philippum a Nabide his rebus adjutum dicit Quintius. Est ergo *bellum gerens* quasi bellum gerens eo tempore, quo tibi amicitiam cum Romanis fuisse jactas. Nam Nabidi, postquam, pace inter Romanos et Philippum fa-

Digitized by Google

« tus nostros portantibus navibus fuit. Proinde parce, « sis [13], fidem ac jura societatis jactare; et, omissa po- « pulari oratione, tanquam tyrannus et hostis lo- « quere. »

XXXIII. Sub hæc [1] Aristænus nunc monere Nabin, nunc etiam orare, ut, dum liceret, dum occasio esset, sibi ac fortunis suis consuleret. Referre deinde nominatim tyrannos civitatium finitimarum cœpit, qui, deposito imperio restitutaque libertate suis, non tutam modo, sed etiam honoratam inter cives senectutem egissent. His dictis invicem auditisque, nox prope diremit colloquium [2]. Postero die Nabis, *Argis se cedere ac deducere præsidium, quando ita Romanis placeret, et captivos et perfugas redditurum*, dixit. *Aliud si quid postularent, scriptum ut ederent*, petiit, *ut deliberare cum amicis posset.* Ita et tyranno ad consultandum tempus datum est; et Quintius, sociorum etiam principibus adhibitis, habuit concilium. Maximæ partis sententia erat: *Perseverandum in bello esse, et tollendum tyrannum. Nunquam aliter tutam libertatem Græciæ fore. Satius multo fuisse, non moveri bellum adversus eum, quam omitti motum. Et ipsum velut comprobata* [3] *dominatione firmiorem fu-*

cta, apertum adversus Romanos bellum susceperat, hæc omnia jure belli licebat facere. Forte tamen leg. *et ut bellum* ». Duker.

13. *Proinde parce, sis;* vid. XXIII, 47, n. 2. — *Omissa populari oratione;* vide ad II, 8, n. 1, et II, 24, n. 2.

Cap. XXXIII. 1. *Sub hæc* verba; vide ad II, 55, n. 1. — *Referre deinde nominatim tyrannos*, etc. Aliquot commemorat Polybius, II, 44, quos, ut observat Creverius, in animo Aristænus videtur habuisse, Lysiadem, scilicet Megalopolitanum, Xenonem Hermionensem, Cleonymum Phliasium, Aristomachum Argivum, qui omnes Arati vel auctoritate, vel metu adducti, tyrannidem deposuerant, seseque et civitates suas Achæis adjunxerant. Ed.

2. *Nox prope diremit colloquium*, i. e. propemodum: sed revera illud diremptum fuisse, indicant sqq. *postero die*, etc. unde forsan leg. *nox propinqua;* Duk. *Quoque* pro *prope* MS Harl. et quædam edd. vett. *nox prope*, sc. exsistens; Drak.

3. *Et ipsum velut comprobata*, etc.

Digitized by Google

turum, auctore injusti imperii assumpto populo romano; et exemplo multos in aliis civitatibus ad insidiandum libertati civium suorum incitaturum. Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatior erat. Videbat enim, compulso intra mœnia hoste, nihil præter obsidionem restare; eam autem fore diuturnam. *Non enim Gythium, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset, sed Lacedæmonem, validissimam urbem viris armisque, oppugnaturos. Unam spem fuisse, si qua admoventibus exercitum dissensio inter ipsos ac seditio excitari posset. Quum signa portis prope inferri cernerent, neminem se movisse.* Adjiciebat, *et cum Antiocho infidam pacem, Villium legatum inde redeuntem nuntiare: multo majoribus, quam ante, terrestribus navalibusque copiis in Europam eum transisse. Si occupasset obsidio Lacedæmonis exercitum, quibus aliis copiis adversus regem tam validum ac potentem bellum gesturos?* Hæc propalam dicebat: illa tacita suberat cura[4], ne novus consul Græciam provinciam sortiretur, et inchoati belli victoria successori tradenda esset.

XXXIV. Quum adversus tendendo nihil moveret socios, simulando se transire in eorum sententiam, omnes in assensum consilii sui traduxit. « Bene ver-« tat[1], inquit, quando ita placet, obsideamus Lacedæ-« monem. Illud modo ne fallat cæterum, quum res « tam lenta, quam ipsi scitis, oppugnatio urbium sit,

His et seqq. duplex redditur causa, cur satius multo fuisset, non moveri bellum, quam omitti motum: quare ante *et ipsum*, supplendum *nam*, quod sæpe omittitur; Drak.

4. *Illa tacita suberat cura;* forte leg. *subibat* vel *subiit*, scil. animum ejus, ut XXXV, 20; XL, 8, al. — *Bellum victoria;* vide ad VI, 8, n. 5.

Cap. XXXIV. 1. *Bene vertat;* vide ad I, 28, n. 1.—*Illud modo ne fallat cæterum* vos, sciatis oportet et expendatis. *Illud cæterum*, ut *ad cæteram fidem*, XXXIV, 36, vel *cætera inse-*

Digitized by Google

« et obsidentibus prius sæpe, quam obsessis, tædium « afferat, jam nunc hoc ita proponere vos animis opor- « tet, hibernandum circa Lacedæmonis mœnia esse. « Quæ mora si laborem tantum ac periculum haberet, « ut et animis, et corporibus ad sustinenda ea parati « essetis, hortarer vos. Nunc impensa quoque magna « eget in opera, in machinationes et tormenta, qui- « bus tanta urbs oppugnanda est; in commeatus vobis « nobisque in hiemem expediendos. Itaque, ne aut « repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter de- « stituatis, scribendum ante vestris civitatibus censeo « explorandumque, quid quæque animi, quid virium « habeat. Auxiliorum satis superque habeo; sed, quo « plures sumus, pluribus rebus egebimus. Nihil jam « præter nudum solum ager hostium habet. Ad hoc « hiems accedit, ad comportandum ex[2] longinquo « difficilis. » Hæc oratio primum animos omnium ad respicienda cuique domestica mala convertit; segnitiam, invidiam et obtrectationem domi manentium adversus militantes, libertatem difficilem ad consensum, inopiam publicam, malignitatem conferendi ex privato[3]. Versis itaque subito voluntatibus, facere, quod e republica populi romani sociorumque esse crederet, imperatori permiserunt.

XXXV. Inde Quintius, adhibitis legatis[1] tantum tribunisque militum, conditiones, in quas cum ty-

ctatio et *deprecatio*, XLII, 12 et 48; et sententia quæ illius, II, 29, *ne prædictum negetis;* Gron.

2. *Ad comportandum ex l. d.;* vide ad XXXV, 45, n. 2.

3. *Malignitatem conferendi ex privato;* vide ad II, 9, n. 4, et III, 63, n. 2. — *Facere, quod e republica populi rom. sociorumque esse* (ut VIII, 4, et XLV, 14, n. 3; conf. ad I, 27, n. 5) *crederet, imperatori permiserunt;* vide ad XXXIII, 45, n. 1.

XXXV. 1. *Adhibitis legatis tantum*, etc. scil. in concilium militare; vide ad V, 25, n. 5, et VIII, 6, n. 6. —*Ut pax ex auctoritate senatus confirmaretur,* τὸ *ex* delendum, et ex præc. *pax* ortum; Duk. *et* (etiam) Lov. 3,

Digitized by Google

ranno pax fieret, has conscripsit : *Sex mensium induciæ ut essent Nabidi Romanisque et Eumeni regi et Rhodiis. Legatos extemplo mitterent Romam T. Quintius et Nabis, ut pax ex auctoritate senatus confirmaretur. Ex qua die scriptæ conditiones pacis editæ Nabidi forent, ea dies ut induciarum principium esset; et ut ex ea die intra decimum diem ab Argis cæterisque oppidis, quæ in Argivorum agris essent, præsidia omnia deducerentur, vacuaque et libera traderentur Romanis; et ne quod inde mancipium regium publicumve aut privatum educeretur, et, si qua ante educta forent, dominis recte restituerentur*[2]. *Naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet; neve ipse navem ullam, præter duos lembos, qui non plus quam sexdecim remis agerentur, haberet. Perfugas et captivos omnibus sociis populi romani civitatibus redderet, et Messeniis omnia, quæ*[3] *comparerent, quæque domini cognoscerent. Exsulibus quoque Lacedæmoniis liberos et conjuges restitueret, quæ earum viros sequi voluissent; invita ne qua exsulis comes esset. Mercenariorum militum Nabidis, qui aut in civitates suas, aut ad Romanos transissent, iis res suæ omnes recte redderentur. In Creta insula ne quam urbem haberet; quas habuisset, redderet Romanis. Ne quam societatem cum ullo Cretensium aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret. Civitatibus omnibus, quas ipse restituisset, quæque se suaque in fidem ac ditionem populi romani tradidissent, omnia præ-*

4.—Doeringium vero illa præpositio non offendit, nec quemquam alium, ut opinatur, offendet. Ed.

2. *Dominis recte restituerentur*, sine dolo, ut XXXVIII, 38, n. 3. Conf. Drak.

3. *Quæ comparerent q. d. c.*; vide ad VI, 1, n. 6. — *Exsulibus quoque Lacedæmoniis liberos*, etc. vide ad XXXVI, 35, n. 4. — Ante *liberos* excidisse *bona* suspicabatur Creverius, collato cap. seq. — *Cum ullo Cretensium*, scilic. populo seu dynasta; Drakenb.

Digitized by Google

sidia deduceret; seque ipse suosque ab his abstineret. Ne quod oppidum, ne quod castellum in suo alienove agro conderet. Obsides ea ita futura daret quinque, quos imperatori romano placuisset; filium in his suum: et talenta centum argenti in præsenti[4], *et quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo.*

XXXVI. Hæc conscripta, castris propius urbem motis, Lacedæmonem mittuntur. Nec sane quidquam eorum satis placebat tyranno, nisi quod, præter spem, reducendorum exsulum mentio nulla facta erat. Maxime autem omnium ea res offendebat, quod et naves, et maritimæ civitates ademptæ erant. Fuerat autem ei magno fructui mare, omnem oram[1] Maleæ prædatoriis navibus infestam habenti. Juventutem præterea civitatium earum ad supplementum longe optimi generis militum habebat. Has conditiones, quanquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, vulgo tamen omnes fama ferebant, vanis, ut ad cæteram fidem, sic ad secreta tegenda, satellitum regiorum ingeniis. Non tam omnia universi, quam ea, quæ ad quemque pertinerent, singuli carpebant. Qui exsulum conjuges in matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid possederant, tanquam amissuri, non reddituri, indignabantur. Servis liberatis a tyranno non irrita modo futura libertas, sed multo fœdior, quam fuisset ante, servitus redeuntibus in iratorum dominorum potestatem ante oculos ob ver-

4. *In præsenti*, scilicet tempore, nunc.

Cap. XXXVI. 1. *Omnem oram Maleæ.* Ante Drak. legebatur *ab Malea;* ille nostram lect. e Moguntinis membr. recepit. Ed. — *Has conditiones, quanquam*, etc. sensum ita Doering. explanat: quanquam autem tyrannus in secreto de his conditionibus deliberaverat cum amicis, ii tamen illas omnes vulgo fama disseminabant, dum ingenia satellitum regiorum ut ad cæteram fidem, sic ad secreta tegenda, vana et infida esse solent. Ed. — *Omnes fama ferebant;* vide ad IV, 5, n. 3.

Digitized by Google

sabatur. Mercenarii milites et pretia militiæ[2] casura in pace ægre ferebant, et reditum sibi nullum esse in civitates videbant, infensas non tyrannis magis, quam satellitibus eorum.

XXXVII. Hæc inter se primo in circulis[1] serentes fremere; deinde ad arma subito discurrerunt. Quo tumultu quum per se satis irritatam multitudinem cerneret tyrannus, concionem advocari jussit. Ubi quum ea, quæ imperarentur a Romanis, exposuisset, et graviora atque indigniora quædam falso adfinxisset, et ad singula, nunc ab universis, nunc a partibus concionis, acclamaretur, interrogavit, *Quid se respondere ad ea, aut quid facere vellent?* Prope una voce omnes, *Nihil respondere, bellum geri*, jusserunt, et pro se quisque, qualia multitudo solet, bonum animum habere, et bene sperare jubentes, *fortes fortunam adjuvare*[2], aiebant. His vocibus incitatus tyrannus et Antiochum Ætolosque adjuturos pronuntiat, et sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. Exciderat pacis mentio ex omnium animis, et in stationes non ultra quieturi discurrunt. Paucorum lacessentium excursio et emissa jacula extemplo et Romanis dubitationem, quin bellandum esset, exemerunt. Levia inde prælia per quatriduum primum

2. *Pretia mil. casura*, intercisura.

Cap. XXXVII. 1. *Hæc in circulis*, conventibus hominum privatis (vid. VII, 12, n. 6; XXXIV, 61, et XLIV, n. 22), *serentes;* vide ad III, 43, n. 2. — *Falso adfinxisset*, fingendo adjecisset; τὸ *falso* superfluum putat Doering. *falsa* enim esse quæ fingendo adjiciuntur, sponte apparet. Si vox *falso* profecta est a Livio, pro *adfinxisset*, conjicit vir cl. *adjunxisset*, quod vere jam in quibusdam codd. et vett. editt. esse monet. Ed. — *Acclamaretur*. Tam in bonam, quam in malam partem, *acclamare* dici notat Doering. quatenus clamore et fremitu aut favor aut indignatio declaratur; nunc indignantium et furentium clamor significatur. Ed.

2. *F. f. adj.* cf. Virg. Æn. X, 284; Ennius, Annal. VII, 13; Terentius, Phorm. I, 4; Ovid. Metam. X, 586; Tibull. l. I; Val. Flacc. IV; Claudian. ad Prob. et Fr. Petrarch. Ed.

Digitized by Google

sine ullo satis certo eventu commissa. Quinto die prope justa pugna adeo paventes in oppidum Lacedæmonii compulsi sunt, ut quidam milites romani, terga fugientium cædentes, per intermissa, ut tunc erant, mœnia [3] urbem intrarint.

XXXVIII. Et tunc quidem Quintius, satis eo terrore coercitis excursionibus hostium, nihil præter ipsius oppugnationem urbis superesse ratus, missis, qui omnes navales socios a Gythio arcesserent, ipse interim cum tribunis militum ad visendum urbis situm mœnia circumvehitur. Fuerat quondam sine muro Sparta [1]. Tyranni nuper locis patentibus planisque objecerant murum: altiora loca et difficiliora aditu stationibus armatorum pro munimento objectis tutabantur. Ubi satis omnia inspexit, corona oppugnandum ratus [2], omnibus copiis (erant autem Romanorum sociorumque, simul peditum equitumque, simul terrestrium ac navalium copiarum, ad quinquaginta millia hominum) urbem cinxit. Alii scalas, alii ignem, alii alia, quibus non oppugnarent modo, sed etiam terrerent, portabant. Jussi clamore sublato subire undique omnes, ut, qua primum occurrerent, quave opem ferrent, ad omnia simul paventes Lacedæmonii ignorarent. Quod roboris in exercitu erat, trifariam divisum: parte una a Phœbeo [3], altera a Di-

3. *Per intermissa mœnia;* vide ad VII, 36, n. 1.

Cap. XXXVIII. 1. *Fuerat quondam sine muro Sparta* ex instituto Lycurgi, qui virtutem civium loco muri et munitionis esse voluerat: *tyranni nuper... objecerant murum*, etc. conf. XXXVIII, 34; XXXIX, 37; Xenoph. Ages. II, 24; Plut. t. I, p. 52, 613, et t. II, p. 210; Justin. XIV, 5; Pausan. VII, 8, 9; VIII, 51.

2. *Corona oppugnandum ratus;* vide ad II, 17, n. 3.

3. *Parte una a Phœbeo*, etc. vide ad VIII, 17, n. 5. *Phœbeum* apud Pausan. III, 14 et 20. Φοιβαῖον (ita et apud Herodot. VI, 61), et Ἐφηβαῖον in MSS, sed rectius Ἐφηβεῖον· unde et h. l. leg. *Phœbæo*, aut potius *ab Ephebeo*, gymnasio, seu palæstra

Digitized by Google

ctynneo, tertia ab eo loco, quem Heptagonias appellant (omnia autem hæc aperta sine muro loca sunt) aggredi jubet. Quum tantus undique terror urbem circumvasisset, primo tyrannus et ad clamores repentinos, et ad nuntios trepidos motus, ut quisque maxime laboraret locus[4], aut ipse occurrebat, aut aliquos mittebat. Deinde, circumfuso undique pavore, ita obtorpuit, ut nec dicere, quod in rem esset[5], nec audire posset; nec inops modo consilii, sed vix mentis compos esset.

XXXIX. Romanos primo sustinebant in angustiis Lacedæmonii; ternæque acies tempore uno locis diversis pugnabant. Deinde, crescente certamine, nequaquam erat prælium par. Missilibus enim Lacedæmonii pugnabant, a quibus se et magnitudine scuti perfacile romanus tuebatur miles, et quod alii[1] vani, alii leves admodum ictus erant. Nam propter angustias loci confertamque turbam non modo ad emittenda[2] cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant; sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur. Itaque ex adverso missa tela, nulla in corporibus, rara in scutis hærebant. A circumstantibus ex superioribus locis quidam vulnerati sunt: mox progressos jam etiam ex tectis non tela modo, sed tegulæ quoque, inopinantes perculerunt. Sublatis deinde supra capita scutis continuatis-

juvenum, vel sacrarium, ubi οἱ ἔφηβοι τῷ Ἐνυαλίῳ θύουσι· vid. Pausan. — *Dictynneo*, ἐπὶ τῷ πέρατι Ἀφεταΐδος, ἐγγύτατα ἤδη τοῦ τείχους Lacedæmonis, Δικτύννης ἐστὶν ἱερὸν καὶ βασίλειοι τάφοι, etc. Pausan. III, 12, § 7. — Huc quoque citant Spanhem. ad Callimach. II, in Dian. v. 190; Casaub. ad Strab. X, p. 733, et Salmasius ad Solinum, pag. 121. Ed.

4. *Maxime laboraret locus;* vide ad III, 31, n. 1.

5. *Dicere, quod in rem esset;* vide ad I, 27, n. 5.

Cap. XXXIX. 1. *Alii vani... ictus;* vide ad X, 29, n. 1.

2. *Non modo* non *ad emittenda*, etc. vide ad I, 40, n. 1.

Digitized by Google

que ita inter se, ut non modo ad cæcos ictus, sed ne ad inferendum[3] quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, testudine facta[4] subibant. Et primæ angustiæ paulisper, sua hostiumque refertæ turba, tenuerunt: postquam in patentiorem viam urbis paulatim urgentes hostem processere, non ultra vis eorum atque impetus sustineri poterant. Quum terga vertissent Lacedæmonii, et effusa fuga superiora peterent loca, Nabis quidem, ut capta urbe trepidans, quanam ipse evaderet, circumspectabat. Pythagoras quum ad cætera animo officioque ducis fungebatur[5], tum vero unus, ne caperetur urbs, causa fuit. Succendi enim ædificia proxima muro jussit. Quæ quum momento temporis arsissent, ut adjuvantibus ignem, qui alias ad exstinguendum opem ferre solent, ruere in Romanos tecta; nec tegularum modo fragmenta, sed etiam ambusta tigna, ad armatos pervenire, et flamma late fundi; fumus terrorem etiam majorem, quam periculum, facere. Itaque et qui extra urbem erant Romanorum, tum maxime impetus facientes, recessere a muro; et, qui jam intraverant, ne incendio ab tergo oriente intercluderentur ab suis, receperunt sese: et Quintius, postquam, quid rei esset, vidit, receptui canere jussit. Ita a capta prope urbe revocati redierunt in castra.

XL. Quintius plus ex timore hostium, quam ex re

3. *Ut non modo* non *ad cæcos ictus, sed nequidem ad inferendum ex propinquo telum*, ut *inferre alicui vulnera*, XXXVIII, 2. Conf. sup. ad c. 14, n. 6. *Ad inserendum* (scil. inter scuta illa continuata in corpora militum sub testudine latitantium) quidam MSS et edd. vett. non improb. Drak.

4. *Testudine facta;* vide supra ad lib. V, cap. 5, n. 3, et lib. V, cap. 43, n. 2.

5. *Animo officioque ducis fung.* viri fortis et ducis officium explebat: τὸ *fungebatur* per zeugma extremo tantum nomini *officio* accommodatum esse observat Doering. ad voc. *animo* supplendum fere est: præstabat, excellebat, vel simile quid. Ed.

Digitized by Google

ipsa, spei nactus, per triduum insequens territavit eos, nunc præliis lacessendo, nunc operibus intersepiendo[1] quædam, ne exitus ad fugam esset. His comminationibus compulsus tyrannus Pythagoram rursus oratorem misit, quem Quintius primo adspernatum excedere castris jussit: deinde suppliciter orantem advolutumque genibus tandem audivit. Prima oratio fuit omnia permittentis arbitrio Romanorum; dein, quum ea velut vana et sine effectu nihil[2] proficerent, eo deducta res est, ut his conditionibus, quæ ex scripto paucis ante diebus editæ erant, induciæ fierent; pecuniaque et obsides accepti. Dum oppugnatur tyrannus, Argivi, nuntiis aliis prope super alios afferentibus, tantum non jam captam Lacedæmonem esse, erecti et ipsi, simul eo quod Pythagoras cum parte validissima præsidii excesserat, contempta paucitate eorum, qui in arce erant, duce Archippo quodam, præsidium expulerunt. Timocratem Pellenensem, quia clementer præfuerat[3], vivum fide data emiserunt. Huic lætitiæ Quintius supervenit, pace data tyranno, dimissisque ab Lacedæmone Eumene et Rhodiis et L. Quintio fratre ad classem.

XLI. Læta civitas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum[1], die stata propter belli

Cap. XL. 1. *Nunc operibus* (vide ad V, 22, n. 7, et XXI, 57, n. 7) *intersepiendo quædam*, ut *intersepire vallo, muro, munimento*. Conf. Drak. ad VI, 9, n. 3; XXIV, 23; XXXI, 46. — *Adspernatum*. Nonnunquam passive *adspernari* ab optimis scriptoribus adhibitum esse docuit Voss. Gramm. V, 6. Cæterum in mu tis codd. et editt. legi *adspernatus* monet cl. Doering. Ed.

2. *Nihil proficerent*, potius *proficeret*, sc. oratio; Gron. — *Pecuniaque et obsides accepti*; conf. ad XXXVI, 35, n. 4.

3. *Quia clementer præfuerat*, scil. præsidio.

Cap. XLI. 1. *Ludicrum Nemeorum*, etc. vide ad XXVII, 30, n. 6.— *Præfecerunt ludis ipsum imperatorem*, præsidere, προεδρεύειν, honoratissimo loco sedere voluerunt: qui honos apud Sueton. imperatoribus habitus dicitur ab iis, qui suis sumptibus lu-

Digitized by Google

mala prætermissum, in adventum romani exercitus ducisque indixerunt, præfeceruntque ludis ipsum imperatorem. Multa erant, quæ gaudium cumularent. Reducti cives ab Lacedæmone erant, quos nuper Pythagoras, quosque ante Nabis abduxerant: redierant, qui post compertam a Pythagora conjurationem[2], et cæde jam cœpta, effugerant: libertatem ex longo intervallo libertatisque auctores Romanos, quibus causa bellandi cum tyranno ipsi fuissent, cernebant. Testata quoque ipso Nemeorum die[3] voce præconis libertas est Argivorum. Achæis quantum restituti Argi in commune Achaiæ concilium lætitiæ afferebant; tantum serva Lacedæmon relicta, lateri adhærens tyranni, non sincerum gaudium præbebat. Ætoli vero eam rem omnibus conciliis lacerare: *Cum Philippo non ante desitum bellari, quam omnibus excederet Græciæ urbibus. Tyranno relictam Lacedæmonem; regem autem legitimum, qui in Romanis fuerat castris*[4], *cæterosque nobilissimos cives in exsilio victuros. Nabidis dominantis satellitem*[5] *factum populum romanum.* Quintius ab Argis Elatiam, unde ad bellum spartanum

dos ederent; Ern. Conf. Plut. Flamin. pag. 375.

2. *Compertam a Pythagora conjurat.*; vid. cap. 25.

3. *Testata quoque ipso Nemeorum die*, etc. vide ad XXXIII, 32, n. 5. — *Restituti Argi in c. A. c.* confer. XXXII, 22.—*Lacedæm. relicta*, etc. Hunc locum Goeller. e MS Bamb. ita restituit: *serva Lac. relicta, et lateri adh. tyrannis, non..... præbebant.* Ed. — *Eam rem lacerare*, ut *proscindere* et *perstringere*. Confer. XXIX, 19; XXXI, 6; XXXII, 2; XLI, 6; XLII, 3, 22; XLIII, 4, et Bentl. ad Hor. Sat. II, 1, v. 85.

4. *Regem autem legitimum, qui in Romanis fuerat* (forte *fuerit*, quod firmat cod. Bamb.; sed vide ad III, 2, n. 1) *castris*; vid. cap. 26 extr.

5. *Nabidis dominantis satellitem.*, ministrum et adjutorem potentiæ ejus (vide ad XXIII, 12, n. 7), *factum populum romanum*, qui tueatur ejus tyrannidem et sua auctoritate per pacem confirmaverit; Duker. et Periz. coll. cap. 33, *si omitteretur motum adversus Nabin bellum, eum, velut comprobata dominatione, firmiorem futurum, auctore injusti imperii adsumpto populo romano.* — Pro *dominantis* cod. Bamb. habet *dominationis*, probante

Digitized by Google

profectus erat, copias reduxit. Sunt, qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum[6] tradant, sed castris adversus romana castra positis; diuque cunctatum, quum Ætolorum auxilia exspectasset, coactum ad extremum acie confligere, impetu in pabulatores suos ab Romanis facto; eo prælio victum castrisque exsutum pacem petisse, quum cecidissent quindecim millia militum, capta plus quatuor millia essent.

XLII. Eodem fere tempore et a T. Quintio de rebus ad Lacedæmonem gestis, et ab M. Porcio consule ex Hispania literæ allatæ. Utriusque nomine in dies ternos supplicatio a senatu decreta est. L. Valerius consul, quum post fusos circa Litanam silvam[1] Boios quietam provinciam habuisset, comitiorum causa Romam rediit; et creavit consules P. Cornelium Scipionem Africanum iterum et Ti. Sempronium Longum. Horum patres primo anno secundi punici belli consules fuerant. Prætoria inde comitia habita. Creati P. Cornelius Scipio et duo Cn. Cornelii, Merenda et Blasio, et Cn. Domitius Ahenobarbus et Sex. Digitius et T. Juventius Thalna. Comitiis perfectis, consul in provinciam rediit. Novum jus eo anno a Ferentinati-

Goellero. Ed. — Ex emend. Gelen. nunc legitur *populum rom.* in edd. primis *tribunum militum*. Non placebat Gron. *satelles populus*, et *imperatorem romanum* malebat. *T.* aut *Titum Romuleum* omnes fere MSS; unde Ruhen. conj. *Titum* vel *Titum Romanum*. Quintius prænomine solo a Græcis, Polyb. et Plut., appellatur; non vero a Romanis. — Doering. legendum esse *romanum militem* auctor est; quæ lectio in verbis *tribunum militum* potius latere videtur. Ed.

6. *Ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum*, bis eruptione ex oppido facta Nabin cum Romanis pugnasse tradit Livius, primum ante conscriptas conditiones pacis, c. 28; deinde post eas Spartam relatas et a multitudine repudiatas, cap. 37: de posteriore aliter scripserunt alii; Duk. — Doering. τὸ *proficiscentem* plane superfluum et minime rei accommodatum ideoque delendum arbitratur. Ed.

Cap. XLII. 1. *Circa Litanam silvam*, etc. vide ad cap. 22, n. 1.

Digitized by Google

bus tentatum, ut Latini, qui in coloniam romanam nomina dedissent[2], cives romani essent. Puteolos Salernumque et Bruxentum adscripti coloni[3], qui nomina dederant, quum ob id se pro civibus romanis ferrent; senatus judicavit, non esse eos cives romanos.

XLIII. Principio anni, quo P. Scipio Africanus iterum et Ti. Sempronius Longus consules fuerunt, legati Nabidis tyranni Romam venerunt. Iis extra urbem

2. *Novum jus eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam rom. nomina dedisssent* (vide ad I, 11, n. 3), *cives romani essent:* nota Dukeri est: « Ex hoc et aliis quum Livii, tum aliorum scriptorum locis disputant Sigon. de Ant. Jur. Ital. II, 3; III, 1, et Spanhem. in Orbe rom. Exerc. 1, c. 8, 9, colonias civium romanorum tantum habuisse privatum jus Quiritium, non publicum, cujus præcipuæ partes erant jus suffragii et honorum petitio: in quo verius videntur sentire, quam Manutius aliique. Sed locus noster alia, eaque non una, obscuritate laborat. *Ferentinates* cum Cluver. Ital. ant. III, 6, pag. 984, puto designari eos, quos inter populos Hernicorum memorat Livius, IX, 42, 43. Hanc jam tum coloniam rom. fuisse, ex hoc loco apparet. Nam si tum primum deducta fuisset, non poterat dubitari, quin Livius eam quoque inter colonias, quas hoc anno deductas, c. 45, narrat, nominaturus fuerit. Nec tamen vel ipse, vel alii, quod sciam, quo tempore deducta fuerit, prodiderunt. Quæ fortassis causa fuit, cur eam indice coloniarum ante bellum italicum deductarum præterniserit Sigonius; conf. ad XXVII, 9, n. 3. Sed hoc levius est, et idem de Saticula colonia, XXVII, 10, observavit Sigon. Aliquanto difficilius dictu est, quid sit, quod Latini in coloniam, quæ jam ante colonia rom. erat, nomina dedisse, et quod ejusdem coloniæ coloni diverso jure usi fuisse dicuntur. Prius credo intelligendum esse de supplemento colonorum, quod eorum numerus imminutus fuisset. Nam hoc sæpe factum, ut, quum coloni ad numerum non essent, novi adscriberentur ex SCto: eorum enim numerum, haud secus ac quum novæ coloniæ deducebantur, pro modo agrorum majorem minoremve finiebat senatus; cui injussu illius nec adjici, nec demi quidquam poterat; vide II, 21; IV, 11; XXXI, 49; XXXII, 2; XXXIII, 24; XXXIV, 42; XXXVII, 46, 47. Ad posterius quod attinet, etsi pluribus testimoniis nunc probare non possum, ejusdem coloniæ colonos diverso jure, alios Quiritium, alios Latii, fuisse, tamen id ex hoc loco satis patere arbitror. Nam et aliorum oppidorum, quæ coloniæ non erant, incolæ alii alio jure utebantur; vide ad VIII, 14, n. 8. Illud quidem constat ex III, 1, et IV, 2, in eamdem coloniam interdum diversi generis colonos, ut Romanos et Volscos, item Romanos et Latinos, scriptos fuisse ».

3. *Puteolos, Salernum et Buxentum adscripti coloni;* vide ad IV, 25, n. 4, et conf. XXXII, 29, et XXXIV, 45.

Digitized by Google

in æde Apollinis senatus datus[1] est. Pax, quæ cum T. Quintio convenisset, ut rata esset, petierunt impetraveruntque. De provinciis quum relatum esset, senatus frequens in eam sententiam ibat, ut, quoniam in Hispania et Macedonia debellatum foret, consulibus ambobus Italia provincia esset. Scipio, *satis esse Italiæ unum consulem*, censebat; *alteri decernendam Macedoniam esse. Bellum grave ab Antiocho imminere, jam ipsum sua sponte in Europam transgressum. Quid deinde facturum censerent, quum hinc Ætoli haud dubie hostes*[2] *vocarent ad bellum, illinc Hannibal, romanis cladibus insignis imperator, stimularet?* Dum de provinciis consulum disceptatur, prætores sortiti sunt. Cn. Domitio urbana jurisdictio, T. Juventio peregrina evenit; P. Cornelio Hispania ulterior, Sex. Digitio citerior; duobus Cn. Corneliis, Blasioni Sicilia, Merendæ Sardinia. In Macedoniam novum exercitum transportari non placuit: eum, qui esset ibi, reduci in Italiam a Quintio ac dimitti: item cum exercitum dimitti, qui cum M. Porcio Catone in Hispania esset. Consulibus ambobus Italiam provinciam esse, et duas urbanas eos legiones scribere[3]; ut, dimissis, quos senatus censuisset, exercitibus, octo omnino romanæ legiones essent.

XLIV. Ver sacrum factum[1] erat priore anno, M. Porcio et L. Valerio consulibus. Id quum P. Licinius pon-

Cap. XLIII. *In æde Apollinis senatus datus;* vide ad XXVI, 21, n. 1. — *Pax convenisset;* vide ad I, 3, n. 4. — *Relatum;* vide ad XXVI, 2, n. 3.

2. *Ætoli haud dubie hostes;* forte *dubii;* Gron. — Hanc Gronov. correctionem probavit Drak. sed Doer. servat *haud dubie*, id est, aperte et sine controversia, quo sensu sæpius apud Nostrum occurrit. Ed.

3. *Duas urbanas eos legiones scribere* MS Mead. 2, recte, non *eo*, quod reliqui MSS et edd. ante Crev. habent. Nam urbanæ legiones ad custodiam Urbis scribebantur, et hæ manserunt ibi. Cf. cap. 56.

Cap. XLIV. 1. *Ver sacrum fa-*

Digitized by Google

tifex non esse recte factum collegio primum, deinde ex auctoritate collegii Patribus renuntiasset, de integro faciendum arbitratu pontificum censuerunt, ludosque magnos, qui una voti essent[2], tanta pecunia, quanta adsoleret, faciendos. Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Calendas Martias et pridie Calendas Maias, P. Cornelio Scipione et Ti. Sempronio Longo consulibus. Censorum inde comitia habita sunt: creati censores Sex. Ælius Pætus et C. Cornelius Cethegus principem senatus[3] P. Scipionem consulem, quem et priores censores legerant, legerunt. Tres omnino senatores, neminem curuli honore usum, præterierunt[4]. Gratiam quoque ingentem apud eum ordinem pepererunt, quod, ludis Romanis[5], ædilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo; nam antea in promiscuo spectabant. Equitibus quoque perpaucis adempti equi[6], nec in ullum ordinem sævitum. Atrium Libertatis[7] et Villa publica

ctum, etc. vide ad XXII, 9, n. 9. — *P. Licinius pontifex*, sc. maximus, ut XXVIII, 11. Conf. I, 32, n. 4.

2. *Ludosque magnos, qui una voti essent*, etc. conf. ad XXXIII, 44, n. 1. *Lud. mag. una, qui voti essent* conj. Pigh. in Annal. ad ann. 559, et *qui quinquennio ante voti essent* ex XXXIX, 9, Drak. non connumerans annos, qui voti factique sunt. — *Ver sacrum videri pecus*, etc. vide supra ad lib. XXII, cap. 9, n. 9.

3. *Principem senatus*, etc. vide ad XXVII, 11, et ibi n. 8. — Hic notat Doer. non raro quoque viros consulares, præcipue potentiores, principes senatus appellari; vid. Wesseling. Observ. I, 8. Ed.

4. *Tres senatores præterierunt*; v. ad XXVI, 11, n. 11.

5. *Ludis Romanis* (ut cap. 54, in quo Valerium Antiatem, quod ex Ascon. in Cic. Cornel. I intelligitur, sequutus est; at Megalensibus, quos primos ab iisdem ædilibus curulibus factos, c. 54, legimus, apud Ciceronem de Harusp. Resp. cap. 12, et Val. Max. II, 4, 3, Duk.), *ut loca senatoria secernerent a populo*, a locis seu sedibus plebis: *nam antea in promiscuo*, promiscue, sine discrimine ordinum (ut generis XXXIX, 13, n. 6), *spectabant* ludos, ut et in circo usque ad Claudii imp. tempora, de quo vide ad Tacitum, Ann. XV, 32, n. 1.

6. *Equitibus perpaucis adempti equi*; vide ad XXIV, 18, n. 4.

7. *Atrium Libertatis*; vid. XXIV, 16, n. 10. — *Villa publica*; vide ad

Digitized by Google

ab eisdem refecta amplificataque. Ver sacrum ludique votivi, quos voverat Ser. Sulpicius Galba consul, facti. Quum spectaculo eorum occupati animi omnium essent, Q. Pleminius [8], qui propter multa in deos hominesque scelera, Locris admissa, in carcerem conjectus fuerat, comparaverat homines, qui pluribus simul locis Urbis nocte incendia facerent; ut in consternata nocturno tumultu civitate refringi carcer posset. Ea res indicio consciorum palam facta, delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem [9] est necatusque.

XLV. Coloniæ civium romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum; treceni homines in singulas [1]. Item Salernum Buxentumque coloniæ civium romanorum deductæ sunt. Deduxere triumviri [2] Ti. Sempronius Longus, qui tum consul erat, M. Servilius, Q. Minucius Thermus. Ager divisus est, qui Campanorum fuerat. Sipontum item in agrum, qui Arvinorum fuerat, coloniam civium ro-

IV, 22, n. 5. — *Ver sacrum* (vide ad XXII, 9, n. 9) *ludique votivi, quos voverat Ser.* (immo *P.*) *Sulpicius Galba cos.* (vid. XXXI, 9) *facti*, sc. a consulibus, non censoribus. Conf. XXIX, 22, et XXXIII, 44.

8. *Q. Pleminius, qui*, etc. vide ad XXIX, 21 et 22, ibique n. 4.

9. *In inferiorem carcerem;* vide ad I, 33, n. 11, et XXIX, 22, n. 5.

Cap. XLV. 1. *Treceni homines in singulas;* vide ad XXXII, 29, n. 5. — *Coloniæ civium roman. deductæ sunt:* eadem verba repetita, quæ glossatori forte debentur. De re ipsa vid. omnino XXXII, 29, ubi conf. n. 5, et Vell. I, 15, ibique Intpp., ut de colonia *Puteolos* deducta Duker. ad hunc locum.

2. *Deduxere triumviri*, et quidem quinque illas colonias; iisque magistratus, quem jam per triennium habuerant, prorogatus videtur. Utrumque ex XXXII, 29 colligit Drak. — *Ager divisus est, qui Campanorum fuerat*, non in ipsa tantum Campania, sed etiam in Picentinis et Lucanis finitimis: nam Salernum fuit oppidum Picentinorum, et Buxentum Lucanorum, et Campani etiam in his agros habere potuerunt; Duk. Ita non est, quod hæc verba suadente Crev. ante *item Salernum* ponantur. — *Coloniam civium rom.* scilicet, ut observat Doer, aliæ fuerunt coloniæ civium romanorum, aliæ coloniæ latinæ; vid. Sigon. de Antiq. Jur. Ital. II, 13. Ed.

Digitized by Google

manorum alii triumviri, D. Junius Brutus, M. Bæbius Tamphilus, M. Helvius, deduxerunt. Tempsam item et Crotonem civium romanorum coloniæ deductæ. Tempsanus ager de Bruttiis captus erat[3]: Bruttii Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant. Triumviri Cn. Octavius, L. Æmilius Paullus, C. Plætorius Crotonem; Tempsam L. Cornelius Merula[4] et C. Salonius deduxerunt. Prodigia quoque alia visa eo anno Romæ sunt, alia nuntiata. In foro et comitio et Capitolio sanguinis guttæ visæ[5] sunt; et terra aliquoties pluit; et caput Vulcani arsit. Nuntiatum est, Nare amni[6] lac fluxisse; pueros ingenuos Arimini sine oculis ac naso; et in Piceno agro non manus, non pedes habentem natum. Ea prodigia ex pontificum decreto procurata: et sacrificium novemdiale[7] factum, quod Hadriani nuntiaverant, in agro suo lapidibus pluisse.

XLVI. In Gallia L. Valerius Flaccus proconsul circa Mediolanum cum Gallis Insubribus et Boiis, qui Dorulaco duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnavit. Decem millia hostium sunt cæsa. Per eos dies collega ejus M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit. Tulit in eo trium-

3. *Tempsanus ager de Bruttiis captus erat*, quod Livius nusquam tradidit; nisi forte Tempsa inter *ignobiles Bruttiorum civitates* fuit, de quibus vid. XXIX, 38 pr. Conf. Schweigh. ad Polyb. t. V, pag. 39. — *Crotonem Græci habebant*: quibus itaque urbs a Bruttiis reddita videtur. Conf. ad XXIV, 3.

4. *L. Cornelius Merula et C. Salonius*: excidit nomen tertii triumviri. — *Et comitio*; vid. I, 36, n. 6.

5. *Sanguinis guttæ visæ*, etc. vide ad I, 31, n. 1.

6. *Nare amni* (hodie *Nera*), qui inter Sabinos et Umbros in Tiberim defluit; vid. Intpp. Virg. Æneid. VII, 517. *Interamnæ* edd. ante Drakenb. et *Narteam*, *Narneam*, *Narceam* MSS; unde *Nare amni* fecit Jac. Gron. — *Pueros ingenuos*, ut alibi *ex ancilla natos*; nam et hoc in prodigiis notari, monet Drak. coll. XXI, 62; XXXVII, 3, et Jul. Obseq. de Prod. capp. 84, 100, 104, 112, 113. — Val. Max. nost. ed. t. II, p. 11. Ed.

7. *Sacrificium novemdiale*, etc. vid. I, 31, n. 3.

Digitized by Google

pho argenti infecti viginti quinque millia pondo[1], bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta; auri pondo mille quadringenta. Militibus ex præda divisit, in singulos, ducenos septuagenos æris, triplex equiti. Ti. Sempronius consul, in provinciam profectus, in Boiorum primum agrum legiones duxit. Boiorix tum regulus eorum, cum duobus fratribus tota gente concitata ad rebellandum, castra locis apertis[2] posuit; ut appareret dimicaturos, si hostis fines intrasset. Consul ubi, quantæ copiæ, quanta fiducia esset hosti, sensit, nuntium ad collegam mittit, *ut, si videretur ei, maturaret venire: se tergiversando in adventum ejus rem extracturum.* Quæ causa consuli cunctandi, eadem Gallis (præterquam quod cunctatio hostium animos faciebat) rei maturandæ erat, ut, prius quam conjungerentur consulum copiæ, rem transigerent. Per biduum tamen nihil aliud, quam steterunt[3] parati ad pugnandum, si quis contra egrederetur: tertio subiere ad vallum, castraque ab omni simul parte aggressi sunt. Consul extemplo arma capere milites jussit. Armatos inde

Cap. XLVI. 1. *Viginti quinque mil. pondo*, marcas nostrates 39062 cum quatuor unciis. Ed. — *Bigati centum*, etc. Denarios 123000, id est, marcas argenti 1921 cum septem unciis. Ed. — *Bigati... Oscensis*, scilic. argenti *quingenta quadraginta* millia nummum; vide ad XXII, 52, n. 3, et XXXIV, 10, n. 2. — *Quingenta qu.* Hic inesse vitium putabat Crev. sed vid. supra cap. 10, n. 1. Ed. — *Mille quadringenta*, marcas nostrates 2187 cum quatuor unciis. Ed. — *Ducenos sept.* Si æs grave intelligatur, 270 æris sunt pares denariis 27, unciis argenti nostr. tribus, cum tribus, ut vocant, grossis. Ed. — Mox ante *triplex equiti* videtur excidisse *duplex centurioni;* Gron. Conf. ad librum X, cap. 46, n. 8.

2. *Locis apertis;* vide ad XXI, 27, n. 7. *L. idoneis* e cod. Mogunt. ed. Frob. a. 1535, et aliæ; minus apte: non enim is solet dici castra *locis idoneis* posuisse, qui, fidens militi suo et dimicaturus, campum æquum planumque deligit castris commodumque explicandis ordinibus, sed potius, qui impeditis se tenet confragosisque, unde nec invitus expelli, nec hostis facile accedere potest; Jac. Gron.

3. *Nihil aliud, quam steterunt;* v.

Digitized by Google

paulisper continuit, ut et stolidam fiduciam hosti augeret, et disponeret copias, quibus quæque portis erumperent. Duæ legiones duabus principalibus portis signa efferre jussæ. Sed in ipso exitu ita conferti obstitere Galli, ut clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est: nec dextris magis gladiisque gerebatur res, quam scutis corporibusque ipsis obnisi urgebant; Romani, ut signa foras efferrent; Galli, ut aut ipsi in castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent. Nec ante in hanc aut illam partem moveri acies potuerunt, quam Q. Victorius primipili centurio[4] et C. Atinius tribunus militum, quartæ hic, ille secundæ legionis (rem in asperis præliis sæpe tentatam), signa adempta signiferis in hostes injecerunt. Dum repetunt enise signum, priores secundani se porta ejecere.

XLVII. Jam hi extra vallum pugnabant, quarta legione in porta hærente, quum alius tumultus ex aversa parte[1] castrorum est exortus. In portam quæstoriam irruperant Galli, resistentesque pertinacius occiderant L. Postumium quæstorem, cui Tympano fuit cognomen, et M. Atinium et P. Sempronium, præfectos socium, et ducentos ferme milites. Capta ab ea parte castra erant, donec cohors extraordinaria[2], missa a consule ad tuendam quæstoriam portam, et eos, qui intra vallum erant, partim occidit, partim expulit castris et irrumpentibus obstitit. Eodem fere tempore

ad II, 8, n. 9. — *Duabus principalibus portis.* Quæ a dextra lævaque castrorum erant; vid. in Cæsare nostræ edit. t. II, p. 275, iconismum castrorum rom. ex Polybio et Justo Lipsio desumptum. Ed.

4. *Primipili centurio;* vide ad II, 27, n. 7.

Cap. XLVII. 1. *Ex aversa parte* (al. *ab aversa parte*) *castrorum*, ubi *porta quæstoria* seu decumana; vide ad III, 5, n. 3, et X, 32, n. 3. Quæstorium et ante et post Polybii tempora ad portam decumanam, nec ante ea prætorio vicinum fuisse, adversus Lips. de Mil. rom. V, 3, ostendit Schel. ad Polyb. extr. — Conf. supra cap. 46, not. 3. Ed.

2. *Cohors extraordinaria;* vide ad III, 5, n. 3, et XLII, 58, n. 5.

Digitized by Google

et quarta legio cum duabus extraordinariis cohortibus porta erupit. Ita simul tria prælia circa castra locis distantibus erant; clamoresque dissoni ad incertos suorum eventus a præsenti certamine animos pugnantium avertebant. Usque ad meridiem æquis viribus ac prope pari spe pugnatum est. Labor et æstus mollia et fluida corpora Gallorum[3] et minime patientia sitis quum decedere pugna coegisset; in paucos restantes impetum Romani fecerunt, fusosque compulerunt in castra. Signum inde receptui a consule datum est: ad quod pars major receperunt sese; pars, certaminis studio et spe potiundi castris hostium, perstitit ad vallum. Eorum paucitate contempta, Galli universi ex castris eruperunt. Fusi inde Romani, quæ imperio consulis noluerant, suo pavore ac terrore castra repetunt. Ita varia hinc atque illinc nunc fuga, nunc victoria fuit. Gallorum tamen ad undecim millia, Romanorum quinque millia, sunt occisa. Galli recepere in intima finium sese.

XLVIII. Consul Placentiam legiones duxit. Scipionem alii, conjuncto exercitu cum collega, per Boiorum Ligurumque agros populantem isse, quoad progredi silvæ paludesque passæ sint, scribunt: alii, nulla memorabili re gesta, comitiorum causa rediisse Romam. Eodem hoc anno T. Quintius Elatiæ, quo in

3. *Mollia et fluida corpora Gallorum*, etc. vide ad V, 44, n. 4; VII, 29, n. 3, et XXXVIII, 17. *Mollia* corpora sunt non patientia laboris, ut contra *dura* dicuntur; *fluida* non patientia æstus eoque statim in sudorem euntia, qualia X, 28; XXII, 2; XXXVII, 17, Gallis tribuuntur; Duk. — De hac gallorum militum mollitia quanquam fides Livio adhibenda videatur, laudavi tamen validos et laborum patientissimos nostræ ætatis homines; vide supra ad lib. XXVII, cap. 48, not. 7; t. V, p. 325. Ed. — Mox conj. *excedere pugna;* Drakenb. autem putat, *decedere pugna* forsan illustrari posse ex illis, quæ de locutionibus *decedere jure, officio, fide, præsidio, agro, provincia, Thracia, finibus* dixerit ad librum III, cap. 34, n. 10; lib. IV, cap. 29, n. 5, et lib. XLII, cap. 25.

Digitized by Google

hiberna reduxerat[1] copias, totum hiemis tempus jure dicundo consumpsit mutandisque iis, quæ aut ipsius Philippi, aut præfectorum ejus licentia in civitatibus facta erant, quum, suæ factionis hominum vires augendo, jus ac libertatem aliorum deprimeret. Veris initio Corinthum, conventu edicto, venit. Ibi omnium civitatium legationes in concionis modum circumfusas est alloquutus; orsus ab inita primum Romanis amicitia cum Græcorum gente et imperatorum, qui ante se in Macedonia fuissent, suisque rebus gestis. Omnia cum approbatione ingenti sunt audita, præterquam quum ad mentionem Nabidis ventum esset. Id minime conveniens liberanti Græciam videbatur, tyrannum reliquisse, non suæ solum patriæ gravem, sed omnibus circa civitatibus metuendum, hærentem visceribus[2] nobilissimæ civitatis.

XLIX. Nec ignarus hujus habitus animorum Quintius, *Si sine excidio Lacedæmonis fieri potuisset*, fatebatur, *pacis cum tyranno mentionem admittendam auribus non fuisse. Nunc, quum aliter, quam ruina gravissima civitatis*[1], *opprimi non posset, satius vi-*

Cap. XLVIII. 1. *Quo in hiberna reduxerat c.:* MS Mog. *ex quo.* — *Jure dicundo*, hoc est, edictis et decretis ferendis et promulgandis. De locutione *jus dicere*, sive de *jurisdictione* ablegat Doer. ad Ernest. in Clav. Cic. voc. *jurisdictio.* Ed.

2. *Hærentem visceribus nobil. c.* ex XXXII, 21; XXXIII, 44, et multis locis Cic. suspicari possis *hærentem in v.*, sed *hærere* etiam tam tertio, quam sexto casui jungi, ex Cic. Rosc. Am. 6; Justin. XXIX, 4; Virg. Æn. I, 476, IV, 73; Ovid. Met. VI, 290, probat Duk. Cf. ad XXII, 38, n. 4, et XXIII, 9, n. 5.

Cap. XLIX. 1. *Ruina gravissima civitatis;* in plerisque MSS *gravissimæ*, probb. Jac. Gron., Crev. et Cler. quia eadem Lacedæmon *nobilissima civitas* dicitur c. 48 extr. et XXXIX, 36. Sed *graves urbes* sunt validæ, potentes (vide ad Flor. I, 3), quod eo tempore vix conveniebat in civitatem a tyranno oppressam: nec tam illa erat causa parcendi ei, quod validissima erat, quam quod ruina ejus involutura erat innoxios cives; quibus parci æquum esse, præ se ferebat Quintius; Duk. — *Gravissimæ* tamen defendit Doer. cui facile me adjungam: oppressa quidem tunc erat

Digitized by Google

sum esse, tyrannum debilitatum, ac totis prope viribus ad nocendum cuiquam ademptis, relinqui, quam intermori vehementioribus, quam quæ pati posset, remediis civitatem sinere, in ipsa vindicta libertatis perituram. Præteritorum commemorationi subjecit, *Proficisci sibi in Italiam, atque omnem exercitum deportare, in animo esse. Demetriadis Chalcidisque præsidia intra decimum diem audituros deducta; Acrocorinthum ipsis extemplo videntibus vacuam Achæis traditurum, ut omnes scirent, utrum Romanis, an Ætolis, mentiri mos esset; qui male commissam libertatem populo romano sermonibus distulerint*[2], *et mutatos pro Macedonibus romanos dominos. Sed illis, nec quid dicerent, nec quid facerent, quidquam unquam pensi fuisse. Reliquas civitates monere, ut ex factis, non ex dictis, amicos pensent; intelligantque, quibus credendum, et a quibus cavendum sit. Libertate modice utantur. Temperatam eam salubrem et singulis, et civitatibus esse; nimiam et aliis gravem, et ipsis, qui habeant*[3], *effrenatam et præcipitem esse. Concordiæ in civitatibus principes et ordines inter se, et in commune omnes civitates, consulerent. Adversus consentientes nec regem quemquam satis validum, nec tyrannum fore. Discordiam et se-*

Lacedæmon, sed eam tamen quasi sacrosanctam romano civi faciebat antiquæ libertatis ac gloriæ memoria. Ed. — *Vindicta libertatis;* vide ad II, 5, n. 14.

2. *Sermonibus distulerint,* passim vulgaverint; germ. *austragen;* vide ad Tacit. Ann. I, 4, n. 6, et infra ad XLIV, 34, n. 2.

3. *Nimiam et aliis gravem, et ipsis, qui habeant,* esse, immo *effrenatam et præcipitem esse,* nisi distinguere malis *nimiam, et aliis gravem, et ipsis, qui habeant,* hoc est, nimiam ac talem, quæ et aliis..... gravis sit, *effrenatam et p. e.;* nam vix latine *effrenatus* cum casu tertio dici puto: *nimia* autem *libertas* est, qua non modice utuntur, qui eam habent, quæ *licentia* et *effrenata libertas* dicitur V, 29, XXIII, 1, *præceps,* quæ in exitium impellit ac præcipitat eos, qui illa abutuntur; Duker. Conf. ad Præf. Liv. n. 13.

Digitized by Google

ditionem omnia opportuna insidiantibus facere, quum pars, quæ domestico certamine inferior sit, externo potius[4] *se applicet, quam civi cedat. Alienis armis partam, externa fide redditam libertatem sua cura custodirent servarentque; ut populus romanus dignis datam libertatem ac munus suum bene positum*[5] *sciret.*

L. Has velut parentis voces quum audirent, manare omnibus gaudio lacrymæ, adeo ut ipsum quoque confunderent[1] dicentem. Paulisper fremitus approbantium dicta fuit monentiumque aliorum alios, ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent. Silentio deinde facto, petiit ab iis, ut cives romanos, si qui apud eos in servitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliam. *Ne ipsis quidem honestum esse, in liberata terra liberatores ejus servire.* Omnes acclamarunt, *gratias se inter cætera etiam ob hoc agere, quod admoniti essent, ut tam pio, tam necessario officio fungerentur.* Ingens numerus erat bello punico captorum, quos Hannibal, quum a suis non redimerentur, venumdederat. Multitudinis eorum argumentum sit, quod Polybius scribit[2], centum talentis eam

4. *Externo potius,* peregrino, qui *civi* opponitur (mox *alienis armis* et *externa fide*); al. *hosti.* Confer. ad I, 57, n. 7.

5. *Munus suum bene positum,* impensum, vel apud bene meritos, ut *bene collocare beneficium apud aliquem*, et *bene ponere sumptus, beneficium, tempus,* metaphora desumpta a pecunia feneri posita.

Cap. L. 1. *Confund. dicentem;* vide ad VI, 34, n. 7. — *Fremitus approbantium dicta*, ut XL, 46; XLII, 53 pr. et *murmur cum assensu*, XXXII, 22. Confer. inpr. XLV, 1, et Virgil. Æn. X, 96 seq. et XI, 296 seq. ubi vid. intpp. — *Si qui apud eos,* etc. Quum imperator vix nescius esse posset, cives romanos omnino esse in servitute apud eos, τὸ *si,* quod dubitantis est, præter rem positum videtur Doeringio; et vere illud in quibusdam codd. apud Drak. omittitur. Ed.

2. *Quod Polybius scribit,* loco deperdito, *C talentis... habuit:* jam Priscianus in libello de Ponderibus, pag. 1348, ex hoc loco collegit, talentum habere sex millia denariorum.

Digitized by Google

rem Achæis stetisse; quum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. Adjice nunc pro portione, quot verisimile sit totam Græciam habuisse. Nondum conventus dimissus erat, quum respiciunt præsidium, ab Acrocorintho descendens, protenus ad portam duci atque abire. Quorum agmen imperator sequutus, prosequentibus cunctis, servatorem liberatoremque acclamantibus, salutatis dimissisque eis [3], eadem, qua venerat, via Elatiam rediit. Inde cum omnibus copiis Ap. Claudium legatum dimittit. Per Thessaliam atque Epirum ducere Oricum jubet, atque ibi se opperiri: inde namque in animo esse, exercitum in Italiam trajicere; et L. Quintio fratri, legato et præfecto classis, scribit, ut onerarias ex omni Græciæ ora eodem contraheret.

LI. Ipse, Chalcidem profectus, deductis non a Chalcide solum, sed etiam ab Oreo atque Eretria, præ-

« Nimirum quingenties mille ducenta efficiunt 600000: ergo C talenta, 600000 denariorum. Hæc autem XXIV sestertium millia: ergo talentum sex millia denariorum, XX sestertia. Ergo et denarius drachma: nam talentum est sex millia drachmarum »; Gron. Conf. ad cap. 52, n. 5, et ad XXXVIII, 38, n. 10. Cæterum *talentum* simpl. dictum semper est atticum, 6000 denariorum. Contra *Euboicum talentum* (vide ad XXXVII, 45, n. 6) *nummo græco* 7500 *cistophororum est* (vide ad XXXVII, 46, n. 1), *romano* 4000 *denariorum;* Fest. Conf. *Eisenschmid.* de Pond. I, 3, extr. et de variis talentis Gron. de Sest. II, 7; III, 3 et 4, pag. 101, 133, 141. Idem, pag. 101, docet, recte Livium dixisse, si Achæi 1200 captivos habuerint, et *quingenos denarios pretium in capita* statuerint, eam rem illis *centum talentis* stetisse. — *Stetisse;* vide ad II, 36, n. 4.

3. *Dimissisque eis*, etc. Veteres libri mirum in modum hoc loco discrepant. Doeringium quidem in ea, quæ nunc vulgatur, lectione nihil offendit præter pronomen *eis*, quod ab homine locum non recte capiente intrusum videtur. Itaque non cum Drak. substituit, *ad suos*, ut ad *rediit* referatur; sed τὸ *eis* delet, atque oratio sic bene cohæret: Imperator, agmen deducti præsidii sequutus, postquam cunctos, honoris causa ipsum prosequentes, et, *Bene sit servatori liberatorique*, acclamantes salutaverat atque dimiserat, eadem, etc. Ed.—*Ut onerarias... contraheret;* vide ad XXV, 27, n. 5.

Digitized by Google

sidiis, conventum ibi Euboicarum civitatium habuit; commonitosque, in quo statu rerum accepisset eos, et in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem inde proficiscitur; deductoque præsidio, prosequentibus cunctis, sicut Corinthi et Chalcide, pergit ire in Thessaliam; ubi non liberandæ modo civitates erant, sed ex omni colluvione et confusione in aliquam tolerabilem formam redigendæ. Nec enim temporum modo vitiis, ac violentia et licentia regia turbati erant[1], sed inquieto etiam ingenio gentis, nec comitia, nec conventum, nec concilium ullum, non per seditionem ac tumultum, jam inde a principio ad nostram usque ætatem, traducentes. A censu maxime et senatum et judices legit[2], potentioremque eam partem civitatium fecit, cui salva tranquillaque omnia magis esse expediebat.

LII. Ita quum percensuisset Thessaliam[1], per Epirum in Oricum, unde erat trajecturus, venit. Ab Orico copiæ omnes Brundisium transportatæ. Inde per totam Italiam ad Urbem prope triumphantes, non minore agmine rerum captarum, quam suo, præ se acto, venerunt. Postquam Romam ventum est, senatus extra urbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est[2], triumphusque meritus ab lubentibus decretus.

Cap. LI. 1. *Et licentia regia turbati erant*, sc. Thessali (propr. forma civitatium); nisi leg. *turbatæ*, sc. civitates.—*Sed inquieto etiam ingenio gentis... traducentes* Thessali; nisi leg. e MS Voss. *traducentis*, sc. gentis.—*Traducentis* non improbat Doer. quo sane modo melius cohærere orationem existimat. Ed. — *Comitia* totius gentis, *conventus* hominum forte casu confluentium, vel audiendi litigandive causa, ut *concilium* (al. *consilium;* vide ad I, 54, n. 1) deliberandi gratia.

2. *A censu senatum et j. legit* (conf. ad cap. 31. n. 5), *potentioremque eam partem... expediebat;* vide ad I, 43, n. 19.

Cap. LII. 1. *Percensuisset Thessal.* civitates ejus ex censu in meliorem formam redegisset; vel peragrasset Th. *ita* ordinato civitatium statu. — *Oricum;* vide ad XXIV, 40, n. 1.

2. *Senatus extra Urbem Quintio ad*

Digitized by Google

Triduum triumphavit. Die primo arma, tela signaque ærea et marmorea transtulit, plura Philippo adempta, quam quæ ex civitatibus ceperat: secundo die aurum argentumque, factum infectumque et signatum. Infecti argenti fuit decem et octo millia pondo [3], et ducenta septuaginta facti: vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis; et ex ære multa fabrefacta: ad hoc clypea argentea [4] decem. Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum [5]; tetradrachma vocant: trium fere denariorum in singulis argenti est pondus. Auri pondo fuit tria millia septingenta quatuordecim, et clypeum unum ex auro totum, et Philippei nummi aurei quatuordecim millia quingenti quatuordecim. Tertio die coronæ aureæ, dona civitatium, translatæ centum quatuordecim; et hostiæ ductæ, et ante currum multi nobiles captivi obsidesque, inter quos Demetrius regis Phi-

res g. ed. datus est, etc. vide ad VIII, 5, n. 1, et XXVI, 21, n. 1. — *Ab lubentibus*, melius quam *ab adnuentibus*, quod in quibusdam codd. et vett. editt. exhibetur. Ed. — *Transtulit*, per Urbem in ærarium deportavit. Sic *transferre* et *traducere in triumpho*, XXXVII, 58; XXXIX, 42; XLV, 39; vel simpl. *ducere* et *ferre* (h. e. ferendum curare), ut XXXIX, 42; et *transferre in triumphum*, XLV, 43; ut *ducere in triumphum* pro vulg. *in triumpho*, XLV, 39; et apud Sueton. Cæs. 80, nisi illo loco, XLV, 43, cum aliis leg. *triumpho*. Conf. ad II, 38, n. 4. Mox τὸ *quæ* post *quam* delendum putabat Gron. Sed ita quoque cap. 49, et multis aliis locis, inducendum esse monet Duk.

3. *Infecti argenti fuit XVIII millia pondo*, forte *XLIII m. p.*, et mox *septingenta tredecim* pro *s. quatuordecim*, e Plut. Flamin. pag. 377. — — *Ducenta septuaginta facti* argenti parvum pondus, et nimium fortasse, si addas *millia*; Crev.

4. *Clypea argentea decem*; vide ad XXV, 39, n. 7.

5. *Signati argenti LXXXIV millia fuere atticorum* nummorum, quos *tetradrachma* (al. *tetradrachmum*, h. e. IV drachmæ seu denarii) *vocant: trium fere denariorum*, etc. « Sic jam legit Priscianus in libello de Ponderibus, et hinc collegit, denarium illo tempore fuisse XXIV siliquarum, h. e. drachmæ et trientis pondere: quod minime convenit rationi Liv. sup. cap. *Vide*, inquit, *quod quatuor drachmæ sunt LXXII siliquæ: diximus autem sæpius, quod tres scrupuli, quorum singuli sex siliquas habeant, drachmam faciunt; tres autem denarii item habebant LXXII siliquas*. Sed Livius,

Digitized by Google

lippi filius fuit, et Armenes, Nabidis tyranni[6] filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in Urbem est invectus. Milites sequuti currum frequentes, ut omni ex provincia exercitu deportato. His duceni quinquageni æris in pedites divisi; duplex centurioni, triplex equiti. Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti[7], qui servitute exempti fuerant.

LIII. Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis ex senatusconsulto tulit ad plebem, plebesque scivit, *Ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum, deducerentur.* His deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium esset, in Bruttios Q. Nævius, M. Minucius Rufus, M. Furius Crassipes; in Thurinum agrum Cn. Manlius[1], Q. Ælius, L. Apustius. Ea bina comitia Cn. Domitius prætor urbanus in Capitolio habuit. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una Junonis Sospitæ in foro olitorio, vota locataque[2] quadriennio ante a C. Cornelio consule gallico bello (censor idem dedi-

nisi secum et cum omnibus antiquis pugnare voluit, scripsit non *III*, sed *IV, fere denariorum*»; Gron. Confer. ej. liber de Sestert. II, 6, III, 3 et 4; Græv. ad Cic. de Div. XII, 13; Periz. Anim. Hist. cap. 10, pag. 431, et, qui adversantur, Hotom. de Re num. pag. 154; Manut. ad Cic. l. l. et Ald. Quæsit. per Epist. II, 7, quos laudavit Duk. — *Philippei nummi aurei XIV millia quingenti quatuordecim;* vide ad XXXIX, 7, n. 1.

6. *Armenes, Nabidis t. filius,* Ἀρμένας apud Polyb. XX, 13.

7. *Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti,* etc. vide ad IX, 17, n. 8, et XXIV, 16, n. 9. Παρεῖχον ὄψιν, etc. Plut.

Cap. LIII. 1. *In Thurinum agrum Cn. Manlius,* etc. conf. XXXV, 9. — *Ea bina comitia,* his creandis triumviris habenda.

2. *Una Junonis Sospitæ in foro o., vota locataque,* etc. vide ad V, 23, n. 6, et XXXII, 30, n. 3. *Sospitæ* h. l. viri docti reposuere ex XXXII, 30, pro *Matutæ*, quod in omnibus MSS et antt. edd. legitur. Sed non facile decerni posse, utrum h. l. *Sospitæ*, an XXXII, 30 *Matutæ* scribendum sit, jam docuit Duker. Illud tamen, ni fallor, probabilius est. Nam in regione quidem XI Urbis, in qua forum olitorium fuit, et P. Victor templum *Junonis Matutæ*, et Sex. Rufus ædem *Matutæ* memorant; sed ex hoc forte Livii loco: certe *Matuta* multis *Mater*, nemini autem *Juno* dicitur. — Fuerunt

Digitized by Google

cavit); altera Fauni: ædiles[3] eam biennio ante ex mulctaticio argento faciendam locarant, C. Scribonius et Cn. Domitius, qui prætor urbanus eam dedicavit. Et ædem Fortunæ Primigeniæ[4] in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla, duumvir ad id ipsum creatus. Voverat eam decem annis ante punico bello P. Sempronius Sophus; locaverat idem censor. Et in Insula[5] Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit. Vota erat sex annis ante gallico bello ab L. Furio Purpureone prætore; ab eodem postea consule locata. Hæc eo anno acta.

LIV. P. Scipio, ex provincia Gallia, ad[1] consules

quidem viri qui lectionem *Matutæ* defenderent, verbi causa, Nardin. in Rom. vet. VII, 4; Boherellus apud Grævium in Præfat. ad Antiq. Rom. tom. IV; sed rationes ab iis prolatas, neque Gronovio, neque Dukero, neque aliis satisfecisse notat Doer. Ed.

3. *Altera Fauni: ædiles*, etc. conf. supra ad librum XXXIII, cap. 42, ibique n. 6.

4. *Ædem Fortunæ Primigeniæ*, etc. vide ad XXIX, 36, n. 5, et XLIII, 13. — *Duumvir ad id ipsum creatus;* vide ad I, 55, n. 3, et XXIII, 30, n. 8. — *Voverat eam decem annis ante P. Sempronius Sophus; locaverat idem censor;* vid. XXIX, 36, n. 5. Pro *censor* leg. *consul* (CONS. pro CENS. nam censorem eum jam quinquennio ante fuisse, patet ex XXVII, 11), et cognomen *Sophus* delendum, aut scribendum *consul* vel *Tuditanus;* nisi ei, ut multis Romanorum, duplex fuit cognomen, et utrumque illud genti Semproniæ. Conf. Pigh. in Ann. ad a. 549, tom. II, pag. 216; Crev. et Drak. ad h. l.—Creverius et Doering. hujus loci difficultatem referunt ad leviores illos errores a quibus ejusmodi rerum scriptor sibi non satis cavere potest. Ed.

5. *Et in insula* Tiberina *Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit;* conf. n. 4. — *Vota erat sex annis ante* in *gallico bello ab L. Furio*, etc. vide ad XXXI, 21, n. 5, ubi Drak. hæc notavit: « Verisimile est, Furium in prætura vovisse duas ædes Jovi, sive ambas voverit in hoc prælio, et tum legerem cum Sigon. *ædes duas Jovi vovit* (quot dedicatas legimus XXXIV, 53, et XXXV, 41), sive potius unam earum alia occasione Jovi promiserit: nam eumdem imperatorem eidem deo in eodem prælio duas vovisse ædes, aliud exemplum non observavi ». Hoc probabilius: nam Furius gallico bello unam prætor, alteram consul vovit; vid. XXXV, 41. Ex annalium veterum discrepantia ortum censet Periz. Anim. Hist. cap. 8, pag. 355, quod Livius ædem, quam Furium prætorem in prælio contra Gallos Jovi vovisse dixit XXXI, 21, bis dedicatam memoravit, et quidem diversis annis, diversis Urbis locis et a diversis triumviris h. l. et XXXV, 41.

Cap. LIV. 1. *Ad consules subro-*

Digitized by Google

lippi filius fuit, et Armenes, Nabidis tyranni[6] filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in Urbem est invectus. Milites sequuti currum frequentes, ut omni ex provincia exercitu deportato. His duceni quinquageni æris in pedites divisi; duplex centurioni, triplex equiti. Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti[7], qui servitute exempti fuerant.

LIII. Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis ex senatusconsulto tulit ad plebem, plebesque scivit, *Ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum, deducerentur.* His deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium esset, in Bruttios Q. Nævius, M. Minucius Rufus, M. Furius Crassipes; in Thurinum agrum Cn. Manlius[1], Q. Ælius, L. Apustius. Ea bina comitia Cn. Domitius prætor urbanus in Capitolio habuit. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una Junonis Sospitæ in foro olitorio, vota locataque[2] quadriennio ante a C. Cornelio consule gallico bello (censor idem dedi-

nisi secum et cum omnibus antiquis pugnare voluit, scripsit non *III*, sed *IV, fere denariorum*»; Gron. Confer. ej. liber de Sestert. II, 6, III, 3 et 4; Græv. ad Cic. de Div. XII, 13; Periz. Anim. Hist. cap. 10, pag. 431, et, qui adversantur, Hotom. de Re num. pag. 154; Manut. ad Cic. l. l. et Ald. Quæsit. per Epist. II, 7, quos laudavit Duk. — *Philippei nummi aurei XIV millia quingenti quatuordecim;* vide ad XXXIX, 7, n. 1.

6. *Armenes, Nabidis t. filius,* Ἀρμένας apud Polyb. XX, 13.

7. *Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti,* etc. vide ad IX, 17, n. 8, et XXIV, 16, n. 9. Παρεῖχον ὄψιν, etc. Plut.

Cap. LIII. 1. *In Thurinum agrum Cn. Manlius,* etc. conf. XXXV, 9. — *Ea bina comitia,* his creandis triumviris habenda.

2. *Una Junonis Sospitæ in foro o., vota locataque,* etc. vide ad V, 23, n. 6, et XXXII, 30, n. 3. *Sospitæ* h. l. viri docti reposuere ex XXXII, 30, pro *Matutæ*, quod in omnibus MSS et antt. edd. legitur. Sed non facile decerni posse, utrum h. l. *Sospitæ*, an XXXII, 30 *Matutæ* scribendum sit, jam docuit Duker. Illud tamen, ni fallor, probabilius est. Nam in regione quidem XI Urbis, in qua forum olitorium fuit, et P. Victor templum *Junonis Matutæ*, et Sex. Rufus ædem *Matutæ* memorant; sed ex hoc forte Livii loco: certe *Matuta* multis *Mater*, nemini autem *Juno* dicitur. — Fuerunt

Digitized by Google

cavit); altera Fauni: ædiles[3] eam biennio ante ex mulctaticio argento faciendam locarant, C. Scribonius et Cn. Domitius, qui prætor urbanus eam dedicavit. Et ædem Fortunæ Primigeniæ[4] in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla, duumvir ad id ipsum creatus. Voverat eam decem annis ante punico bello P. Sempronius Sophus; locaverat idem censor. Et in Insula[5] Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit. Vota erat sex annis ante gallico bello ab L. Furio Purpureone prætore; ab eodem postea consule locata. Hæc eo anno acta.

LIV. P. Scipio, ex provincia Gallia, ad[1] consules

quidem viri qui lectionem *Matutæ* defenderent, verbi causa, Nardin. in Rom. vet. VII, 4; Boherellus apud Grævium in Præfat. ad Antiq. Rom. tom. IV; sed rationes ab iis prolatas, neque Gronovio, neque Dukero, neque aliis satisfecisse notat Doer. Ed.

3. *Altera Fauni: ædiles*, etc. conf. supra ad librum XXXIII, cap. 42, ibique n. 6.

4. *Ædem Fortunæ Primigeniæ*, etc. vide ad XXIX, 36, n. 5, et XLIII, 13. — *Duumvir ad id ipsum creatus;* vide ad I, 55, n. 3, et XXIII, 30, n. 8. — *Voverat eam decem annis ante P. Sempronius Sophus; locaverat idem censor;* vid. XXIX, 36, n. 5. Pro *censor* leg. *consul* (CONS. pro CENS. nam censorem eum jam quinquennio ante fuisse, patet ex XXVII, 11), et cognomen *Sophus* delendum, aut scribendum *consul* vel *Tuditanus;* nisi ei, ut multis Romanorum, duplex fuit cognomen, et utrumque illud genti Sempronia. Conf. Pigh. in Ann. ad a. 549, tom. II, pag. 216; Crev. et Drak. ad h. l.—Creverius et Doering. hujus loci difficultatem referunt ad leviores illos errores a quibus ejusmodi rerum scriptor sibi non satis cavere potest. Ed.

5. *Et in insula* Tiberina *Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit;* conf. n. 4. — *Vota erat sex annis ante* in *gallico bello ab L. Furio*, etc. vide ad XXXI, 21, n. 5, ubi Drak. hæc notavit: « Verisimile est, Furium in prætura vovisse duas ædes Jovi, sive ambas voverit in hoc prælio, et tum legerem cum Sigon. *ædes duas Jovi vovit* (quot dedicatas legimus XXXIV, 53, et XXXV, 41), sive potius unam earum alia occasione Jovi promiserit: nam eumdem imperatorem eidem deo in eodem prælio duas vovisse ædes, aliud exemplum non observavi ». Hoc probabilius: nam Furius gallico bello unam prætor, alteram consul vovit; vid. XXXV, 41. Ex annalium veterum discrepantia ortum censet Periz. Anim. Hist. cap. 8, pag. 355, quod Livius ædem, quam Furium prætorem in prælio contra Gallos Jovi vovisse dixit XXXI, 21, bis dedicatam memoravit, et quidem diversis annis, diversis Urbis locis et a diversis triumviris h. l. et XXXV, 41.

Cap. LIV. 1. *Ad consules subro-*

Digitized by Google

subrogandos venit. Comitia consulum fuere, quibus creati sunt L. Cornelius Merula et Q. Minucius Thermus. Postero die creati sunt prætores L. Cornelius Scipio, M. Fulvius Nobilior, C. Scribonius, M. Valerius Messalla, L. Porcius Licinus et C. Flaminius. Megalesia, ludos scenicos[2], C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt. Horum ædilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit, præbuitque sermones[3], sicut omnis novitas solet, aliis, *tandem, quod multo ante debuerit, tributum*, censentibus, *amplissimo ordini;* aliis, *demptum ex dignitate populi, quidquid majestati Patrum adjectum esset*, interpretantibus, *et omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, et concordiæ, et libertatis æque minuendæ esse*[4]. *Ad quingentesimum quinquagesimum*[5] *octavum annum in promiscuo spectatum esse. Quid repente factum, cur*

gandos; vide ad II, 8, n. 4. — *Venit.* Pro vulgata olim lectione *rediit*, Drak. ex cod. Mogunt. recepit *venit*, quem omnes postea sequuti sunt. Ed.

2. *Megalesia, ludos scenicos*, etc. vide ad II, 21, n. 1, et XXIX, 14, n. 9; unde constat, *Megalesia*, quæ aliis *Megalensia* dicuntur, jam ante decennium facta fuisse: quod non adversatur iis, quæ h. l. tradit Livius. « Nam hic non dicit, hos ædiles tum primos Megalesia fecisse, sed *primos Megalesia ludos scenicos fecisse*, i. e. addidisse iis ludos scenicos, sine quibus antea agebantur: quod Valerium Antiatem triennio post in dedicatione ædis Matris Magnæ Idææ factum prodidisse, Livius, XXXVI, 36, refert. Cæterum errorem Gyraldi et Goveani, qui *Megalenses* et *ludos Romanos* eosdem esse putabant, jam castigarunt Voss. et Mur. » Duker. Conf. idem ad XXXVI, 36, et Wessel. Obss. I, 25. — *C. Atilius, Serranus:* prænomen primus addidit Frob. a. 1535. *A. Atilius S.* conj. Drak. ut indicetur A. Atilius, qui cum eodem Scribonio Libone prætor fuit (vid. XXXV, 10), non C. Atilius, qui XXIX, 23 memoratur, et sic novem demum annis post ædilitatem curulem obtinuisset præturam. De Atilia gente ejusque cognomine *Serranus* vide ad Sil. VI, 62, et Periz. Anim. Hist. cap. 1, pag. 24 et 33. — *Senatus a populo secretus;* vide ad cap. 44, n. 4.

3. *Præbuitque sermones* (vide ad XXVI, 29, n. 2), sc. senatus, vel potius *novitas* e seqq. Conf. ad XXI, 43, n. 4.

4. *Libertatis æque minuendæ esse;* vide ad III, 24, n. 1.

5. *Ad quingentesimum quinq.* (vox a Glar. addita) *octavum* (*sextum* conj.

Digitized by Google

immisceri sibi in cavea Patres plebem nollent? cur dives pauperem consessorem fastidiret? novam et superbam libidinem, ab nullius ante gentis senatu neque desideratam, neque institutam. Postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor ejus rei fuisset, pœnituisse ferunt. Adeo, nihil motum[6] ex antiquo, probabile est: veteribus, nisi quæ usus evidenter arguit, stari malunt.

LV. Principio anni, quo L. Cornelius, Q. Minucius consules fuerunt, terræ motus ita crebri nuntiabantur, ut non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum, homines tæderet. Nam neque senatus haberi, neque respublica administrari poterat, sacrificando expiandoque occupatis consulibus. Postremo, decemviris adire libros jussis[1], ex responso eorum supplicatio per triduum fuit. Coronati ad omnia pulvinaria[2] supplicaverunt; edictumque est, ut omnes, qui ex una familia essent, pariter supplicarent. Item ex auctoribus senatus consules edixerunt,

Sigon.) *annum;* conf. Val. Max. II, 4, n. 3.—*Immisceri sibi in cavea*, etc. vide ad XXIV, 39, n. 2.

6. *Adeo nihil motum* (forte *moveri*) *ex antiquo* (vide ad XXV, 16, n. 3), *probabile est* (vide ad II, 13, n. 6): *veteribus* institutis moribusque, *nisi quæ usus e. arguit*, quasi reprehendit, damnat, h. e. quæ mala noxiaque esse docet, *stari malunt* homines; vid. III, 36, n. 11. Hoc est præjudicium antiquitatis, quod scholis præcipue nocuit. —Ut nunc hæc verba leguntur, a se eorum sensum non satis intelligi, fatetur Doering. Explicant quidem, « itaque verisimile est nihil ex antiquo mutatum esse »; sed primum id non verum arguit, deinde vix fert hanc explicationem usus particulæ *adeo;* denique ea ipsa explicatio cum seq. sententia parum cohæret. Quare vir cl. Livium ex persona sua adjecisse hæc verba, tanquam epiphonema, arbitratur in hunc fere sensum: adeo homines adhærent antiquo! Et inde conjicit legendum: *adeo nihil, mutatum ex antiquo, probabile est! veteribus*, etc. id est, adeo nihil probatur, quod ex antiquo immutatum est! quod recedit ab antiquis moribus. *Adeo* inservit epiphonemati, ut apud Virgil. Georg. II, 272. Si quis *motum* malit retinere, intellige, *ex antiquo* loco. Ed.

Cap. LV. 1. *Decemviris adire libros jussis;* vide ad III, 10, n. 6.

2. *Coronati ad omnia pulvinaria supplicaverunt* homines, Romani; vide ad V, 13, n. 5, et XXIII, 11, n. 7.

Digitized by Google

ne quis, quo die, terræ motu nuntiato, feriæ indictæ essent, eo die alium terræ motum nuntiaret. Provincias deinde consules prius, tum prætores sortiti. Cornelius Galliam, Minucius Ligures sortiti[3] sunt: C. Scribonius urbanam, M. Valerius peregrinam, L. Cornelius Siciliam, L. Porcius Sardiniam, C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fulvius Hispaniam ulteriorem.

LVI. Nihil belli eo anno exspectantibus consulibus, literæ M. Cincii (præfectus Pisis erat) allatæ: *Ligurum viginti millia armatorum, conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta, Lunensem primum agrum depopulatos*[1], *Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrasse.* Itaque Minucius consul, cui Ligures provincia evenerat, ex auctoritate Patrum in Rostra adscendit[2], et edixit, *Ut legiones duæ urbanæ, quæ superiore anno conscriptæ essent, post diem decimum Arretii adessent. In earum locum se duas legiones urbanas scripturum.* Item sociis et latino nomini, magistratibus legatisque eorum,

3. *Sortiti sunt* forte additamentum correctoris, qui non videbat, proxime præcessisse *sortiti*, vel non intelligebat, omnia seqq. posse ab hoc verbo pendere, aut illud positum esse pro *sortiti sunt*. Easdem ob causas in cod. Mogunt. legitur *Cornelio Gallia, Minucio Ligures evenerunt*. Conf. Gron. et Drak. — *Hispaniam ulteriorem*. Gronovius qui non ferre potest scriptoris nostri simplicitatem in repetendis vocibus, hic quoque repetitam vocem *Hispaniam* delendam censet. Ed.

Cap. LVI. 1. *Viginti millia a.... depopulatos* et *transgressos;* vide ad XXVII, 16, n. 2. — *Per omnia conciliabula;* vide ad XXV, 5, n. 3.

2. *In Rostra ascendit*, forte *escendit;* vide ad II, 7, n. 7. Sed nil interest. — *Item sociis et latino nomini, magistratibus* plerique MSS et edd. antt. *Sociis et latini nominis* cod. Mogunt. *Sociorum et latini nominis* MS Harl. *Sociis latini nominis magistratibus* vel *et magistratibus* etiam legi posse monet Drak. — *Qui milites dare debebant:* « Sigon. de Ant. Jur. Ital. I, 21, scribit, se his verbis duci ad opinandum, non omnes Italicos debuisse dare romanis milites. Si vera est, quod puto, sententia Lipsii de Mil. rom. I, 7, non omni anno omnibus sociis milites imperatos, sed in orbem itum fuisse, maxime si paucæ

Digitized by Google

qui milites dare debebant, edixit, ut in Capitolio se adirent. Iis quindecim millia [3] peditum et quingentos equites, pro numero cujusque juniorum, descripsit, et inde e Capitolio protenus ire ad portam, et, ut maturaretur res, proficisci ad delectum jussit. Fulvio Flaminioque terna millia romanorum peditum et centeni equites in supplementum, et quina millia socium latini nominis et duceni equites decreti; mandatumque prætoribus, ut veteres dimitterent milites, quum in provinciam venissent. Quum milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes tribunos plebis adissent, uti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia [4], aut morbus causæ essent, quo minus militarent; eam rem literæ Ti. Sempronii discusserunt, in quibus scriptum erat, *Ligurum decem millia in agrum Placentinum venisse, et eum usque ad ipsa coloniæ mœnia et Padi ripas cum cædibus et incendiis perpopulatos esse: Boiorum quoque gentem ad*

legiones scribendæ essent, locus de iis accipi potest, qui superioribus aliquot annis militem non præbuerant, ut anno priore, quo tantum octo legiones rom. fuerunt, c. 43. Nam non verisimile est, socios sine ulla intermissione continua stipendia facere coactos fuisse. Livius sæpe veteres exercitus dimissos dicit, quo nomine non dubium est etiam socios comprehendi. Et socii, quos paulo post ab Africano et Sempronio dimissos scribit, hoc anno militaturi non fuissent, nisi tumultus, quem memorat, intervenisset ». Duk.

3. *Iis quindecim millia..... descripsit*, ut al. *imperavit*, sed ita ut significetur simul, quot milites cuique civitati pro ratione et copia ejus sint sistendi vel a magistratibus, *pro numero juniorum cujusque* civitatis (quæ ellipsis dura est), conscribendi, quemadmodum similibus formulis, *describere civitatibus summas pecuniarum, vectigal*, etc. simul constitutum fuisse innuitur, quantum quæque civitas daret. Conf. Gron. et Drak. ad h. l. et Ernesti Clav. Cic. *Ex iis* pro *iis* male quidam MSS et editi.—*Pro numero cujusque juniorum*; quem consuli innotescere potuisse ex tabulis censoriis, putabat Lips. Mil. rom. I, 7: nam eas Romæ quoque fuisse, colligebat ex XXIX, 15 et 37. His vero locis non de omnibus sociis, sed de duodecim tantum coloniis agi, monet Duk.

4. *Aut emerita stipendia*, etc. vide ad IV, 26, n. 7.—*Discusserunt*, h. e. rejecerunt, irritam fecerunt. Cic. ad Quint. fratr. II, 12, *rem totam discus-*

Digitized by Google

sidiis, conventum ibi Euboicarum civitatium habuit; commonitosque, in quo statu rerum accepisset eos, et in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem inde proficiscitur; deductoque præsidio, prosequentibus cunctis, sicut Corinthi et Chalcide, pergit ire in Thessaliam; ubi non liberandæ modo civitates erant, sed ex omni colluvione et confusione in aliquam tolerabilem formam redigendæ. Nec enim temporum modo vitiis, ac violentia et licentia regia turbati erant[1], sed inquieto etiam ingenio gentis, nec comitia, nec conventum, nec concilium ullum, non per seditionem ac tumultum, jam inde a principio ad nostram usque ætatem, traducentes. A censu maxime et senatum et judices legit[2], potentioremque eam partem civitatium fecit, cui salva tranquillaque omnia magis esse expediebat.

LII. Ita quum percensuisset Thessaliam[1], per Epirum in Oricum, unde erat trajecturus, venit. Ab Orico copiæ omnes Brundisium transportatæ. Inde per totam Italiam ad Urbem prope triumphantes, non minore agmine rerum captarum, quam suo, præ se acto, venerunt. Postquam Romam ventum est, senatus extra urbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est[2], triumphusque meritus ab lubentibus decretus.

Cap. LI. 1. *Et licentia regia turbati erant*, sc. Thessali (propr. forma civitatium); nisi leg. *turbatæ*, sc. civitates.—*Sed inquieto etiam ingenio gentis... traducentes* Thessali; nisi leg. e MS Voss. *traducentis*, sc. gentis.—*Traducentis* non improbat Doer. quo sane modo melius cohærere orationem existimat. Ed. — *Comitia* totius gentis, *conventus* hominum forte casu confluentium, vel audiendi litigandive causa, ut *concilium* (al. *consilium;* vide ad I, 54, n. 1) deliberandi gratia.

2. *A censu senatum et j. legit* (conf. ad cap. 31. n. 5), *potentioremque eam partem... expediebat;* vide ad I, 43, n. 19.

Cap. LII. 1. *Percensuisset Thessal.* civitates ejus ex censu in meliorem formam redegisset; vel peragrasset Th. *ita* ordinato civitatium statu. — *Oricum;* vide ad XXIV, 40, n. 1.

2. *Senatus extra Urbem Quintio ad*

Digitized by Google

Triduum triumphavit. Die primo arma, tela signaque ærea et marmorea transtulit, plura Philippo adempta, quam quæ ex civitatibus ceperat: secundo die aurum argentumque, factum infectumque et signatum. Infecti argenti fuit decem et octo millia pondo [3], et ducenta septuaginta facti: vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis; et ex ære multa fabrefacta: ad hoc clypea argentea [4] decem. Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum [5]; tetradrachma vocant: trium fere denariorum in singulis argenti est pondus. Auri pondo fuit tria millia septingenta quatuordecim, et clypeum unum ex auro totum, et Philippei nummi aurei quatuordecim millia quingenti quatuordecim. Tertio die coronæ aureæ, dona civitatium, translatæ centum quatuordecim; et hostiæ ductæ, et ante currum multi nobiles captivi obsidesque, inter quos Demetrius regis Phi-

res g. ed. datus est, etc. vide ad VIII, 5, n. 1, et XXVI, 21, n. 1. — *Ab lubentibus*, melius quam *ab adnuentibus*, quod in quibusdam codd. et vett. editt. exhibetur. Ed. — *Transtulit*, per Urbem in ærarium deportavit. Sic *transferre* et *traducere in triumpho*, XXXVII, 58; XXXIX, 42; XLV, 39; vel simpl. *ducere* et *ferre* (h. e. ferendum curare), ut XXXIX, 42; et *transferre in triumphum*, XLV, 43; ut *ducere in triumphum* pro vulg. *in triumpho*, XLV, 39; et apud Sueton. Cæs. 80, nisi illo loco, XLV, 43, cum aliis leg. *triumpho*. Conf. ad II, 38, n. 4. Mox τὸ *quæ* post *quam* delendum putabat Gron. Sed ita quoque cap. 49, et multis aliis locis, inducendum esse monet Duk.

3. *Infecti argenti fuit XVIII millia pondo*, forte *XLIII m. p.*, et mox *septingenta tredecim* pro *s. quatuordecim*, e Plut. Flamin. pag. 377. — — *Ducenta septuaginta facti* argenti parvum pondus, et nimium fortasse, si addas *millia;* Crev.

4. *Clypea argentea decem;* vide ad XXV, 39, n. 7.

5. *Signati argenti LXXXIV millia fuere atticorum* nummorum, quos *tetradrachma* (al. *tetradrachmum*, h. e. IV drachmæ seu denarii) *vocant: trium fere denariorum*, etc. « Sic jam legit Priscianus in libello de Ponderibus, et hinc collegit, denarium illo tempore fuisse XXIV siliquarum, h. e. drachmæ et trientis pondere: quod minime convenit rationi Liv. sup. cap. *Vide*, inquit, *quod quatuor drachmæ sunt LXXII siliquæ: diximus autem sæpius, quod tres scrupuli, quorum singuli sex siliquas habeant, drachmam faciunt; tres autem denarii item habebant LXXII siliquas.* Sed Livius,

Digitized by Google

lippi filius fuit, et Armenes, Nabidis tyranni[6] filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in Urbem est invectus. Milites sequuti currum frequentes, ut omni ex provincia exercitu deportato. His duceni quinquageni æris in pedites divisi; duplex centurioni, triplex equiti. Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti[7], qui servitute exempti fuerant.

LIII. Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis ex senatusconsulto tulit ad plebem, plebesque scivit, *Ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum, deducerentur.* His deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium esset, in Bruttios Q. Nævius, M. Minucius Rufus, M. Furius Crassipes; in Thurinum agrum Cn. Manlius[1], Q. Ælius, L. Apustius. Ea bina comitia Cn. Domitius prætor urbanus in Capitolio habuit. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una Junonis Sospitæ in foro olitorio, vota locataque[2] quadriennio ante a C. Cornelio consule gallico bello (censor idem dedi-

nisi secum et cum omnibus antiquis pugnare voluit, scripsit non *III*, sed *IV, fere denariorum*»; Gron. Confer. ej. liber de Sestert. II, 6, III, 3 et 4; Græv. ad Cic. de Div. XII, 13; Periz. Anim. Hist. cap. 10, pag. 431, et, qui adversantur, Hotom. de Re num. pag. 154; Manut. ad Cic. l. l. et Ald. Quæsit. per Epist. II, 7, quos laudavit Duk. — *Philippei nummi aurei XIV millia quingenti quatuordecim;* vide ad XXXIX, 7, n. 1.

6. *Armenes, Nabidis t. filius,* Ἀρμένας apud Polyb. XX, 13.

7. *Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti,* etc. vide ad IX, 17, n. 8, et XXIV, 16, n. 9. Παρεῖχον ὄψιν, etc. Plut.

Cap. LIII. 1. *In Thurinum agrum Cn. Manlius,* etc. conf. XXXV, 9. — *Ea bina comitia,* his creandis triumviris habenda.

2. *Una Junonis Sospitæ in foro o., vota locataque,* etc. vide ad V, 23, n. 6, et XXXII, 30, n. 3. *Sospitæ* h. l. viri docti reposuere ex XXXII, 30, pro *Matutæ*, quod in omnibus MSS et antt. edd. legitur. Sed non facile decerni posse, utrum h. l. *Sospitæ*, an XXXII, 30 *Matutæ* scribendum sit, jam docuit Duker. Illud tamen, ni fallor, probabilius est. Nam in regione quidem XI Urbis, in qua forum olitorium fuit, et P. Victor templum *Junonis Matutæ*, et Sex. Rufus ædem *Matutæ* memorant; sed ex hoc forte Livii loco: certe *Matuta* multis *Mater*, nemini autem *Juno* dicitur. — Fuerunt

Digitized by Google

cavit); altera Fauni : ædiles[3] eam biennio ante ex mulctaticio argento faciendam locarant, C. Scribonius et Cn. Domitius, qui prætor urbanus eam dedicavit. Et ædem Fortunæ Primigeniæ[4] in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla, duumvir ad id ipsum creatus. Voverat eam decem annis ante punico bello P. Sempronius Sophus; locaverat idem censor. Et in Insula[5] Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit. Vota erat sex annis ante gallico bello ab L. Furio Purpureone prætore; ab eodem postea consule locata. Hæc eo anno acta.

LIV. P. Scipio, ex provincia Gallia, ad[1] consules

quidem viri qui lectionem *Matutæ* defenderent, verbi causa, Nardin. in Rom. vet. VII, 4; Boherellus apud Grævium in Præfat. ad Antiq. Rom. tom. IV; sed rationes ab iis prolatas, neque Gronovio, neque Dukero, neque aliis satisfecisse notat Doer. Ed.

3. *Altera Fauni : ædiles*, etc. conf. supra ad librum XXXIII, cap. 42, ibique n. 6.

4. *Ædem Fortunæ Primigeniæ*, etc. vide ad XXIX, 36, n. 5, et XLIII, 13. — *Duumvir ad id ipsum creatus;* vide ad I, 55, n. 3, et XXIII, 30, n. 8. — *Voverat eam decem annis ante P. Sempronius Sophus; locaverat idem censor;* vid. XXIX, 36, n. 5. Pro *censor* leg. *consul* (CONS. pro CENS. nam censorem eum jam quinquennio ante fuisse, patet ex XXVII, 11), et cognomen *Sophus* delendum, aut scribendum *consul* vel *Tuditanus;* nisi ei, ut multis Romanorum, duplex fuit cognomen, et utrumque illud genti Sempronia. Conf. Pigh. in Ann. ad a. 549, tom. II, pag. 216; Crev. et Drak. ad h. l.—Creverius et Doering. hujus loci difficultatem referunt ad leviores illos errores a quibus ejusmodi rerum scriptor sibi non satis cavere potest. Ed.

5. *Et in insula* Tiberina *Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit;* conf. n. 4. — *Vota erat sex annis ante* in *gallico bello ab L. Furio*, etc. vide ad XXXI, 21, n. 5, ubi Drak. hæc notavit: « Verisimile est, Furium in prætura vovisse duas ædes Jovi, sive ambas voverit in hoc prælio, et tum legerem cum Sigon. *ædes duas Jovi vovit* (quot dedicatas legimus XXXIV, 53, et XXXV, 41), sive potius unam earum alia occasione Jovi promiserit: nam eumdem imperatorem eidem deo in eodem prælio duas vovisse ædes, aliud exemplum non observavi ». Hoc probabilius: nam Furius gallico bello unam prætor, alteram consul vovit; vid. XXXV, 41. Ex annalium veterum discrepantia ortum censet Periz. Anim. Hist. cap. 8, pag. 355, quod Livius ædem, quam Furium prætorem in prælio contra Gallos Jovi vovisse dixit XXXI, 21, bis dedicatam memoravit, et quidem diversis annis, diversis Urbis locis et a diversis triumviris h. l. et XXXV, 41.

Cap. LIV. 1. *Ad consules subro-*

Digitized by Google

subrogandos venit. Comitia consulum fuere, quibus creati sunt L. Cornelius Merula et Q. Minucius Thermus. Postero die creati sunt prætores L. Cornelius Scipio, M. Fulvius Nobilior, C. Scribonius, M. Valerius Messalla, L. Porcius Licinus et C. Flaminius. Megalesia, ludos scenicos[2], C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt. Horum ædilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit, præbuitque sermones[3], sicut omnis novitas solet, aliis, *tandem, quod multo ante debuerit, tributum*, censentibus, *amplissimo ordini;* aliis, *demptum ex dignitate populi, quidquid majestati Patrum adjectum esset*, interpretantibus, *et omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, et concordiæ, et libertatis æque minuendæ esse*[4]. *Ad quingentesimum quinquagesimum*[5] *octavum annum in promiscuo spectatum esse. Quid repente factum, cur*

gandos; vide ad II, 8, n. 4. — *Venit.* Pro vulgata olim lectione *rediit*, Drak. ex cod. Mogunt. recepit *venit*, quem omnes postea sequuti sunt. Ed.

2. *Megalesia, ludos scenicos*, etc. vide ad II, 21, n. 1, et XXIX, 14, n. 9; unde constat, *Megalesia*, quæ aliis *Megalensia* dicuntur, jam ante decennium facta fuisse: quod non adversatur iis, quæ h. l. tradit Livius. « Nam hic non dicit, hos ædiles tum primos Megalesia fecisse, sed *primos Megalesia ludos scenicos fecisse*, i. e. addidisse iis ludos scenicos, sine quibus antea agebantur: quod Valerium Antiatem triennio post in dedicatione ædis Matris Magnæ Idææ factum prodidisse, Livius, XXXVI, 36, refert. Cæterum errorem Gyraldi et Goveani, qui *Megalenses* et *ludos Romanos* eosdem esse putabant, jam castigarunt Voss. et Mur. » Duker. Conf. idem ad XXXVI, 36, et Wessel. Obss. I, 25. — *C. Atilius, Serranus:* prænomen primus addidit Frob. a. 1535. *A. Atilius S.* conj. Drak. ut indicetur A. Atilius, qui cum eodem Scribonio Libone prætor fuit (vid. XXXV, 10), non C. Atilius, qui XXIX, 23 memoratur, et sic novem demum annis post ædilitatem curulem obtinuisset præturam. De Atilia gente ejusque cognomine *Serranus* vide ad Sil. VI, 62, et Periz. Anim. Hist. cap. 1, pag. 24 et 33. — *Senatus a populo secretus;* vide ad cap. 44, n. 4.

3. *Præbuitque sermones* (vide ad XXVI, 29, n. 2), sc. senatus, vel potius *novitas* e seqq. Conf. ad XXI, 43, n. 4.

4. *Libertatis æque minuendæ esse;* vide ad III, 24, n. 1.

5. *Ad quingentesimum quinq.* (vox a Glar. addita) *octavum* (*sextum* conj.

Digitized by Google

immisceri sibi in cavea Patres plebem nollent? cur dives pauperem consessorem fastidiret? novam et superbam libidinem, ab nullius ante gentis senatu neque desideratam, neque institutam. Postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor ejus rei fuisset, pœnituisse ferunt. Adeo, nihil motum[6] ex antiquo, probabile est: veteribus, nisi quæ usus evidenter arguit, stari malunt.

LV. Principio anni, quo L. Cornelius, Q. Minucius consules fuerunt, terræ motus ita crebri nuntiabantur, ut non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum, homines tæderet. Nam neque senatus haberi, neque respublica administrari poterat, sacrificando expiandoque occupatis consulibus. Postremo, decemviris adire libros jussis[1], ex responso eorum supplicatio per triduum fuit. Coronati ad omnia pulvinaria[2] supplicaverunt; edictumque est, ut omnes, qui ex una familia essent, pariter supplicarent. Item ex auctoribus senatus consules edixerunt,

Sigon.) *annum;* conf. Val. Max. II, 4, n. 3.—*Immisceri sibi in cavea*, etc. vide ad XXIV, 39, n. 2.

6. *Adeo nihil motum* (forte *moveri*) *ex antiquo* (vide ad XXV, 16, n. 3), *probabile est* (vide ad II, 13, n. 6): *veteribus* institutis moribusque, *nisi quæ usus e. arguit*, quasi reprehendit, damnat, h. e. quæ mala noxiaque esse docet, *stari malunt* homines; vid. III, 36, n. 11. Hoc est præjudicium antiquitatis, quod scholis præcipue nocuit. —Ut nunc hæc verba leguntur, a se eorum sensum non satis intelligi, fatetur Doering. Explicant quidem, « itaque verisimile est nihil ex antiquo mutatum esse »; sed primum id non verum arguit, deinde vix fert hanc explicationem usus particulæ *adeo;* denique ea ipsa explicatio cum seq. sententia parum cohæret. Quare vir cl. Livium ex persona sua adjecisse hæc verba, tanquam epiphonema, arbitratur in hunc fere sensum: adeo homines adhærent antiquo! Et inde conjicit legendum: *adeo nihil, mutatum ex antiquo, probabile est! veteribus*, etc. id est, adeo nihil probatur, quod ex antiquo immutatum est! quod recedit ab antiquis moribus. *Adeo* inservit epiphonemati, ut apud Virgil. Georg. II, 272. Si quis *motum* malit retinere, intellige, *ex antiquo* loco. Ed.

Cap. LV. 1. *Decemviris adire libros jussis;* vide ad III, 10, n. 6.

2. *Coronati ad omnia pulvinaria supplicaverunt* homines, Romani; vide ad V, 13, n. 5, et XXIII, 11, n. 7.

Digitized by Google

ne quis, quo die, terræ motu nuntiato, feriæ indictæ essent, eo die alium terræ motum nuntiaret. Provincias deinde consules prius, tum prætores sortiti. Cornelius Galliam, Minucius Ligures sortiti[3] sunt: C. Scribonius urbanam, M. Valerius peregrinam, L. Cornelius Siciliam, L. Porcius Sardiniam, C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fulvius Hispaniam ulteriorem.

LVI. Nihil belli eo anno exspectantibus consulibus, literæ M. Cincii (præfectus Pisis erat) allatæ: *Ligurum viginti millia armatorum, conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta, Lunensem primum agrum depopulatos*[1], *Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrasse.* Itaque Minucius consul, cui Ligures provincia evenerat, ex auctoritate Patrum in Rostra adscendit[2], et edixit, *Ut legiones duæ urbanæ, quæ superiore anno conscriptæ essent, post diem decimum Arretii adessent. In earum locum se duas legiones urbanas scripturum.* Item sociis et latino nomini, magistratibus legatisque eorum,

3. *Sortiti sunt* forte additamentum correctoris, qui non videbat, proxime præcessisse *sortiti*, vel non intelligebat, omnia seqq. posse ab hoc verbo pendere, aut illud positum esse pro *sortiti sunt.* Easdem ob causas in cod. Mogunt. legitur *Cornelio Gallia, Minucio Ligures evenerunt.* Conf. Gron. et Drak. — *Hispaniam ulteriorem.* Gronovius qui non ferre potest scriptoris nostri simplicitatem in repetendis vocibus, hic quoque repetitam vocem *Hispaniam* delendam censet. Ed.

Cap. LVI. 1. *Viginti millia a.... depopulatos* et *transgressos;* vide ad XXVII, 16, n. 2. — *Per omnia conciliabula;* vide ad XXV, 5, n. 3.

2. *In Rostra ascendit*, forte *escendit;* vide ad II, 7, n. 7. Sed nil interest. — *Item sociis et latino nomini, magistratibus* plerique MSS et edd. antt. *Sociis et latini nominis* cod. Mogunt. *Sociorum et latini nominis* MS Harl. *Sociis latini nominis magistratibus* vel *et magistratibus* etiam legi posse monet Drak. — *Qui milites dare debebant:* « Sigon. de Ant. Jur. Ital. I, 21, scribit, se his verbis duci ad opinandum, non omnes Italicos debuisse dare romanis milites. Si vera est, quod puto, sententia Lipsii de Mil. rom. I, 7, non omni anno omnibus sociis milites imperatos, sed in orbem itum fuisse, maxime si paucæ

Digitized by Google

qui milites dare debebant, edixit, ut in Capitolio se adirent. Iis quindecim millia [3] peditum et quingentos equites, pro numero cujusque juniorum, descripsit, et inde e Capitolio protenus ire ad portam, et, ut maturaretur res, proficisci ad delectum jussit. Fulvio Flaminioque terna millia romanorum peditum et centeni equites in supplementum, et quina millia socium latini nominis et duceni equites decreti; mandatumque prætoribus, ut veteres dimitterent milites, quum in provinciam venissent. Quum milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes tribunos plebis adissent, uti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia [4], aut morbus causæ essent, quo minus militarent; eam rem literæ Ti. Sempronii discusserunt, in quibus scriptum erat, *Ligurum decem millia in agrum Placentinum venisse, et eum usque ad ipsa coloniæ mœnia et Padi ripas cum cædibus et incendiis perpopulatos esse: Boiorum quoque gentem ad*

legiones scribendæ essent, locus de iis accipi potest, qui superioribus aliquot annis militem non præbuerant, ut anno priore, quo tantum octo legiones rom. fuerunt, c. 43. Nam non verisimile est, socios sine ulla intermissione continua stipendia facere coactos fuisse. Livius sæpe veteres exercitus dimissos dicit, quo nomine non dubium est etiam socios comprehendi. Et socii, quos paulo post ab Africano et Sempronio dimissos scribit, hoc anno militaturi non fuissent, nisi tumultus, quem memorat, intervenisset ». Duk.

3. *Iis quindecim millia..... descripsit*, ut al. *imperavit*, sed ita ut significetur simul, quot milites cuique civitati pro ratione et copia ejus sint sistendi vel a magistratibus, *pro numero juniorum cujusque* civitatis (quæ ellipsis dura est), conscribendi, quemadmodum similibus formulis, *describere civitatibus summas pecuniarum*, *vectigal*, etc. simul constitutum fuisse innuitur, quantum quæque civitas daret. Conf. Gron. et Drak. ad h. l. et Ernesti Clav. Cic. *Ex iis* pro *iis* male quidam MSS et editi.—*Pro numero cujusque juniorum*; quem consuli innotescere potuisse ex tabulis censoriis, putabat Lips. Mil. rom. I, 7: nam eas Romæ quoque fuisse, colligebat ex XXIX, 15 et 37. His vero locis non de omnibus sociis, sed de duodecim tantum coloniis agi, monet Duk.

4. *Aut emerita stipendia*, etc. vide ad IV, 26, n. 7.—*Discusserunt*, h. e. rejecerunt, irritam fecerunt. Cic. ad Quint. fratr. II, 12, *rem totam discus-*

Digitized by Google

rebellionem spectare. Ob eas res *tumultum esse* decrevit senatus[5]: *tribunos plebei non placere causas militares cognoscere, quo minus ad edictum convenirent*. Adjecerunt etiam, ut socii nominis latini, qui in exercitu P. Cornelii, Ti. Sempronii fuissent, et dimissi ab iis consulibus essent, ut, ad quam diem L. Cornelius consul edixisset, et in quem locum edixisset Etruriæ, convenirent; et uti L. Cornelius consul, in provinciam proficiscens, in oppidis agrisque, qua iturus esset[6], si quos ei videretur, milites scriberet armaretque et duceret secum; dimittendique ei, quos eorum quandoque vellet, jus esset.

LVII. Postquam consules, delectu habito, profecti sunt in provincias, tum T. Quintius postulavit, *ut de his, quæ cum decem legatis*[1] *ipse statuisset, senatus audiret, eaque, si videretur, auctoritate sua confirmaret. Id eos facilius facturos, si legatorum verba, qui ex universa Græcia et magna parte Asiæ, quique ab regibus venissent, audissent*. Hæ legationes a C. Scribonio prætore urbano in senatum introductæ sunt; benigneque omnibus responsum. Cum Antiocho quia longior disceptatio erat, decem legatis, quorum pars in Asia aut Lysimachiæ apud regem fuerant, delegata est. T. Quintio mandatum, ut, adhibitis iis,

seram, feceram, ut res tota rejiceretur. Ed.

5. *Tumultum esse decrevit senatus*, etc. vide ad II, 26, n. 1. — *Ad edictum convenirent*, scil. scripti milites; quod latet in præc. *causas militares*. Conf. ad V, 49, n. 5. *Conveniretur* cod. Mogunt. scilicet a scriptis militibus. In illo aliquid magis romanum agnoscebat Gron. Mox bis ponitur et *ut* (vide ad XXII, 11, n. 2), et *edixisset:* nam in edictis omnia planius accuratiusque definienda sunt. An utrumque glossatori tribuendum?

6. *In oppidis agrisque, qua iturus esset, si* (forte del.) *quos ei videretur* (vide ad I, 29, n. 4), *milites scriberet:* idem factum legimus XXXII, 26, at sine mentione SCti; sine quo tamen non videtur fieri potuisse; Duk.

Cap. LVII. 1. *Quæ cum decem legatis*, etc. vide ad XXXIII, 24 sq. — *Hæ legationes a C. Scribonio*, etc. vide ad III, 4, n. 2.

Digitized by Google

legatorum regis verba audiret, responderetque iis, quæ ex dignitate atque utilitate populi romani responderi possent. Menippus et Hegesianax[2], principes regiæ legationis erant. Ex iis Menippus, *Ignorare se*, dixit, *quidnam perplexi sua legatio haberet, quum simpliciter ad amicitiam petendam jungendamque societatem venissent. Esse autem tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias civitates regesque. Unum, quum bello victis dicerentur leges; ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Alterum, quum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent; tunc enim repeti reddique per conventionem res, et, si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. Tertium esse genus, quum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coeant; eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris et victi esse. Ex eo genere quum Antiochus esset, mirari se, quod*[3] *Romani æquum censeant, ei leges dicere, quas Asiæ urbium liberas et immunes, quas stipendiarias esse velint; quas intrare præsidia regia regemque vetent. Cum Philippo enim hoste pacem, non cum Antiocho amico societatis fœdus ita sanciendum esse.*

LVIII. Ad ea Quintius : « Quoniam vobis distincte « agere libet, et genera jugendarum amicitiarum enu-

2. *Menippus et Hegesianax* et Lysias apud Appian. Syr. 6. — *Quidnam perplexi*; conf. ad XXXII, 33, n. 1. — *Inter se paciscerentur.* Pro *inter se* quod bene ad rem ex cod. Mogunt. receptum est, in aliis omnibus codicibus et veteribus editionibus inepte, teste Doeringio, legitur *integre.* Ed.

3. *Mirari se, quod*, potius *quid* vel *qui*; Gron. Sed etiam *mirari quod* recte dici, docent Drak. ad II, 54, n. 8, et XXXVIII, 10, n. 1, et Periz. ad Sanct. Min. III, 14, pag. 501.

Digitized by Google

« merare, ego quoque duas conditiones ponam, extra « quas nullam esse regi nuntietis amicitiæ cum po- « pulo romano jungendæ. Unam, si nos nihil, quod « ad urbes Asiæ attinet, curare velit, ut et ipse omni « Europa abstineat. Alteram, si se ille Asiæ finibus « non contineat, et in Europam transcendat, ut et « Romanis jus sit, Asiæ civitatium amicitias et tueri, « quas habeant, et novas complecti ». *Enimvero id auditu etiam*, dicere, *indignum esse*, Hegesianax, *Thraciæ et Chersonesi urbibus arceri Antiochum; quæ Seleucus proavus*[1] *ejus, Lysimacho rege bello victo et in acie cæso, per summum decus parta reliquerit; pari cum laude partim ab Thracibus possessa armis receperit Antiochus, partim deserta, sicut ipsam Lysimachiam, et revocatis cultoribus frequentaverit, et, quæ strata ruinis atque incendiis erant, ingentibus impensis ædificaverit. Quid igitur simile*[2] *esse, ex ea possessione, ita parta, ita recuperata, deduci Antiochum, et Romanos abstinere Asia, quæ nunquam eorum fuerit? Amicitiam Romanorum expetere*

Cap. LVIII. 1. *Quæ Seleucus proavus* (propr. *abavus*) *ejus, Lysimacho... ædificaverit;* vide ad IV, 48, n. 3; XXXIII, 40, n. 3 et 6. Proprie h. l. dicendum erat: *quas Seleucus... partas... possessas... desertas... stratæ;* et ita leg. suspicari malim, aut *oppidis* pro *urbibus*, quam cum Gron. *quæ Seleucus... recepisse Antiochum... frequentasse..... ædificasse.* Sed nil forte mutandum, et brevius *quæ*, etc. in fervore orationis et affectu dictum pro: arceri omnibus iis, quæ, etc. Verba *et locis* post *urbibus* excidisse suspicabatur Crev. Similis vero anomaliæ exempla laudavit Drak.—*Parta reliquerit*, scil. heredibus regni sui. Ita Gron., Drak. et Ern. coll. Virgil. Georg. IV, 127 (ubi conf. Burm. sed et Heyn.). Enimvero non reliquit ea heredibus, sed possessionem eorum mox Ptolemæo cedere coactus est. Itaque expone: per summum decus pepererit, etsi mox neglexerit, omiserit, tueri omiserit (ut *facinus audacter cœptum timide relinquere* XLII, 16, n. 3, et al.), scil. occupatus rerum aliarum majorumque cura et bello cum Ptolemæo. Conf. mox n. 4 (ubi singula verba, etiam *deserere patrocinium*, id firmant), et sup. XXXIII, 40, ibique n. 4, 5 et 6.

2. *Quid igitur simile esse;* vide ad V, 51, n. 2.

Digitized by Google

Antiochum; sed quæ impetrata gloriæ sibi, non pudori, sit. Ad hæc Quintius, « Quandoquidem, inquit, « honesta pensamus[3], sic ut aut sola, aut prima certe, « pensari decet principi orbis terrarum populo et tanto « regi; utrum tandem videtur honestius, liberas velle « omnes, quæ ubique sunt, Græciæ urbes, an servas « et vectigales facere? Si sibi Antiochus pulchrum esse « censet, quas urbes proavus belli jure habuerit, avus « paterque nunquam usurpaverint pro suis[4], eas re- « petere in servitutem; et populus romanus, susce- « ptum patrocinium libertatis Græcorum non dese- « rere, fidei constantiæque suæ ducit esse. Sicut a « Philippo Græciam liberavit, ita et ab Antiocho Asiæ « urbes, quæ graii nominis sint, liberare in animo « habet. Neque enim in Æolidem Ioniamque[5] coloniæ « in servitutem regiam missæ sunt; sed stirpis au- « gendæ causa gentisque vetustissimæ per orbem ter- « rarum propagandæ. »

LIX. Quum hæsitaret Hegesianax, nec infitiari posset, honestiorem causam libertatis, quam[1] servitutis, prætexi titulo; « Quin mittimus ambages, inquit P. Sul- « picius, qui maximus natu ex decem legatis erat. Al- « teram ex duabus conditionibus, quæ modo diserte

3. *Honesta pensamus*, considéramus, exigimus, respicimus. — *Decet pensari principi*, a principe *o. t. populo;* Drak.

4. *Quas urbes proavus belli jure habuerit, avus paterque nunquam usurpaverint pro suis... et* (forte *ut* vel *contra*) *populus rom., snsceptum patrocinium l. G. non deserere*, etc. conf. n. 1.

5. *Neque enim in Æolidem Ioniamque*, Asiam Minorem, a Græcis *coloniæ in servitutem regiam missæ sunt*, ut ei obnoxiæ fierent. De his coloniis vid. Strab. lib. XIII, pag. 872 sq. lib. XIV, p. 938 sq. Herodot. I, 142 sq. Pausan. VII, 2 sq. Larcheri Chronol. Herod. cap. 14; Mannerti Geogr. V, VI, p. III, et multi historiæ, quæ vulgo universalis dicitur, auctores.

Cap. LIX. 1. *Honestiorem causam libertatis quam servitutis prætexi titulo*, in titulum, ut sit titulus, prætextus; nisi potius del. *titulo*, vel leg. *honestiorem libertatis q. s. p. titulum.* — *Quin mittimus ambages;* vide ad XXVII, 49, n. 5, et XXX, 3, n. 3.

Digitized by Google

« a Quintio datæ [2] sunt, legite; aut supersedete de ami-
« citia agere. » « Nos vero, inquit Menippus, nec vo-
« lumus, nec possumus pacisci quidquam, quo regnum
« Antiochi minuatur. » Postero die Quintius legationes universas Græciæ Asiæque quum in senatum introduxisset, ut scirent, quali animo populus romanus, quali Antiochus erga civitates Græciæ essent; postulata et sua, et regis exposuit. *Renuntiarent civitatibus suis, populum romanum, qua virtute quaque fide libertatem eorum a Philippo vindicaverit, eadem ab Antiocho, nisi decedat Europa, vindicaturum.* Tum Menippus deprecari [3] et Quintium et Patres institit, *Ne festinarent decernere, quo decreto turbaturi orbem terrarum essent. Tempus et sibi sumerent, et regi ad cogitandum darent: cogitaturum, quum renuntiatæ conditiones essent; et impetraturum aliquid, aut pacis causa consensurum* [4]. Ita integra dilata res est. Legatos mitti ad regem eosdem, qui Lysimachiæ apud eum fuerant, placuit, P. Sulpicium, P. Villium, P. Ælium.

2. *Diserte a Quintio datæ;* scribe *latæ:* ita enim loquebantur Livius et alii; Gron. probb. Crev. et Drak. Sed scriptores et variant orationem. — De solenni locutione, *conditiones ferre,* dubitare neminem nec opus esse, ut in re trita tam multa exempla congererentur a Gron. et Drak. monet Doering. qui non videre se fatetur, cur non recte quoque et apte ad rem *duas condit. alicui dare* explicari possit: duas condit. alicui concedere et proponere, sive, optionem alicui dare, ut ex duabus condit. alterutram eligat. Certe, ut *leges* non tantummodo *ferri,* sed nonnunquam etiam *dari* dicuntur; ita quoque *conditiones* non tantum *ferri,* sed etiam *dari* dici possunt. Ed.

3. *Menippus deprecari... institit;* vide ad XXIV, 26, n. 7.

4. *Pacis causa consensurum,* quidam MSS *concessurum* prob. Crev. — *Legatos mitti ad regem eosdem, qui Lysimachiæ apud eum fuerant, P. Sulpicium, P. Villium, P. Ælium.* Nota Dukeri est: « Quod inter hos *Sulpicium* et *Ælium* numerat, non satis liquidum est. P. Sulpicius fuerat inter decem legatos, ex quorum consilio Quintius Philippo pacem dedit, XXXII, 24. Ex his deinde *P. Villius* et *L. Terentius* ad Antiochum profecti sunt, et cum P. Lentulo et L. Cornelio *Lysimachiæ* cum Antiocho in colloquium venerunt, XXXIII, 35, 39; Polyb. XVIII, 31-35. Si verba *eosdem, qui Lysimachiæ apud eum fue-*

Digitized by Google

LX. Vixdum ii profecti erant, quum a Carthagine legati, bellum haud dubie parare Antiochum, Hannibale ministro, attulerunt, injeceruntque curam, ne simul et punicum bellum excitaretur. Hannibal, patria profugus, pervenerat ad Antiochum, sicut ante dictum est[1]; et erat apud regem in magno honore, nulla alia arte, nisi quod volutanti diu consilia de romano bello nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat. Sententia ejus una atque eadem semper erat, *ut in Italia bellum gereretur. Italiam et commeatus et militem præbituram externo hosti. Si nihil ibi moveatur, liceatque populo romano viribus et copiis Italiæ extra Italiam bellum gerere; neque regem, neque gentem ullam parem Romanis esse.* Sibi centum tectas naves, et decem millia peditum, mille equites deposcebat. *Ea se classe primum Africam petiturum. Magnopere confidere, et Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse. Si illi cunctentur, se aliqua parte Italiæ bellum excitaturum Romanis. Regem cum cæteris omnibus*[2] *transire in Europam debere, et in aliqua parte Græciæ copias continere, neque trajicientem, et (quod in speciem famamque belli satis sit) paratum trajicere.*

runt, non adscripta sunt ab aliquo, qui legatos rom. Lysimachiæ cum Antiocho colloquutos fuisse meminerat, sed locum Liv. XXXIII, 39 non inspexerat, non video, quid dici possit, quo minus hoc quoque inter exempla negligentiæ Livianæ referatur. Alter scrupulus est in eo, quod *P. Ælium* una cum Sulpicio ac Villio ad regem missum dicit. Nam XXXV, 13-15, tantum Sulpicium et Villium memorat. Forte librarii, quum in quibusdam libris pro *P. Villium* perperam scriptum esset *P. Ælium*, ex uno legato duos fecerunt». *P. Ælium* ignorat Hearnii L. 1, et multi MSS pro *P. Villium* habent *P. Julium*.

Cap. LX. 1. *Sicut ante dictum est* sup. XXXIII, 49.

2. *Centum tectas naves* (vide ad XXII, 19, n. 4), *et decem* (ita MS Mogunt. non *sedecim*, ut reliqui) *millia*, etc. conf. Justin. XXXI, 3, et Appian. Syr. 7.

3. *Regem cum cæteris omnibus;* forte *viribus*. — *Neque*, et non *traji-*

Digitized by Google

LXI. In hanc sententiam quum adduxisset regem, præparandos sibi ad id popularium animos ratus, literas, ne quo casu interceptæ palam facerent conata, scribere non est ausus. Aristonem quemdam[1] Tyrium, nactus Ephesi, expertusque solertiam levioribus ministeriis, partim donis, partim spe præmiorum oneratum, quibus etiam ipse rex annuerat, Carthaginem cum mandatis mittit; edit nomina eorum, quibus conventis opus esset[2]; instruit etiam secretis[3] notis, per quas haud dubie agnoscerent sua mandata esse. Hunc Aristonem Carthagine obversantem[4] non prius amici, quam inimici Hannibalis, qua de causa venisset, cognoverunt. Et primo in circulis conviviisque celebrata sermonibus res est; deinde in senatu quidam, *Nihil actum esse*, dicere, *exsilio Hannibalis*,

cientem, et paratum trajicere. Haud apte *at* pro *et* conj. Benedict. in Obss. ad quædam Livii loca, Torgav. 1804; quem libellum mihi non nisi ex ephemeridibus literariis innotuisse doleo.

Cap. LXI. 1. *Aristonem quemdam Tyrium*, qui fuit unus ex Hannibalis comitibus, vel potius negotiator, specie negotiationis missus, ut mercator quidam, a Pelopida ad Sphodriam ablegatus. Conf. Justin. XXXI, 4 pr. ibique Bernecc. Appian. Syr. 8; ubi vide Toll. et Plut. Pelop. pag. 285, A. B.—*Nactus* (vide supra ad librum V, cap. 45, n. 1), cod. Mogunt. Reliqui *natum*.

2. *Quibus conventis opus esset*, quos convenire, adire deberet, ut cum iis ageret de mandatis. Confer. ad XXX, 43, n. 4.

3. *Instruit etiam secretis notis*, etc. « Has Casaub. ad Æneam Tact. c. 31 esse dicit συνθήματα καὶ γράμματα, a quibus nec epistolas excludit; et Ernestius ad Val. Prob. de Notis rom. cap. 1, occultam rationem scribendi per notas, de qua vid. Suet. Cæs. 56, et Aug. 68. Sed literas Aristoni non datas fuisse, et Appian. l. l. tradit et mox Livius. Crediderim potius, Aristonem ab Hannibale accepisse quædam, secretis colloquiis inter ipsum, quum adhuc Carthagine esset, et ejusdem factionis homines de republica et bello adversus Romanos tractata; quæ iis ab Aristone relata notæ et certissima argumenta essent, quibus ea, quæ Aristo dicturus erat, mandata Hannibalis esse agnoscerent, eo quod illa nemini præter Hannibalem nota esse sciebant. Hoc sensu *nota* sæpe dicitur pro signo, indicio et argumento, quod fidem facit, ut *nota amoris*, *benevolentiæ* et *humanitatis* apud Cic. et alios ». Duker.

4. *Carthagine obversantem;* vide ad XXIV, 23, n. 2. — *In circulis celebrata;* vide ad I, 4, n. 13, et

Digitized by Google

si absens quoque novas moliri res sollicitandoque animos hominum turbare statum civitatis posset. Aristonem quemdam, Tyrium advenam, instructum mandatis ab Hannibale et ab Antiocho rege, venisse: certos homines quotidie cum eo secreta colloquia serere, et in occulto colloqui, quod mox in omnium perniciem erupturum esset. Conclamare omnes, *Vocari Aristonem debere, et quæri, quid venisset, et, nisi expromeret, cum legatis Romam mitti. Satis pro temeritate unius hominis suppliciorum pensum esse. Privatos suo periculo peccaturos. Rempublicam non extra noxam modo, sed etiam extra famam noxæ, conservandam esse.* Vocatus Aristo purgare sese, et firmissimo propugnaculo uti, quod literarum nihil ad quemquam attulisset. Cæterum nec causam adventus satis expediebat, et in eo maxime hæsitabat, quod cum Barcinæ solum factionis hominibus colloquutum eum arguebant. Orta deinde altercatio est, aliis pro speculatore comprehendi jam et custodiri jubentibus, aliis negantibus tumultuandi causam esse. *Mali rem exempli esse, de nihilo hospites corripi. Idem Carthaginiensibus et Tyri et in aliis emporiis, in quæ frequenter commeent, eventurum.* Dilata eo die res est. Aristo, punico ingenio inter Pœnos usus, tabellas conscriptas celeberrimo loco supra sedem quotidianam magistratuum[5] prima vespera suspendit. Ipse de tertia vigilia navem conscendit et profugit.

XXXIV, 37, n. 1. — *Et in occulto colloqui* forte glossa: certe verba a præcc. nil differunt. — Hæc verba, quum emendare liceat, cur delenda sint, non videt Walchius, pag. 243; aut cui placeat Drak. distinctio *et in occulto colloqui, quæ mox... eruptura essent*, quæ occultat, non sanat vitium? scribendum igitur conjicit vir cl. *in occulto coqui, quod*, etc. nempe *coquere rem*, id est, clam moliri, parare, ratio loquendi Livio propria; conf. III, 36; VIII, 3. Ed.

5. *Sedem quotidianam magistratuum*, qui mox dicuntur *sufetes*; vide ad XXVIII, 37, n. 3. *Magistratus*

Digitized by Google

Postero die, quum sufetes ad jus dicendum consedissent, conspectæ tabellæ demptæque et lectæ. Scriptum erat, ARISTONEM PRIVATIM AD NEMINEM[6], PUBLICE AD SENIORES (ita senatum vocabant) MANDATA HABUISSE. Publicato crimine, minus intenta de paucis quæstio erat. Mitti tamen legatos Romam, qui rem ad consules et ad senatum deferrent, placuit; simul qui de injuriis Masinissæ quererentur.

LXII. Masinissa postquam et infames[1] Carthaginienses, et inter se ipsos discordes sensit, principes propter colloquia Aristonis senatui, senatum propter indicium ejusdem Aristonis populo suspectum; locum injuriæ esse ratus, agrum maritimum eorum et depopulatus est, et quasdam urbes vectigales Carthaginiensium sibi coegit stipendium pendere. Emporia vocant eam regionem. Ora est minoris Syrtis et agri uberis; una civitas ejus Leptis: ea singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedit. Hanc tum regionem et totam infestam Masinissa, et ex quadam parte dubiæ possessionis, sui regni, an Carthaginiensium esset, effecerat: et quia simul ad purganda[2] crimina, et questum de se Romam eos ituros comperit; qui et illa onerarent suspicionibus, et de jure vectigalium disceptarent, legatos et ipse Romam mittit. Auditi de Tyrio advena primum Carthaginienses curam injecere

male quidam libri. — *Quum sufetes ad jus dicendum consedissent;* vide ad III, 46, n. 6, et XXVIII, 37, n. 3.

6. *Aristonem privatim ad neminem*, etc. Minus verosimile est, quod Justin. XXXI, 4 scribit, eum in senatu interrogatum, ad quem missus esset, ita respondisse; Duker. — *Ad seniores; ita senatum vocabant;* vide ad I, 8, n. 9.

CAP. LXII. 1. *Masinissa, postquam et infames*, etc. Conf. ad totum hoc cap. Polyb. XXXII, 2. — *Emporia vocant regionem*, etc. vide ad XXI, 60, n. 1. — *Regionem totam infestam effecerat* armis; vide ad I, 7, n. 7.

2. *Ad purganda crimina;* vide ad III, 19, n. 7; X, 13, n. 13. — *Illa* crimina *onerarent suspicionibus*, ut mox *ea suspicio crimen urgebat*, et al. *premere;* vid. IV, 12, n. 3, et XXI, 26, n. 9.

Digitized by Google

Patribus, ne cum Antiocho simul et Pœnis bellandum esset. Maxime ea suspicio crimen urgebat, quod, quem comprehensum Romam mitti placuisset, nec ipsum, nec navem ejus custodissent. De agro deinde cum regis legatis disceptari cœptum. Carthaginienses jure finium causam tutabantur, *quod intra eos terminos esset, quibus P. Scipio victor agrum, qui juris esset Carthaginiensium, finisset;* et confessione regis, *qui, quum Aphirem*[3] *profugum ex regno suo, cum parte Numidarum vagantem circa Cyrenas, persequeretur, precario ab se iter per eum ipsum agrum, tanquam haud dubie Carthaginiensium juris, petisset.* Numidæ, *et de terminatione Scipionis*[4] *mentiri eos,* arguebant, *et, si quis veram originem juris exigere vellet, quem proprium agrum Carthaginiensium in Africa esse? Advenis, quantum secto bovis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad urbem communiendam precario datum. Quidquid Byrsam*[5] *sedem suam*

3. *Quum Aphirem* (*Anthirem* cod. Mogunt.) *profugum ex regno suo*, etc. conf. Polybius, XXXII, 2, § 7, qui Ἀφθήρατον appellat hominem illum, qui a Masinissa defecerat, traditque Masinissæ a Pœnis negatum fuisse iter per agrum illum, a Romanis vero hunc omnem adjudicatum. — *Precario ab se iter..... petisset;* vide ad III, 47, n. 4. — *Tanquam haud dubie Carthaginiensium juris;* malim *dubii;* Gron. Nil interest.

4. *De terminatione Scipionis;* vide ad I, 55, n. 3.—*Arguebant*, insimulabant; vel dicebant: quæ certe verbi notio ad seqq. inde referenda. Conf. ad VIII, 2, n. 3. — *Exigere;* vide ad VI, 4, n. 4.

5. *Advenis quantum secto bovis tergo..... Byrsam sedem*, etc. fabulosa hæc est et satis nota narratio illa de origine Carthaginis, commentum Græcorum, qui *Byrsam*, arcem Carthaginis, a βοείᾳ βύρσᾳ, bovina pelle, dictam fingebant; quum potius nomen et arcis et urbis ex Orientalium linguis repetendum fuisset, בצרה *Bosra* seu *Bysra*, et κακοφωνίας vitandæ causa *Byrsa*, dicitur *munimentum*, locus munitus, arx; et קרתא חדתא Syris et Chald. (Καρχηδὼν, *Carthago*) *urbs nova.* Conf. ad Sil. I, 24 seq. Intpp. Justin. IX, 2, XVIII, 4, n. 6, et Vell. I, 6; Heyn. ad Virg. Æn. I, 365 sq. et in Exc. I ad Æn. IV, Schweigh. ad Appian. Pun. 1, 2 et 95; Valckenaeri diss. de Byrsa, Franeq. 1737; Obss. Misc. Bat. I, 3, 306 sq. — *Quidquid;* vide ad VII,

Digitized by Google

excesserint, vi atque injuria partum habere. Neque eum, de quo agatur, probare eos posse, non modo semper, ex quo cœperint, sed ne diu quidem eos possedisse. Per opportunitates, nunc illos, nunc reges Numidarum, usurpasse jus; semperque penes eum possessionem fuisse qui plus armis potuisset[6]. *Cujus, conditionis res fuerit, prius quam hostes Romanis Carthaginienses, socius atque amicus rex Numidarum esset, ejus sinerent esse; nec se interponerent, quo minus, qui possent, tenerent.* Responderi legatis utriusque partis placuit, missuros se in Africam, qui inter populum carthaginiensem et regem in re præsenti disceptarent[7]. Missi P. Scipio Africanus et C. Cornelius Cethegus et M. Minucius Rufus; audita inspectaque re, suspensa omnia, neutro inclinatis sententiis, reliquere. Id utrum sua sponte fecerint, an quia mandatum ita fuerit, non tam certum est, quam videtur tempori aptum fuisse, integro certamine eos relinqui[8]. Nam, ni ita esset, unus Scipio, vel notitia rei, vel auctoritate, ita de utrisque meritus, finire nutu disceptationem potuisset.

32, n. 3. — *Neque eum*, scilicet agrum.

6. *Qui plus armis potuisset;* vide ad V, 33, n. 3.

7. *In re præsenti disceptarent*, in ipso loco, ut in Gruteri inscr. CCIV, et inf. XL, 17 pr. et XLII, 23 pr. Hinc XXXVII, 56 pr. *quæ præsentis disceptationis essent*, quæ facile in ipso loco judicari possent et componi. — *Suspensa omnia reliquerunt*, ut al. *in suspenso relinquere;* vide ad II, 32, n. 5, et XXXIX, 29, n. 1.

8. *Integro certamine eos relinqui:* Duk. malebat *certamini* (ita Lov. 3), ut XXVI, 2, et apud Ovid. Met. II, 186. — Vulgata Doeringio aptior videtur. Sensus est: dum certamen adhuc esset integrum, dum nulla adhuc de hoc certamine lata esset sententia. Ed. — *Vel notitia rei:* malim *notione;* vide ad XXVII, 25, n. 3. — *Nutu*, non multis verbis vel adeo precibus, sed sola voluntate et vel levissima ejus significatione, seu mandato. Magnifice, de tanto viro. Finge tibi nutum, qualis tribuitur dominis et Jovi.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXV.

BREVIARIUM.

Cap. I; In Hispania citeriore res male gerit Sex. Digitius prætor, in ulteriore autem prospere P. Cornelius Cn. F. Scipio Nasica prætor; qui et pro prætore Lusitanos vincit. — II; C. Flaminius prætor, in Hispaniam citeriorem profecturus, tumultuarios ibi milites scribere jubetur. — III; In Liguria Q. Minucius consul novos et ex multis hominum generibus collectos milites Pisas ducit, sed in aciem exire non audet. — IV; Consul alter L. Cornelius Merula vastat agros Boiorum, — V; eosque ad Mutinam vincit. — VI; Idem comitiorum causa Romam arcessitur, et literis M. Claudii Marcelli legati arguitur in culpa fuisse, quod multi perierint milites, hostiumque exercitus non plane sit deletus. — VII; Feneratorum fraus et avaritia coercetur. In Hispaniis C. Flaminius et M. Fulvius prætores feliciter res gerunt. — VIII; L. Cornelius Merula consul frustra postulat, ut supplicatio triumphusque decernatur. — IX; Censura Sex. Ælii Pæti et C. Cornelii Cethegi. Inundatio Tiberis. Prodigia procurata. Ædicula Victoriæ Virginis dedicata a Catone; et colonia latina in agrum Thurinum deducta. — X; Consulatum, quem petunt multi et potentes patricii plebeiique, adipiscuntur L. Quintius Flamininus et Cn. Domitius Ahenobarbus; prætoresque creantur. Ædilitas insignis M. Æmilii Lepidi et L. Æmilii Paulli. — XI; Q. Minucius consul faucibus saltus, a Ligurum exercitu obsessis, liberatur fraude numidarum equitum. — XII; Ætoli et Græciæ gentes et Nabin, Philippum An-

Digitized by Google

tiochumque ad bellum Romanis inferendum incitant. — XIII; Nabis ad Gythium, et Antiochus ad Pisidas oppugnandos proficiscitur. — XIV; P. Villius, cum P. Sulpicio ad Antiochum missus, Ephesi sæpe congreditur cum Hannibale; qui ob id vilior fit regi et suspectior. In eadem legatione P. Scipionem Africanum fuisse tradit Claudius, ibidemque cum Hannibale sermonem de maximis imperatoribus contulisse. — XV; Rex certior factus de morte Antiochi filii, quem ipse veneno sustulisse credebatur, omisso, quod inchoaverat bello, mœstus Ephesum redit, ibique, per luctum regia clausa, cum Minione, principe amicorum, secreta agitat consilia. — XVI; Minio solus disceptat cum legatis Romanorum. — XVII; Hi omnium incerti Romam redeunt; iisque dimissis rex consilium habet de bello romano. — XVIII; Alexander Acarnan ejus gerendi non tam necessitatem, quam rationem edocet. — XIX; Hannibal vero, non adhibitus in consilium, purgat se, et scita oratione movet regem sibique reconciliat. — XX; Romæ legiones et provinciæ magistratibus decernuntur. — XXI; Prodigiorum causa supplicatur. Q. Minucius Ligures fundit, et eorum castella vicosque pervastat. — XXII; A. Atilius prætor cum classe adversus Nabin mittitur, et consules Boiorum populantur agros. In utraque etiam Hispania C. Flaminius et M. Fulvius procoss. res prospere gerunt. — XXIII; Patribus vero minus curæ sunt bella, quæ geruntur, quam quod jam parari ab Antiocho et Ætolis rumores primum, deinde Attalus, Eumenis frater, mox alii atque alii nuntii afferunt. — XXIV; Hinc decernunt, ut legati in Græciam, legiones in Epirum, classisque in Siciliam mittantur, et comitia consularia primo quoque habeantur tempore. Consules (P. Cornelius Cn. F. Scipio et M'. Acilius Glabrio) et prætores creantur. — XXV; Nabis agros vastat Achæorum; quorum in concilio bellum adversus eum decernitur et mandatur Philopœmeni prætori. — XXVI; Clarissimus hic imperator, sed rudis in re navali, occurrit modicæ Laconum classi, et quadriremi vetere vectus, quæ primo statim incursu ad novam hostium navem divellitur, vix in levi speculatoria nave effugit. — XXVII; Mox vero nocte comburit castra tyranni, ad Pleias posita, et depopulata Tripoli Laconica exercitum Lacedæmonem ducit; quo et Nabis, expugnato Gythio, cum expedito exercitu proficiscitur. — XXVIII; Mirabili, ut semper, solertia ducit agmen locaque capit et communit. — XXIX, XXX; Pugna bis orta, tyranni

Digitized by Google

exercitum in castra primum, et postero die in urbem compellit, multisque hostibus cæsis et agris eorum vastatis domum redit. — XXXI; Interea legati Romanorum circumeunt sociorum urbes. — XXXII; Ætoli magis in dies nudant defectionem, et Thoas, princeps eorum, Menippusque, legatus Antiochi, eam magnopere suadent in concilio Panætolico. — XXXIII; Atheniensibus et Quintio nequidquam Ætolos romanæ societatis admonentibus, decretum fit, quo arcessitur Antiochus ad liberandam Græciam. — XXXIV; Ætoli consilium capiunt, Demetriadem, Chalcidem Lacedæmonemque occupandi; et Diocles fraude expugnat Demetriadem. — XXXV; Alexamenus, a Nabide, tanquam dux auxiliorum, ab Ætolis missorum, benigne exceptus, eum interficit. — XXXVI; Tum ipse occupat regiam, et Ætoli, velut capta Lacedæmone, in prædam vertuntur. Qua rei indignitate moti Lacedæmonii Ætolos cum duce obtruncant; — XXXVII; et mox scita Philopœmenis oratione societati Achæorum adjunguntur. Iisdem diebus Thoas frustra Chalcidem aut dolo capere aut improviso opprimere conatur; — XXXVIII; et ad justum bellum oppugnationemque urbis munitæ haudquaquam par, infecta re, domum redit. — XXXIX; Quintius præsidium Chalcidem, sed frustra Villium Demetriadem mittit ad animos Magnetum tentandos. — XL; Boii Cn. Domitio se dedunt; et ager Ligurum late vastatur a L. Quintio. Vibonem colonia deducitur: et Roma terretur diutino terræ motu ingentique incendio. — XLI; Fama de Antiochi bello et cura Patribus in dies crescente, agitatur de provinciis magistratuum designatorum. Ædes duæ Jovi in Capitolio dedicantur; et judicia in feneratores multa severe fiunt. — XLII; Thoas Ætolus iisdem mendaciis, quibus erexerat multorum in Græcia animos, Antiochi spem inflat; et prohibet, quo minus Hannibal ab eo classi præficiatur. — XLIII; Rex, Demetriadis defectione ab Romanis elatus, non ultra differre profectionem in Græciam constituit, et cum classe exercituque decem millium peditum Demetriadem, indeque Lamiam venit. — XLIV; Ibi in concilio orationem habet; — XLV; et, auctore Thoante, cui nequidquam contradicit Phæneas prætor, dux belli appellatur. — XLVI; Postero die consultat cum apocletis Ætolorum, unde bellum ordiatur, et primum Chalcidem, sed frustra, tentat. — XLVII; Deinde sollicitare placet Philopœmenem, Achæorum principem, Bœotorum gentem, et Amynandrum, regem Atha-

Digitized by Google

manum. — XLVIII; In Achaia, coram T. Quintio, Ægii concilium datur Antiochi Ætolorumque legatis, Menippo et Archidamo, qui in immensum extollunt vires regis, et Romanos ipsumque Quintium maledictis proscindunt. — XLIX; Is vaniloquorum hominum orationes refutat. — L; Achæi bellum regi Ætolisque indici jubent, et auxilia Athenas, ubi haud procul seditione res est, Chalcidemque mittunt. — LI; Antiochus tamen hoc Eubœæ caput, et mox Salganea aliasque ejus insulæ urbes expugnat.

I. Principio anni, quo hæc gesta sunt, Sex. Digitius prætor in Hispania citeriore cum civitatibus iis, quæ post profectionem M. Catonis permultæ rebellaverant, crebra magis, quam digna dictu, prælia fecit, et adeo pleraque adversa, ut vix dimidium militum, quam quod acceperat[1], successori tradiderit. Nec dubium est, quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni alter prætor P. Cornelius Cn. F. Scipio trans Iberum multa secunda prælia fecisset: quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum[2] defecerunt.

Cap. I. 1. *Vix dimidium militum, quam quod acceperat:* τὸ *quod* abest a MS Voss. et Harl. prob. Gron. Alii delent *quam*, et alii pro *quam quod* legendum putant *quos*. Mea qualicumque sententia nihil mutandum, et brevius illud dictum pro: *vix dimidio tantum militum (um die Hälfte so viel), quam* id *quod*, h. e. quantum *acceperat*. Sic et XLV, 18 extr. et similiter XXXIV, 19, n. 1, *duplex stipendium*, duplo tantum (*noch einmal so viel*), *quam quantum pepigissent*. Conf. ad XXXII, 13, n. 5, et XXXIV, 52, n. 2. Vulgatum quoque a Benedicto (vide ad XXXIV, 60, n. 3) pluribus Livii aliorumque locis firmatum esse, ex ephemeridibus literariis cognovi. — *Sublatura animos*, scil. de hoste vincendo; *tollere animos* dicuntur, qui ob rem feliciter tentatam ferocius in viribus suis fiduciam ponere incipiunt, ut notat Doering. Ed.

2. *Non minus* quam *quinquag. oppida;* vide ad III, 64, n. 5. — *Idem pro prætore Lusitanos*, etc. Nota Duk. est: « Recte Sigon. quod est prorogato ultra præturam prætorio imperio; idemque dicendum est de L. Valerio, Cn. Domitio, P. Cornelio et M. Bæbio, quorum illos XXXIV, 46, XXXVI, 36, XXXVII, 2, *proconsules*, hunc XXXVI, 8, *proprætorem* vocat, et de aliis, quos alibi, prætermissa mentione prorogati imperii *proconsulum* et *proprætorum* nominibus appellat. Etenim provinciæ et exerci-

Digitized by Google

Prætor hæc gesserat Scipio. Idem pro prætore, Lusitanos, pervastata ulteriori provincia[3], cum ingenti præda domum redeuntes, in ipso itinere aggressus, ab hora tertia diei ad octavam incerto eventu pugnavit, numero militum impar, superior aliis: nam et acie frequenti armatis[4] adversus longum et impeditum turba pecorum agmen, et recenti milite adversus fessos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hostes. Huic nocturno itineri tres diurnæ horæ accesserant; nec ulla quiete data, laborem viæ prælium exceperat. Itaque principio pugnæ vigoris aliquid in corporibus animisque fuit, et turbaverant primo Romanos; deinde æquata paulisper pugna est. In hoc discrimine ludos Jovi, si vi fudisset cecidissetque hostes, proprætor vovit. Tandem gradum acrius

tus sine imperio haberi non poterant; imperium autem cum magistratu finiebatur: quare omnibus, quorum annus magistratus exierat, ut pro consulibus vel pro prætoribus rem gerere possent, prorogatio imperii necessaria erat. Sed quum Livius sæpe tradat, imperia quibusdam in provinciis, quibus præerant, vel ut aliis præessent, in annum prorogata fuisse, quæri potest, quid de his dicendum sit, qui anno priore in provinciis cum imperio fuerant, et exacto anno magistratus successores, qui provincias illas sortiti fuerant, sed plerumque multis rebus impediebantur, ne statim sortitione facta in eas proficisci possent, nondum acceperant. Livius quidem satis raram imperii his,quoad successores in provincias venissent, prorogati mentionem facit: sed tamen ex iis, quæ XL, 36, de P. Cornelio et M. Bæbio, XLI, 14, 21, de Ti. Sempronio et L. Cornelio, et XLII, 1, de M. Atilio prætoribus scribit, satis intelligitur, his quoque, post relationem ad senatum de provinciis et post sortitionem provinciarum, imperia prorogata fuisse. Nec admodum vero dissimile est, id eadem lege, qua novis magistratibus imperium annuum in provinciis dabatur, factum esse ».

3. *Ulteriori provincia,* ult. Hispania. Conf. supra ad librum XXVIII, cap. 38, n. 4.

4. *Acie frequenti armatis;* vide ad X, 11, n. 3. — Sensus est: acie, frequenti armorum numero densata, acie densis ordinibus instructa, ut ait Doering. ejusmodi enim acies quamvis militum numero hosti impar, cum vi et successu in *longum et impeditum turba pecorum agmen* irrumpere potest. Ed. — *Itaque principio pugnæ,* etc. Id est, exhausti viribus milites non diu pugnæ laborem sustinere potuerunt; quod ut planum fiat, legendum proponit Doering. *principio tantum pugnæ.* Sic magis perspicua erit sententia. Ed.

Digitized by Google

intulere Romani, cessitque Lusitanus; deinde prorsus terga dedit: et, quum institissent fugientibus victores, ad duodecim millia hostium sunt cæsa; capti quingenti quadraginta, omnes fere equites; et signa militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu romano, septuaginta et tres amissi. Pugnatum haud procul Ilipa urbe est. Eo victorem opulentum[5] prædæ exercitum P. Cornelius reduxit. Ea omnis ante urbem exposita est; potestasque dominis suas res cognoscendi facta[6]. Cætera vendenda quæstori data: quod inde refectum est, militi divisum.

II. Nondum ab Roma profectus erat C. Flaminius prætor[1], quum hæc in Hispania gerebantur. Itaque tam adversæ, quam secundæ res per ipsum amicosque ejus magnis sermonibus celebrabantur; et tentaverat, quoniam bellum ingens in provincia exarsisset, et exiguas reliquias exercitus ab Sex. Digitio, atque eas ipsas plenas pavoris ac fugæ accepturus esset, ut unam sibi ex urbanis legionibus decernerent: ad quam quum militem ab se ipso scriptum[2] ex senatusconsulto adjecisset, eligeret ex omni numero sex millia et quingentos pedites et equites trecentos. *Ea se legione (nam in Sex. Digitii exercitu haud multum*

5. *Opulentum prædæ*, non *præda* (ut IV, 34), omnes MSS et edd. vett. ante Ascens. Dictio græca et doctior.

6. *Res cognoscendi;* vide ad III, 10, n. 1. — *Cætera vendenda quæstori data: quod inde refectum est, militi divisum;* vide ad I, 53, n. 3, et X, 17, n. 5.

Cap. II. 1. *C. Flaminius;* cf. ad XXXIV, 55, 56.—*Tam adversæ res*, a Digitio, *quam secundæ*, a Scipione gestæ, *magnis sermonibus celebrabantur;* vide ad IV, 34, n. 4.

2. *Militem ab se ipso scriptum;* vid. XXXIV, 56. — *Sex millia et D pedites et eq. CCC:* numerus admodum variat in libris. Conf. Duk. — Antea vulgabatur *tria millia;* at lectæ legionis numerus nimis sic exiguus foret. Constabat quidem tum temporis, ut observat Drak. unaquæque legio ex quinque tantum millibus peditum, et trecentis equitibus, sed legionum quoque, ultra solitum numerum nonnunquam auctarum passim fit mentio, verbi causa, supra, XXIX, 24. Ed.

Digitized by Google

spei esse) rem gesturum. Seniores negare, *ad rumores, a privatis temere in gratiam magistratuum confictos, senatusconsulta facienda esse. Nisi quod aut prætores ex provinciis scriberent, aut legati renuntiarent, nihil ratum haberi debere. Si tumultus in Hispania esset*[3], *placere, tumultuarios milites extra Italiam scribi a prætore.* Mens ea senatus fuit, ut in Hispania tumultuarii milites legerentur. Valerius Antias et in Siciliam navigasse delectus causa C. Flaminium scribit, et ex Sicilia Hispaniam petentem, tempestate in Africam delatum, vagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse[4]; his duarum provinciarum delectibus tertium in Hispania adjecisse.

III. Nec in Italia segnius Ligurum bellum crescebat. Pisas jam quadraginta millia hominum, affluente quotidie multitudine[1] ad famam belli spemque prædæ, circumsedebant. Minucius consul Arretium die, quem dixerat ad conveniendum militibus[2], venit. Inde quadrato agmine ad Pisas duxit; et, quum hostes mille passuum ab oppido trans fluvium movissent castra, consul urbem, haud dubie servatam adventu suo, est ingressus. Postero die et ipse trans fluvium fere quingentos passus ab hoste posuit castra. Inde levibus præliis a populationibus agrum sociorum[3] tutabatur. In aciem exire non audebat, novo milite, et ex multis generibus hominum collecto necdum noto satis inter

3. *Si tumultus in Hispania esset;* vide ad II, 26, n. 1. — *Tumultuarios milites;* vide ad I, 37, n. 4.

4. *Sacramento rogasse milites;* vide ad II, 24, n. 7.

Cap. III. 1. *Affluente quotidie multitudine;* vide ad XXI, 38, n. 3.

2. *Die, quem dixerat ad conveniendum milit.*, ut XXXIII, 13; XXXVI, 8; XLV, 12, al. *edixerat* ed. Ald. et cætt. ante Drak. — *Duxit;* vide ad I, 23, n. 4. — *Trans fluvium*, Arnum vel Auserem; inter quos Pisas dicit sitas Plin. III, 5. Mox voc. *consul* forte delendum.

3. *Agrum sociorum* Pisanorum, qui et cap. 6 *socii* dicuntur; unde Noris. Cenot. Pis. I, 1, Pisas urbem fœderatam fuisse colligit; Duk. — *Necdum noto satis*, etc. Sensum ita exponit

Digitized by Google

se, ut fidere alii aliis possent. Ligures multitudine freti et in aciem exibant, parati de summa rerum decernere[4]; et abundantes militum numero passim multas manus per extrema finium ad prædandum emittebant: et, quum coacta vis magna pecorum prædæque esset, paratum erat præsidium, per quod in castella eorum vicosque ageretur.

IV. Quum bellum Ligustinum ad Pisas[1] constitisset, consul alter L. Cornelius Merula per extremos Ligurum fines exercitum in agrum Boiorum induxit, ubi longe alia belli ratio, quam cum Liguribus, erat. Consul in aciem exibat, hostes pugnam detrectabant; prædatumque, ubi nemo obviam exiret, discurrebant Romani: Boii diripi sua impune, quam tuendo ea conserere certamen, malebant. Postquam omnia ferro ignique satis evastata erant, consul agro hostium excessit, et ad Mutinam agmine incauto, ut inter pacatos, ducebat[2]. Boii, ubi egressum e finibus suis hostem sensere, sequebantur silenti agmine, locum insidiis quærentes. Nocte prætergressi castra romana saltum, qua transeundum erat Romanis, insederunt. Id quum parum occulte fecissent, consul, qui multa

Doering. « nec, ut alii aliis fidere possent, satis adhuc inter se noto ». Sic autem particulam *vix*, præter omnem vett. codd. auctoritatem in pluribus editt. ante *fidere* positam, superfluam plane esse pronuntiat. Nihilominus hujus particulæ patrocinium suscepit Creverius, lectionem eam veriorem et magis latinam appellans, quam sic interpretatur: *necdum satis noto*, id est, parum adhuc noto *inter se*, ita *ut vix fidere*, etc. Ed.

4. *De summa rerum decernere*; vid. supra ad librum III, cap. 5, not. 6, et ad librum XXI, cap. 41, not. 2.

Cap. IV. 1. *Bellum Ligustinum constitisset*; vide ad XXI, 49, n. 1.

2. *Agmine incauto, ut inter pacatos, ducebat*; vide ad I, 23, n. 4, et VIII, 30, n. 7. — Codex Mogunt. addit *agros* post *pacatos*, quod Drakenb. alias tam strenuus codicis Mogunt. assertor, pro glossatoris alicujus additamento habet. Posse quidem recte cum Drak. ad *pacatos*, suppleri *populos* notat Doering. sed recte quoque se habere *pacatos agros*. Inf. XLIII, 4, *quieto exercitu pacatum agrum*

Digitized by Google

nocte solitus erat movere castra, ne nox terrorem in tumultuario prælio augeret, lucem exspectavit, et, quum luce moveret, tamen turmam equitum exploratum misit. Postquam relatum est, quantæ copiæ et in quo loco essent, totius agminis sarcinas in medium conjici jussit, et triarios vallum[3] circumjicere; cætero exercitu instructo ad hostem accessit. Idem et Galli fecerunt, postquam apertas esse insidias, et recto, ac justo prælio, ubi vera virtus vinceret, dimicandum viderunt.

V. Hora secunda ferme concursum est. Sinistra sociorum ala et extraordinarii[1] prima in acie pugnabant. Præerant duo consulares legati, M. Marcellus et Ti. Sempronius, prioris anni consul. Novus consul nunc ad prima signa erat, nunc legiones continebat in subsidiis, ne certaminis studio prius procurrerent, quam datum signum esset. Equites earum extra aciem in locum patentem Q. et P. Minucios tribunos militum educere jussit: inde, quum signum dedisset, impetum ex aperto facerent[2]. Hæc agenti nuntius venit a Ti. Sempronio Longo, *non sustinere extraordinarios impetum Gallorum, et cæsos permultos esse, et, qui supersint, partim labore, partim metu remi-*

peragravit. Ed. — *Multa nocte;* vide ad XXII, 52, n. 1.

3. *Triarios vallum circumjicere,* id est, circa sarcinas in medium depositas vallum jacere; ut vallo objecto sarcinæ in tuto essent, ac præsertim, ut haberent ii qui pugnaturi erant, quo se reciperent, si pellerentur; ea notante Creverio. Castris custodiendis *triarii* vulgo relinquebantur; vid. Lips. de Mil. rom. IV, Dial. 1. Ed.—*Apertas esse insidias* suas, non amplius occultas.

Cap. V. 1. *Sinistra sociorum ala et extraordinarii;* vide ad III, 5, n. 3, et XXV, 21, n. 4. Omnes MSS, præter Voss. et edd. vett. post *sociorum* addunt *equitum:* sed solos ibi pedites fuisse, e seqq. patere jam monuit Lips. Mil. rom. II, 7. Confer. et Schel. ad Polyb. cap. 12.

2. *Impetum ex aperto* loco (quem modo *patentem* dixerat) ut *facerent,* scil. jussit. Mutata constructio; nisi cum Gronovio leg. *facere,* scilicet *jussit.*

Digitized by Google

sisse ardorem pugnæ. Legionem alteram ex duobus, si videretur, submitteret, prius quam ignominia acciperetur. Secunda legio missa est, et extraordinarii recepti. Tum redintegrata est pugna. Quum et recens miles, et frequens ordinibus legio successisset, et sinistra ala ex prælio subducta est; dextra in primam aciem subiit. Sol ingenti ardore torrebat minime patientia æstus corpora Gallorum[3]: densis tamen ordinibus nunc alii in alios, nunc in scuta incumbentes, sustinebant impetus Romanorum. Quod ubi animadvertit consul, ad perturbandos ordines eorum C. Livium Salinatorem, qui præerat alariis equitibus, quam concitatissimos equos immittere jubet; et legionarios equites in subsidiis esse. Hæc procella equestris primo confudit et turbavit, deinde dissipavit aciem Gallorum; non tamen, ut terga darent. Obstabant duces, hastilibus cædentes terga trepidantium, et redire in ordines cogentes: sed interequitantes alarii non patiebantur. Consul obtestabatur milites[4], *Ut paululum adniterentur: victoriam in manibus esse. Dum perturbatos et trepidantes viderent, instarent. Si restitui ordines sissent, integro rursus eos prælio et dubio dimicaturos*. Inferre vexillarios jussit signa. Omnes connisi tandem averterunt hostem. Postquam terga dabant, et in fugam passim effundebantur, tum ad persequendos eos legionarii equites immissi. Quatuordecim millia Boiorum eo die cæsa sunt; vivi capti mille nonaginta duo: equites septingenti viginti unus, tres duces

3. *Minime patientia æstus corpora Gallorum;* vide ad V, 44, n. 4. — *Alariis equitibus* et *legionariis;* vide ad XXV, 21, n. 4. — *Hastilibus cædentes*, petentes et ferientes, sc. punctim, non cæsim; Ern.

4. *Consul obtestabatur milites*, etc. forte leg. *Consul obtestatus milites... dimicaturos, inferre*, etc. Gron. Possis et: *Ut inferre vexillarios jussit signa*, etc. Drak. De *vexillariis* vide ad Tacit. Ann. I, 17, n. 2.

Digitized by Google

eorum; signa militaria ducenta duodecim, carpenta sexaginta tria. Nec Romanis incruenta victoria fuit. Supra quinque millia militum, ipsorum aut sociorum, sunt amissa, centuriones tres et viginti, præfecti socium quatuor, et M. Genucius et M. Marcius, tribuni militum secundæ legionis.

VI. Eodem fere tempore duorum consulum literæ allatæ sunt, L. Cornelii de prælio ad Mutinam cum Boiis facto, et Q. Minucii a Pisis: *Comitia suæ sortis esse*[1]. *Cæterum adeo suspensa omnia in Liguribus se habere, ut abscedi inde, sine pernicie sociorum et damno reipublicæ, non possit. Si ita videretur Patribus, mitterent ad collegam, ut is, qui profligatum bellum*[2] *haberet, ad comitia Romam rediret: si id facere gravaretur, quod non suæ sortis id negotium esset, se quidem facturum, quodcumque senatus censuisset; sed etiam atque etiam viderent*[3], *ne magis e republica esset interregnum iniri, quam ab se in eo statu relinqui provinciam.* Senatus C. Scribonio negotium dedit, ut duos legatos ex ordine senatorio mitteret ad L. Cornelium consulem, qui literas collegæ ad senatum missas deferrent ad eum, et nuntiarent, *senatum, ni is ad magistratus subrogandos*

Cap. VI. 1. *Comitia suæ sortis esse* (ut mox *negotium suæ sortis*), eorum habendorum potestatem ac jus sibi sorte evenisse (vide ad X, 26, n. 4): nam consules initio jam magistratus inter se comparabant nonnunquam sortiebanturve, uter comitiis ejus anni præesset. Conf. ad cap. 20, n. 2; ad XXXIX, 6 pr. XXXIX, 32. Hæc vero et seqq. verba sunt Q. Minucii.

2. *Profligatum bellum;* vide ad III, 50, n. 5.

3. *Sed etiam atque etiam viderent,* prospicerent, caverent, curarent, *ne magis e republica esset,* etc. vide ad I, 27, n. 5. Imperativus etiam et conjunctivus verbi *videre* seq. *ne* (*vide ne, videant ne,* ut et *videndum est ne*) ponitur pro *vereor;* quæ est elegans ratio, sub specie dubitationis modestæ et judicium alteri relinquendi, suam sententiam dicendi; Ern. in Clav. Cic. Conf. ad II, 40, n. 3, et XXVIII, 44, n. 6, et Duk. ad h. l. — Codd. omnes apud Hearn. Crev. et Drak. constanter servant *si magis,*

Digitized by Google

Romam veniret, potius, quam Q. Minucius a bello integro avocaretur, interregnum iniri passurum. Missi legati renuntiarunt, *L. Cornelium ad magistratus subrogandos*[4] *Romam venturum.* De literis L. Cornelii, quas scripserat secundum prælium cum Boiis factum, disceptatio in senatu fuit, quia privatim plerisque senatoribus[5] legatus M. Claudius scripserat, *Fortunæ populi romani et militum virtuti gratiam habendam, quod res bene gesta esset. Consulis opera et militum aliquantum amissum, et hostium exercitum, cujus delendi oblata fortuna fuerit, elapsum. Milites eo plures perisse, quod tardius ex subsidiis qui laborantibus opem ferrent, successissent. Hostes e manibus emissos, quod equitibus legionariis et tardius datum signum esset, et persequi fugientes non licuisset.*

VII. De ea re nihil temere decerni placuit: ad frequentiores[1] consultatio dilata est. Instabat enim cura alia, quod civitas fenere laborabat; et quod, quum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus[2], nomina transcriberent: ita libero fenere obruebant debitores. Cujus coercendi quum ratio quæ-

quod recte defendi posse putat Doer. scilicet, ut exempla ad IV, 20, § 8, a Drak. collata docent, *si* sæpius pro *an*, *annon*, poni solet. Jungendum igitur et explicandum: « sed etiam atque etiam perpenderent, annon interregnum interea iniri magis fortasse, quam relinqui ab se in eo statu provinciam, esset e republica ». Ego tamen malo *ne magis*. Ed.

4. *Ad magistratus subrogandos;* vide ad II, 8, n. 4.

5. *Plerisque...senatoribus scripserat;* vide ad X, 13, n. 12.

Cap. VII. 1. *Ad frequentiores*, ad frequentiorem senatum. Metellus, cap. 8, dicit, eo dilatam esse consultationem, ut præsentibus auctoribus earum literarum disceptaretur; Dukerus.

2. *Via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus*, etc. vide ad VII, 16, n. 1. — *Libero fenere*, legibus non circumscripto, quod pro arbitrio postulantur a creditoribus, quibus licebat exigere, quantum vellent. — *Coercendi ratio;* al. *cernendi*, prob. Ern. ut sit inspi-

Digitized by Google

reretur, diem finiri placuit Feralia[3], quæ proxime fuissent, ut, qui post eam diem socii civibus romanis credidissent pecunias, profiterentur, et ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, jus creditori diceretur. Inde, postquam professionibus detecta est magnitudo æris alieni, per hanc fraudem contracti, M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate Patrum plebem rogavit, plebesque scivit, ut cum sociis ac nomine latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus romanis, esset. Hæc in Italia domi militiæque acta. In Hispania nequaquam tantum belli fuit, quantum auxerat fama. C. Flaminius in citeriori Hispania oppidum Illuciam in Oretanis cepit; deinde in hiberna milites deduxit: et per hiemem prælia aliquot, nulla memoria digna, adversus latronum magis, quam hostium, excursiones, vario tamen eventu, nec sine militum jactura, sunt facta. Majores res gestæ a M. Fulvio. Is apud Toletum oppidum[4] cum Vaccæis Vettonibusque et Celtiberis signis collatis dimicavit;

ciendi. Verum non ideo præcipue socii jussi sunt profiteri pecunias, quas civibus rom. ex Feralibus proximis credidissent, ut earum magnitudo nosceretur, sed ut ratio iniretur liberandi cives fenere, quo a creditoribus obruebantur; Drak. Vide ad VI, 27, n. 4.

3. *Diem finiri* (vid. X, 13, n. 13) *placuit Feralia;* dies festus et parentalis, vel, ut alii putant, dies festi, placandis Manibus sacri, a. d. VIII aut IX Cal. Mart. vid. Intpp. Cic. Ep. ad Attic. IX, 1 pr. et Ovid. Fast. II, 543-570; Plut. Quæst. Rom. cap. 34; Alex. ab Alex. Dier. gen. V, 26. — Varro de Ling. Lat. V, 3, pag. 46, hanc vocem derivat a *ferendo;* « quod *ferunt* tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare ». Illum sequutus est Ovid. loco laudato. « Hanc, quia justa *ferunt*, dixere *Feralia* lucem ». Ed. — Mox junge *pecuniæ creditæ jus diceretur.* — *Quibus debitor vellet* legibus. Ex iis quæ præcedunt, apparere notat Creverius, legibus rom. circumscriptam esse fenerandi licentiam, et e re debitoris fuisse, ut secundum eas leges potius pecuniæ creditæ jus diceretur, sive judicarentur controversiæ de pecuniis creditis, quam secundum leges quibus socii latini nominis utebantur. Permissum igitur debitori, ut romanis vel latinis legibus ex arbitrio uteretur. Ed.

4. *Toletum oppidum* Carpetanorum in Hisp. Tarrac., hod. *Toledo.*—*Vettonibusque,* populo Lusitaniæ circa

Digitized by Google

exercitum earum gentium fudit fugavitque; regem Hilermum vivum cepit.

VIII. Quum hæc in Hispania gerebantur, comitiorum jam adpetebat dies [1]. Itaque L. Cornelius consul, relicto ad exercitum M. Claudio legato, Romam venit. Is in senatu quum de rebus ab se gestis disseruisset, quoque in statu provincia esset; questus est cum Patribus conscriptis, quod, tanto bello una secunda pugna tam feliciter perfecto, non esset habitus diis immortalibus honos. Postulavit deinde, ut supplicationem simul triumphumque decernerent. Prius tamen, quam relatio fieret, Q. Metellus, qui consul dictatorque fuerat, *Literas eodem tempore*, dixit, *et consulis L. Cornelii ad senatum, et M. Marcelli ad magnam partem senatorum, allatas esse, inter se pugnantes; eoque dilatam esse consultationem* [2], *ut præsentibus auctoribus earum literarum disceptaretur. Itaque exspectasse sese, ut consul, qui sciret ab legato suo adversus se scriptum aliquid, quum ipsi veniendum esset, deduceret eum secum Romam; quum etiam verius esset, Ti. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato* [3]. *Nunc videri esse amotum de industria, ne ea, quæ scripsisset, præsens di-*

Tagum, inter Durium et Anam. *Vetonibusque* præstantiores MSS et edd. Livii, Cæsaris, Plinii aliorumque. Sed Οὐέττονες dicuntur Græcis, et *Vettones* in Gruteri Inscr. p. 383 et 591. Conf. ad Sil. III, 378.

Cap. VIII. 1. *Comitiorum adpetebat dies;* vide ad V, 19, n. 2.

2. *Eoque dilatam esse consult.*, vide ad I, 11, n. 6.

3. *Quum etiam verius esset* (vide ad II, 48, n. 2), *Ti. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato;* vide ad XXIX, 6, n. 6. « Ergo legati imperium non habebant? Atqui Scipionis legatus consularis erat, æque ac Marcellus. Sed responderi potest, Sempronio, qui anno priore consul fuerat, prorogatum esse imperium. Itaque et proconsul et legatus Corn. Merulæ erat ». Vales. « Quam sententiam etsi veram esse puto, tamen non magis intelligo, quomodo, qui ipse imperium habebat, consuli imperium habenti, cui itaque parere debebat, legatus esse potuerit, quam quomodo Pleminius, si imperium extraord. a populo acceperat, quod Pigh.

Digitized by Google

ceret, aut argueret coram[4], *et, si quid vani afferret, argui posset, donec ad liquidum veritas explorata esset. Itaque nihil eorum, quæ postularet consul, decernendum in præsentia censere.* Quum pergeret nihilo segnius referre[5], ut supplicatio decerneretur, triumphantique sibi Urbem invehi liceret; M. et C. Titinii tribuni plebis, se intercessuros, si de ea re fieret senatusconsultum, dixerunt.

IX. Censores erant priore anno creati Sex. Ælius Pætus et C. Cornelius Cethegus. Cornelius lustrum condidit[1]. Censa sunt civium capita centum quadraginta tria millia, septingenta quatuor. Aquæ ingentes eo anno fuerunt[2], et Tiberis loca plana Urbis inundavit. Circa portam Flumentanam etiam collapsa quædam ruinis sunt; et porta Cœlimontana fulmine icta

putabat (vide ad XXIX, 6, n. 6), legatus Scipionis fuerit ». Duker.

4. *Præsens diceret, aut argueret coram*, præsens probaret, aut ejus insimularet consulem, *et, si quid vani afferret, posset argui*, id probari, vel ipse vanitatis insimulari, accusari, vituperari. — Crever. locum sic eleganter emendat: *de industria, qui ea, quæ... diceret, et aut arg. coram, aut si*, etc. Lectionem *qui ea* defendit J. Fr. Gronovius, dum relativum eleganter nonnunquam pro *ne* vel simili particula poni, in edit. prim. ad h. l. et ad Senec. de Benef. II, 24, copiose docuit. Ed.

5. *Quum pergeret n. s. referre;* vide ad XXVI, 2, n. 3.

Cap. IX. 1. *Cornelius lustrum condidit;* vide ad I, 44, n. 3. — *Censa sunt civium capita CXLIII millia*, etc. vide ad XXXIX, 7, n. 1. *Ducenta* pro *centum* conj. Pigh. in Ann. ad a. 559, pag. 268; quia ante decennium multo major numerus referatur XXIX, 37, n. 4, isque successu temporis cum imperio crescere soleat. « Hoc quidem rationem habet; sed dubitatio oriri potest, an ibi potius corrupti sint numeri, quam h. l. namque XXVII, 36, tantum CXXXVIII millia eduntur, nec valde verisimile est, durante adhuc bello punico civium numerum quinque annis prope ad 80000 auctum fuisse. Verum nihil vitii in numero esse credo XXIX, 37, quia Livius in illa censura quasi extraordinarium memorat, quod censores per provincias dimiserunt, ut civium rom. in exercitibus numerus referretur. Dubitationem Pighii confirmat, quod sequente lustro 258000 censi sunt, XXXVIII, 36. Si Liv. XXXII, 7, numerum civium, qui ante quinquennium censi fuerant, retulisset, certius aliquid de hac re statui posset ». Duk.

2. *Aquæ ingentes eo anno fuerunt*, etc. vide supra ad librum XXIV, cap. 9, n. 4.

Digitized by Google

est; murusque circa multis locis de cælo tactus. Et Ariciæ et Lanuvii et in Aventino lapidibus pluit; et a Capua nuntiatum est, examen vesparum ingens in forum advolasse, et in Martis æde consedisse. Eas collectas cum cura, et igni crematas esse. Horum prodigiorum causa decemviri libros adire jussi[3], et novemdiale sacrum factum, et supplicatio indicta est, atque Urbs lustrata. Iisdem diebus ædiculam Victoriæ Virginis, prope ædem Victoriæ, M. Porcius Cato dedicavit biennio post, quam vovit. Eodem anno coloniam latinam in agrum Thurinum triumviri deduxerunt Cn. Manlius Vulso, L. Apustius Fullo, Q. Ælius Tubero, cujus lege deducebatur[4]. Tria millia peditum iere, trecenti equites: numerus exiguus pro copia agri. Dari potuere tricena jugera in pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, novos colonos adscribere possent[5]. Vicena jugera pedites, quadragena equites acceperunt.

3. *Decemviri libros adire jussi;* vide ad III, 10, n. 6. — *Novemdiale sacrum;* vide ad I, 31, n. 3. — *Urbs lustrata;* vide ad I, 28, n. 2. — *Victoriæ Virginis;* conf. Sex. Rufus et P. Victor. *Vict. Victricis* conj. Ursin. ex denariis gentis Porciæ. Neutrum cognomen alibi obvium. — Præter morem nunc addi *Virginis* censet Doering. quia nempe Victoria, ut *Virgo alata*, laurum vel palmam in manu tenens, repræsentari solet in veteribus monumentis; vid. *Mariett. Pier. grav.* tom. II, P. 1, *pl.* 118, et *Montfauc.* tom. I, *pl.* 208. Ne quis vero miretur *ædi Victoriæ*, quæ fuit in Palatio (XXIX, 14) adjectam fuisse *ædiculam;* supra quoque XXVI, 23, *Victoria* in culmine ædis Concordiæ fulmine icta atque decussa in antefixis ad *Victorias*, hoc est, ad minora quædam Victoriæ signa, hæsisse dicitur. Conf. quæ ibi notantur, ad vol. V, pag. 159. Ed.

4. *Coloniam latinam in agrum Thurinum... deducebatur;* conf. XXXIV, 53. *Thurinum* ex emendat. certissima Sigon. pro antiqua lect. *Trentinum* et *Ferentinum*. Conf. Cluver. Ital. ant. III, 6. Pro *agrum* plerique MSS et edd. vett. *castrum*, non improb. Gron. et Duk. ut idem sit *pagus Thurinus* apud Suet. Oct. 2, et similiter dictum Cic. ad Attic. VIII, 12, *castrum Truentinum*.

5. *Quo novos colonos adscribere possent;* vide supra ad librum IV, cap. 25, n. 4.

Digitized by Google

X. In exitu jam annus erat, et ambitio magis, quam unquam alias, exarserat consularibus comitiis. Multi et potentes petebant patricii plebeiique : P. Cornelius Cn. filius Scipio, qui ex Hispania provincia nuper decesserat magnis rebus gestis, et L. Quintius Flamininus, qui classi in Græcia præfuerat, et Cn. Manlius Vulso; hi patricii. Plebeii autem C. Lælius, Cn. Domitius, C. Livius Salinator, M'. Acilius. Sed omnium oculi in Quintium Corneliumque conjecti; nam et in unum locum[1] petebant ambo patricii; et rei militaris gloria recens utrumque commendabat. Cæterum ante omnia certamen accendebant fratres[2] candidatorum, duo clarissimi ætatis suæ imperatores. Major gloria in Scipione, et, quo major, eo propior invidiam. Quintii recentior, ut qui eo anno triumphasset. Accedebat, quod alter decimum jam prope annum assiduus in oculis hominum fuerat; quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit : consul iterum post devictum Hannibalem censorque fuerat[3]. In Quintio nova et recentia omnia ad gratiam erant : nihil nec petierat a populo post triumphum, nec adeptus erat;

Cap. X. 1. *In unum locum*, ejusdem honoris (vide ad IV, 16, n. 5) obtinendi causa (nam alter consulum utique ex plebe creandus erat, vide ad VI, 35, n. 4), *petebant*, ut initio cap. *multi et potentes petebant*, scil. suffragia seu consulatum. (Sic et inf. cap. 24, n. 1; XXXVII, 47, n. 3, et al.) Durius certe *in unum* dictum pro *unum*. Suspicarer *hi* pro *in*, nisi eadem dictio repeteretur inf. cap. 24.

2. *Fratres candidatorum;* T. Quintius Flamininus et P. Cornelius Scipio Africanus; qui tamen illius Scipionis non *frater* germanus, sed patruelis erat. Conf. n. 4. Ita passim *frater* dicitur. Confer. Drak. ad h. l. Intpp. Justini, XVII, 3; Gron. Obss. II, 6; Periz. Anim. Hist. cap. 3, pag. 106. Mox alii *major gloria Scipionis* et *eo propior invidiæ*. Confer. ad II, 48, n. 5.

3. *Consul iterum*, etc. ante *consul* excidisse videtur *et;* forteque leg. *hominum (quæ res... facit), et consul... fuerat.* — *Minus verendos*, etc. Creverius observat hic a Livio adjici potuisse, quod Val. Maxim. testatur lib. II, cap. 4, eo alienatum esse a Scipione vulgi animum, quod auctor fuisset secernendi a populo senatus in ludis spectandis. Ed.

Digitized by Google

pro fratre germano, non patruele[4], *se petere* aiebat; *pro legato et participe administrati belli. Se terra, fratrem mari, rem gessisse.* His obtinuit, ut præferretur candidato, quem Africanus frater ducebat; quem Cornelia gens, Cornelio consule comitia habente; quem tantum præjudicium senatus, virum e civitate optimum judicatum, qui matrem Idæam Pessinunte venientem in Urbem acciperet. L. Quintius et Cn. Domitius Ahenobarbus consules facti. Adeo ne in plebeio quidem consule, quum pro C. Lælio niteretur, Africanus valuit. Postero die prætores creati L. Scribonius Libo, M. Fulvius Centumalus, A. Atilius Serranus, M. Bæbius Tamphilus, L. Valerius Tappo[5], Q. Salonius Sarra. Ædilitas insignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi et L. Æmilii Paulli. Multos pecuarios damnarunt: ex ea pecunia clypea inaurata in fastigio Jovis ædis posuerunt. Porticum unam[6] extra portam Trige-

4. *Pro fratre germano, non patruele... Africanus frater* patruelis; conf. n. 2. — Ex vet. libro Sigonius edidit *Africanus fraterque*, h. e. L. Scipio, postea *Asiatici* cognomen adeptus; sed eam lectionem hic non locum habere censet Doeringius, quia modo dictum est *fratres candidat. duo clar. æt. suæ imperatores;* deinde quia paulo ante dixit Quintius se non, ut Africanus pro *patruele*, sed pro *germano* fratre petere; denique quia L. Scipio tum temporis nondum fuit is, cujus in commendando candidato aliquid valeret auctoritas. Ed.—*Frater ducebat*, ed. Grut. ult. et seqq. *deducebat.* Nil interest. Conf. ad VI, 34, n. 6. Romæ autem candidati die comitiorum a cognatis aut amicis, populo gratiosis, in campum Martium *deduci* solebant, ut facilius votorum fierent compotes, et ab illis commendarentur adjuvarenturve. Hinc mox *quem tantum præjudicium* (vide ad III, 40, n. 10) *senatus*, sc. ducebat, hoc est, commendabat seu adjuvabat (conf. Val. Max. IV, 5, n. 3, et sup. ad I, 33, n. 7), *virum e civitate*, civibus, *optimum..... acciperet;* vide supra XXIX, 14. — *Matrem Idæam Pessinunte venientem;* vid. ad XXIX, 10, n. 6.

5. *L. Valerius Tappo* Drak. pro vulg. *Tappus*, quod tamen XXXVII, 57, et XXXVIII, 36, retinuit. — *Multos pecuarios damnarunt;* vide ad X, 23, n. 11. *Damnarunt* vero pro: effecerunt accusatione, ut in judicio populi damnarentur, quod patet ex XXXIII, 42. Sic et XXXVIII, 35, n. 4 et 5. Conf. ad VII, 16, n. 6. — *Clypea inaurata;* vide ad XXV, 39, n. 7.

6. *Porticum unam... emporio... a*

Digitized by Google

minam, emporio ad Tiberim adjecto; alteram a porta Fontinali ad Martis aram, qua in Campum iter esset, perduxerunt.

XI. Diu nihil in Liguribus dignum memoria gestum erat. Extremo ejus anni bis in magnum periculum res adducta est. Nam et castra consulis oppugnata, ægre sunt defensa; et non ita multo post, per saltum angustum quum duceretur agmen romanum, ipsas fauces exercitus Ligurum insedit. Qua quum exitus non pateret, converso agmine redire institit consul[1]. Et ab tergo fauces saltus occupatæ a parte hostium erant, Caudinæque cladis memoria non animis modo, sed prope oculis, obversabatur. Numidas octingentos ferme equites inter auxilia habebat. Eorum præfectus consuli pollicetur, *Se parte, utra vellet, cum suis erupturum. Tantum uti diceret, utra pars frequentior vicis esset. In eos se impetum facturum, et nihil prius quam flammam tectis injecturum, ut is pavor cogeret Ligures excedere saltu, quem obsiderent, et discurrere ad opem ferendam suis.* Collaudatum eum consul spe præmiorum onerat. Numidæ equos conscendunt, et obequitare stationibus hostium, neminem lacessentes, cœperunt. Nihil primo adspectu contemptius. Equi hominesque paululi et graciles; discinctus et inermis eques[2], præterquam quod jacula secum portat; equi

porta Fontinali ad Martis aram in *Campo* Martio. Conf. XL, 45; Donat. Urb. rom. I, 21, III, 13; Nardin. Rom. vet. I, 9, VI, 7, VII, 9.

Cap. XI. 1. *Redire institit consul;* vide ad XXIV, 26, n. 7. Post *consul* excidit *sed,* aut potius more Livii per ἀσύνδετον omissum. Illud suspicabatur Gron., hoc Bauer. — Gronovii conjecturam, ut elegantem, probat Doer. Ed. — *Mem. non an. modo, sed* etiam *imago pr. oculis obv.*, sc. similitudine rei præsentis, ut memoria quasi imago esset; Bauer.

2. *Discinctus eques*, veste laxiore aut fluente utens, more Afrorum molliumque hominum. Conf. ad Sil. II, 56; III, 236, et de toto h. l. Lips. Mil. rom. III, 8. — *Equi sine frenis:* quos virga regunt etiam nunc Mauri;

Digitized by Google

sine frenis, deformis ipse cursus rigida cervice et extento capite currentium. Hunc contemptum de industria augentes, labi ex equis[3], et per ludibrium spectaculo esse. Itaque, qui primo intenti paratique, si lacesserentur, in stationibus fuerant, jam inermes sedentesque pars maxima spectabant. Numidæ adequitare, dein refugere, sed propius saltum paulatim evehi[4]; velut quos impotentes regendi equi invitos efferrent. Postremo subditis calcaribus inter medias stationes hostium erupere, et, in agrum latiorem evecti, omnia propinqua viæ tecta incendunt. Proximo deinde vico inferunt ignem; ferro flammaque omnia pervastant. Fumus primo conspectus, deinde clamor trepidantium in vicis auditus, postremo seniores puerique refugientes tumultum in castris fecerunt. Itaque sine consilio, sine imperio, pro se quisque currere ad sua tutanda; momentoque temporis castra relicta erant, et obsidione liberatus consul, quo intenderat, pervenit[5].

vide ad Sil. I, 215.—*Rigida cervice*, scil. *capite* ad terram demisso et *extento*, protento. Contra et *rigida cervix* dicitur, quæ nimis in tergum reclinata est; vide Ernest. ad Suet. Tib. 68, et Clav. Cic. voc. *obstipus*.

3. *Hunc contemptum de industria augentes labi ex equis* inverse dictum pro *augere* seu auxerunt *labendo*, aut *augentes* pro *aucturi*, ut augerent, quia volebant augere; Bauer. Forte leg. *Hunc contemptum ut de i. augerent, et labi*, etc.

4. *Propius saltum paulatim evehi*; at jam ipsi in saltu erant, quem consul cum exercitu rom. ingressus erat; unde puto, *saltum* esse fauces saltus ab Liguribus insessas et angustias aditus, sic ut *saltus Thermopylarum* XXXVI, 15, quem locum, cap. 16, *portas* vocat; Duk.—Ad vocem *saltum* Doering. suppleri posse putat: quo evcherentur, hoc est, quo esset exitus. Ed. — *Equi invitos efferrent*, ut III, 5, 61; IV, 29. *Auferrent* conj. Gron. non improb. Drak. Confer. ad XXX, 18, n. 4. — Sane *auferri* sæpius dicuntur ii, qui vi quadam et impetu ita abripiuntur, ut resistere nequeant. Sed vulgatam defendit Doering. his exemplis: III, 5, *Furium longius extulit cursus*; et IV, 29, *Messium impetus extulit ad castra Volscorum*. Ed. — *Inter medias stationes hostium erupere*, ut III, 36; V, 46, al. *per medias* edd. ante Drak. *per intermissas st. h.* conj. Oudend. ad Frontin. Strat. I, 5, n. 16, prob. Duk.

5. *Quo intenderat* iter, pervenire, *pervenit*; vide ad IV, 19, n. 1.

Digitized by Google

XII. Sed neque Boii, neque Hispani, cum quibus eo anno bellatum erat, tam inimice infesti[1] erant Romanis, quam Ætolorum gens. Ii post deportatos ex Græcia exercitus primo in spe fuerant, et Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum; nec Philippum, aut Nabin quieturos. Ubi nihil usquam moveri viderunt, agitandum aliquid miscendumque rati, ne cunctando senescerent consilia, concilium Naupactum indixerunt. Ibi Thoas prætor eorum, conquestus injurias Romanorum statumque Ætoliæ, *quod omnium Græciæ gentium civitatiumque inhonoratissimi*[2] *post eam victoriam essent, cujus causa ipsi fuissent*, legatos censuit circa reges mittendos, qui non solum tentarent animos eorum, sed suis quemque stimulis moverent ad romanum bellum. Damocritus ad Nabin, Nicander ad Philippum, Dicæarchus frater prætoris ad Antiochum est missus. Tyranno lacedæmonio Damocritus, *ademptis maritimis civitatibus enervatam tyrannidem*, dicere. *Inde militem, inde naves navalesque socios habuisse. Inclusum suis prope muris Achæos videre dominantes in Peloponneso. Nunquam habiturum recuperandi sua occasionem*[3], *si*

Cap. XII. 1. *Tam inimice infesti* omnes fere MSS; forte et Mogunt. probb. Gron., Duk. et Cort. ad Sallust. Cat. XIX, 1. Hinc illud recepi pro vulg. *tam inimici infestique;* quod tamen firmari potest coll. XXII, 39, et XXVIII, 29. — *Agitandum aliquid*, turbandum, *miscendumque;* vide ad XXX, 32, n. 3; Cort. ad Sallust. Cat. XXXVIII, 3, et Jug. XLI, 10. — *Ne cunctando senescerent consilia* (vide ad I, 22, n. 3), *concilium Naupactum ind.* vide ad IV, 25, n. 4.

2. *Inhonoratissimi*, minimis, tenuissimis, nullis admodum præmiis ornati; Bauer. Conf. ad XXXVII, 54, n. 3. — *Circa reges legatos mittendos;* vide ad I, 4, n. 11. — *Suis quemque stimulis moverent*, rationibus cuique aptis, conditioni cujusque accommodatis, congruis. — *Dicæarchus frater prætoris* (Thoantis), etc. vide ad cap. 32, n. 2, ad XXXVI, 28, n. 2; Polyb. XVII, 10, § 9; XX, 10, § 5; XXII, 14, § 13.

3. *Nunquam habiturum recuperandi sua occasionem:* Gron. conj. *n. h. suam occ.* deleto voc. *recuperandi*, quod a Voss. MS abest, et interposi-

Digitized by Google

eam, quæ tum esset, prætermisisset. Nullum exercitum romanum in Græcia esse; nec propter Gythium, aut maritimos alios Laconas, dignam causam existimaturos Romanos, cur legiones in Græciam rursus transmittant. Hæc ad incitandum animum tyranni dicebantur, ut, quum in Græciam Antiochus trajecisset, conscientia violatæ per sociorum injurias romanæ amicitiæ, conjungeret se cum Antiocho. Et Philippum Nicander haud dissimili oratione incitabat. Erat etiam major orationi materia, quo ex altiore fastigio rex, quam tyrannus, detractus erat [4], quoque plures ademptæ res. Ad hoc vetusta regum Macedoniæ fama, peragratusque orbis terrarum victoriis ejus gentis referebatur. *Et tutum vel incepto, vel eventu se consilium afferre. Nam neque, ut ante se moveat Philippus, quam Antiochus cum exercitu transierit in Græciam, suadere; et, qui sine Antiocho adversus Romanos Ætolosque tam diu sustinuerit bellum, ei, adjuncto Antiocho, sociis Ætolis, qui tum graviores hostes, quam Romani, fuerint, quibus tandem viribus resistere Romanos posse?* Adjiciebat de duce Hannibale, nato adversus Romanos hoste, qui plures et duces et milites eorum occidisset, quam quot [5] superessent.

tum videri potest ex verbis extremis hujus cap. Conf. ad I, 56, n. 10. Idem Gron., nec non Duk. et Crev. mox τὸ *propter* ante *Gythium* delendum putabant. Forte leg. *nec profecto Gythium*, etc. Similiter, cap. 17, *parvas et vix dictu dignas belli causas tanto regi eas civitates esse.* — *Romanæ amicitiæ.* J. Fr. Gronov. tentat: *consc. viol. per soc. inj. rom.* (sc. *amicitiæ*) *amicitiam jungeret cum Ant.* Sed nostra lectio cod. Mogunt. firmata bene se habet. Ed.

4. *Detractus erat.* Doering. conjiciebat *detrusus* vel *dejectus erat*, sed nihil mutandum esse vidit ex loco inf. XXXVII, 45, *majestatem ab summo fastigio ad medium detrahi.* Ed. — *Peragratusque orbis*, etc. Exquisitum loquendi genus notat Doering. pro: et ejus gentis victoriæ quæ terrarum orbem peragrassent, hoc est, per terrarum orbem celebratæ, referebantur. Ed.—*Et tutum vel incepto vel eventu*, forte *inceptu:* ut in Præf. *fœdum inceptu, fœdum exitu;* Ant. Periz. et Bauer.

5. *Plures quam quot superessent:*

Digitized by Google

Hæc Philippo Nicander. Alia Dicæarchus Antiocho, et omnium primum, *prædam de Philippo Romanorum esse* dicere, *victoriam Ætolorum, et aditum in Græciam Romanis nullos alios, quam Ætolos, dedisse; et ad vincendum vires eosdem præbuisse.* Deinde quantas peditum equitumque copias præbituri Antiocho ad bellum essent; quæ loca terrestribus copiis, quos portus maritimis. Tum de Philippo et Nabide libero mendacio abutebatur [6]: *paratum utrumque ad rebellandum esse, et primam quamque occasionem recuperandi ea, quæ bello amisissent, arrepturos.* Ita per totum simul orbem terrarum Ætoli Romanis concitabant bellum. Reges tamen aut non moti, aut tardius moti sunt.

XIII. Nabis extemplo circa omnes vicos maritimos dimisit, ad seditiones in iis miscendas; et alios principum donis ad suam causam perduxit, alios pertinaciter in societate romana manentes occidit. Achæis omnium maritimorum Laconum tuendorum a T. Quintio cura mandata erat. Itaque extemplo et ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerent fœderis eum romani [1], denuntiarentque, ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret; et auxilia ad Gythium, quod jam oppugnabatur a tyranno, et Romam, qui ea nuntiarent, legatos miserunt. Antiochus rex, ea hieme Raphiæ in Phœnice [2] Ptolemæo regi Ægypti filia in

redundat *quot*, f. intrusum a librariis.

6. *Libero mendacio abutebatur;* vide ad XXIV, 22, n. 1, et XXVII, 46, n. 6.

Cap. XIII. 1. *Fœderis eum romani*, h. e. cum Romanis. — *Legatos miserunt* bis in periodo repetitur; in priori loco τὸ *miserunt* delendum putabat Crev. sed cur non et τὸ *legatos?* inquit Doering. Cæterum in his, quas incuria fudit, maculis haud sollicitandam esse Livii orationem jam notavimus. Ed.

2. *Raphiæ in Phœnice*, cui etiam tribuitur a Strab. XVI, p. 759, etsi ab aliis Palæstinæ vel, cujus nomine ea quoque comprehenditur, Cœlesyriæ; qui etiam docent, Raphiam seu

Digitized by Google

matrimonium data, quum Antiochiam se recepisset, per Ciliciam, Tauro monte superato, extremo jam hiemis Ephesum pervenit: inde principio veris, Antiocho filio misso in Syriam ad custodiam ultimarum partium regni, ne quid, absente se, ab tergo moveretur, ipse cum omnibus terrestribus copiis ad Pisidas, qui circa Sidam incolunt[3], oppugnandos est profectus. Eo tempore legati romani P. Sulpicius et P. Villius, qui ad Antiochum (sicut ante dictum[4] est) missi erant, jussi prius Eumenem adire, Elæam venere; inde Pergamum (ibi regia Eumenis fuit) escenderunt. Cupidus belli adversus Antiochum Eumenes erat, gravem, si pax esset, accolam tanto potentiorem regem credens; eumdem, si motum bellum esset, non magis parem Romanis fore, quam Philippus

Rhaphæam (ita apud Plin. V, 13 seu 14) primam esse urbem, quæ proficiscentibus ex Ægypto in Cœlesyriam occurrat, parique intervallo XXII mil. pass. distare a Gaza et Rhinocorura vel potius *Rhinocolura* (vide ad XLV, 11), extremo opp. Ægypti versus Cœlesyriam, quod Strabo l. l. Palæstinæ, et Diodorus, I, 60, Ægypto assignant, et a naribus mutilatis latronum dicunt ita appellatum. Confer. Intpp. Steph. Byz. et Itin. Ant. p. 151 sq. Schweigh. ad Polyb. V, 80, § 3; V, 82, 85, 86; Noris. Epoch. Syr. Macc. V, 4, 2, pag. 518; Relandi Palæst. III, p. 967, 970; Hard. ad Plin. V, 13.

3. *Ad Pisidas, qui circa Sidam incolunt*, opp. in confinibus Pamphyliæ et Pisidiæ situm; unde etiam a Polyb. V, 73, Pisidiæ tribuitur, sed a Strab. XII, p. 569, et aliis Pamphyliæ. *Sindam* emend. Jac. Gronov. putans, hoc esse opp. Pisidiæ, ab illo diversum, et inde dictos *Sindensium agros* XXXVIII, 15 (ubi *Sidensium* edd. vett.); et *Selgam*, quæ haud dubie Pisidarum est, Gelen. et Sigon. *Sicam* et *Sitam* MSS. Confer. XXXV, 48; XXXVII, 23; Strab. XIV, p. 667; Schweigh. ad Polyb. V, 73, § 3, ad Appian. Pun. 123, et Hard. ad Plin. V, 26.

4. *Si ut ante dictum est* XXXIV, 59. — *Inde Pergamum escenderunt* ex emend. Gron. Conf. ad XXXIV, 28, n. 1. Plurimi MSS et edd. antt. *descenderunt:* quidam *adscenderunt*, prob. Gelen. quia ad mediterranea adscendatur. Pro *ibi* quidam MSS et edd. ante Ald. *ubi*. Utrumque ab aliquo adsutum videtur, qui ignorabat, *regias* etiam XLIV, 46, Flor. II, 9, et al. urbes dici, in quibus sedes regum sunt; Duk. — *Gravem, si pax esset... credens.* Junge: *credens regem, tanto se potentiorem, gravem, si pax esset, adcolam* sibi fore. Doe-

Digitized by Google

fuisset, et aut funditus sublatum iri, aut, si pax victo daretur, multa illi detracta sibi accessura; ut facile deinde se ab eo sine ullo romano auxilio tueri posset. Etiam, si quid adversi casurum foret [5], satius esse romanis sociis quamcumque fortunam subire, quam solum aut imperium pati Antiochi, aut abnuentem vi atque armis cogi. Ob hæc, quantum auctoritate, quantum consilio valebat, incitabat Romanos ad bellum.

XIV. Sulpicius æger Pergami substitit. Villius, quum Pisidiæ bello occupatum esse regem audisset, Ephesum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit operam, ut cum Hannibale, qui tum ibi forte erat, sæpe congrederetur; ut animum ejus et tentaret, si qua posset [1], et metum demeret periculi ei quidquam ab Romanis esse. His colloquiis aliud quidem actum nihil est: sequutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea regi Hannibal et suspectior ad omnia fieret. Claudius, sequutus græcos Acilianos libros [2], P. Africanum in ea fuisse legatione tradit, eumque Ephesi colloquutum cum Hannibale. Et sermonem etiam unum refert, quo quærenti Africano, *quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet?* respondisse, *Alexandrum*

ring. putat forte excidisse τὸ *se* ante *potentiorem*. Ed.

5. *Si quid adversi casurum foret;* vide ad VI, 42, n. 7.

Cap. XIV. 1. *Si qua posset*, sc. ratione, ut XLII, 46 extr. et al.—*Actum nihil est: sequutum tamen sua sponte est:* alterum *est* dele; Gron. Forte et leg. *effectum tamen.*

2. *Claudius, sequutus græcos Acilianos libros*, etc. vide ad XXV, 39, n. 6. « Livius non alium hujus historiæ auctorem habuisse videtur: de qua etsi judicium suum non interponit, tamen fictam ei visam fuisse, colligi potest ex XXXIV, 59, 62, coll. XXXV, 10, 20 et 12 ». Duk. ad Epit. Saltem inde patet, Africanum longe prius Romam rediisse, quam legatos ad Antiochum in Asiam missos. — *Et sermonem etiam unum refert*, etc. idem colloquium Scipionis cum Hannibale refert Appian. Syr. 10; et suo more exornavit Lucian.

Digitized by Google

Macedonum regem; quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quærenti deinde, *quem secundum poneret? Pyrrhum*, dixisse. *Castra metari primum docuisse*[3]. *Ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse: artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, ut italicæ gentes regis externi, quam populi romani, tamdiu principis in ea terra, imperium esse mallent.* Exsequenti, *quem tertium duceret?* haud dubie *semet ipsum* dixisse. Tum risum obortum Scipioni, et subjecisse[4]: « Quidnam tu diceres, si me vicisses? » « Tum « me vero, inquit, et ante Alexandrum, et ante Pyr- « rhum, et ante omnes alios imperatores esse. » Et perplexum punico astu responsum, et improvisum adsentationis genus Scipionem movisse, quod e grege se imperatorum velut inæstimabilem secrevisset.

XV. Villius ab Epheso Apameam processit. Eo et

Dial. Mort. XII. — *Quodque oras.* In quibusdam codd. ante *oras* additur *ultimas*, quod Drak. ut glossam rejicit; tuetur vero Doeringius, haud superfluum plane arbitratus: quæ quidem vox, si a Livio profecta esset, is potius scripturus fuisse videtur, *quodque oras, quas... esset, ultimas peragrasset.* Ed. — *Peragrasset*, ut XLV, 9. *Victoriis peragrasset* conj. Crev. coll. cap. 12.

3. *Castra metari primum docuisse*, exemplo suo Pyrrhum Romanos, etc. Conf. Donat. in Terent. Eun. IV, 13, et Plut. Pyrrh. pag. 387. — *Neminem elegantius*, prudentius, scitius, aptius, cum meliori judicio (conf. cap. 31, forte et 37, 1, coll. Cic. Senect. 5, Verr. III, 60 al.), *loca cepisse*, ut apud Tacit. Agric. 22, *non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse.* — *Præsidia disposuisse:* malim *et aciem d.* — *Exsequenti;* vide supra ad librum V, cap. 15, not. 8.

4. *Tum risum obortum Scipioni, et subjecisse* (vide ad XXIX, 15, n. 1), sc. eum. Ita passim casum pronominis, præcedente alio casu, supplendum esse, docent Duk. et Drak. Conf. ad XXVIII, 43, n. 6 (ubi genus loquendi nimis abruptum et lectio mutanda videbatur Gron.), et XXX, 42, n. 6. *Tum risu oborto Scipionem subjecisse* Lov. 2, et edd. Sigon. — *Perplexum*, hoc est, ambiguum; nimirum astute, ut observat Doering. Hannibal circuitione aliqua usus fuerat, ut eo gravius de Scipione judicium subjiceret. Ed.

Digitized by Google

Antiochus, audito Romanorum legatorum adventu, occurrit[1]. Apameæ congressis disceptatio eadem ferme fuit, quæ Romæ inter Quintium et legatos regis fuerat. Mors nuntiata Antiochi, filii regis, quem missum paulo ante dixeram in Syriam, diremit colloquia. Magnus luctus in regia fuit, magnumque ejus juvenis desiderium. Id enim jam specimen sui dederat, ut, si vita longior contigisset, magni justique regis in eo indolem fuisse appareret. Quo carior acceptiorque omnibus erat, eo mors ejus suspectior fuit, gravem successorem eum instare senectuti suæ[2] patrem credentem per spadones quosdam, talium ministeriis facinorum acceptos regibus, veneno sustulisse. Eam quoque causam clandestino facinori adjiciebant, quod, quum Seleuco filio Lysimachiam dedisset[3], Antiocho quam similem daret sedem, ut procul ab se honore eum quoque ablegaret[4], non habuisset. Magni tamen luctus species per aliquot dies regiam tenuit; legatusque romanus, ne alieno tempore incommodus obversaretur[5], Pergamum concessit. Rex Ephesum, omisso, quod inchoaverat, bello, rediit. Ibi, per luctum regia clausa, cum Minione quodam, qui princeps amicorum ejus erat, secreta consilia agitavit. Minio, ignarus omnium externorum, viresque æstimans regis ex rebus in Syria aut Asia gestis, non causa modo supe-

Cap. XV. 1. *Eo et Antiochus..... occurrit;* vide ad XXI, 61, n. 1.

2. *Eum instare senectuti suæ;* vide ad III, 6, n. 5, et ad Juvenal. XIV, 248. — *Per spadones quosdam talium*, etc. conf. ad Tac. Ann. VI, 31, n. 7, XII, 66; Intpp. Curt. III, 12, n. 17, IV, 10, n. 19.

3. *Seleuco filio Lysimachiam d.;* vide ad XXXIII, 40, n. 6.

4. *Ut procul ab se honore eum quoque ablegaret*, vetus lectio, quam defendit Gron. Obss. IV, 16. *Per honorem* emend. Gelen. et Sigon. Ad structuram nil intererit; et *honoris specie* vel *per honoris speciem* frequentius est: sed et c. 17 (ubi vid. n. 2), *per jus* est id. qd. *per juris speciem;* Bauer.

5. *Incommodus obversaretur;* vide ad XXIV, 23, n. 2. — *Per luctum regia clausa;* vid. II, 18, n. 1, et V, 12, n. 6. — *Ex rebus in Syria aut Asia*

Digitized by Google

riorem esse Antiochum, quod nihil æqui postularent Romani, sed bello quoque superaturum credebat. Fugienti regi disceptationem cum legatis, seu jam experto eam minus prosperam, seu mœrore recenti confuso[6], professus Minio, se, quæ pro causa essent, dicturum, persuasit, ut a Pergamo arcesserentur legati.

XVI. Jam convaluerat Sulpicius: itaque ambo Ephesum venerunt[1]. Rex a Minione excusatus, et absente eo res agi cœpta est. Ibi præparata oratione Minio; « Specioso titulo, inquit, uti vos, Romani, græcarum « civitatium liberandarum video: sed facta vestra ora- « tioni non conveniunt; et aliud Antiocho juris sta- « tuistis[2], alio ipsi utimini. Qui enim magis Smyrnæi « Lampsacenique Græci sunt, quam Neapolitani et « Rhegini et Tarentini, a quibus stipendium, a quibus « naves ex fœdere exigitis? Cur Syracusas atque in « alias Siciliæ græcas urbes prætorem quotannis, cum « imperio et virgis et securibus, mittitis? Nihil aliud « profecto dicatis, quam armis superatis vos iis has « leges imposuisse. Eamdem de Smyrna et Lampsaco « civitatibusque, quæ Ioniæ aut Æolidis sunt, causam « ab Antiocho accipite. Bello superatas a majoribus, « et stipendiarias ac vectigales factas[3], in antiquum « jus repetit[4]. Itaque ad hæc ei responderi velim, si

gestis. De rebus, quas feliciter gessit Antiochus tam contra seditiosos populos, quam contra Ptolemæum Philopatora, regem Ægypti, Polyb. IV et V, citat Doering. Ed.

6. *Mœrore recenti confuso;* vide ad VI, 34, n. 7.

Cap. XVI. 1. *Jam convaluerat Sulpicius: itaque ambo* legati rom., Sulpicius Villiusque, *E. v.;* cf. c. 14 pr.

2. *Aliud Antiocho juris statuistis:* sane, quum sequatur *utimini,* neque res præterita, sed futura, et agenda etiam nunc, indicetur, rectius foret, ut Gron. legit, *statuitis:* nisi illud elapsum Livio dixeris; Bauer.

3. *Stipendiarias ac vectigales;* vide ad V, 10, n. 5.

4. *In antiquum jus,* statum, vel ditionem, *repetit,* revocat, revocare

Digitized by Google

« ex æquo disceptatur, et non belli causa quæritur ». Ad ea Sulpicius, « Fecit verecunde, inquit, Antio-« chus, qui, si alia pro causa ejus non erant, quæ di-« cerentur, quemlibet ista, quam se, dicere maluit. « Quid enim simile habet civitatium earum, quas com-« parasti, causa? Ab Rheginis et Neapolitanis et Ta-« rentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, « uno et perpetuo tenore juris[5], semper usurpato, « nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exi-« gimus. Potesne tandem dicere, ut ii populi non per « se, non per alium quemquam fœdus mutaverint, sic « Asiæ civitates, ut semel venerunt in majorum An-« tiochi potestatem, in perpetua possessione regni ve-« stri permansisse, et non alias earum in Philippi, « alias in Ptolemæi fuisse potestate, alias per multos « annos nullo ambigente libertatem usurpasse? Nam « si, quod aliquando servierunt, temporum iniquitate « pressi, jus post tot sæcula asserendi eos in servitu-« tem faciet; quid abest, quin actum nobis nihil sit, « quod a Philippo liberavimus Græciam[6], et repetant « posteri ejus Corinthum, Chalcidem, Demetriadem « et Thessalorum totam gentem? sed quid ego causam « civitatium ago, quam, ipsis agentibus, et nos et re-« gem ipsum cognoscere æquius est? »

vult; ut *in jus ditionemque* XXI, 61, n. 5; XXXII, 33, n. 10; XL, 35, n. 7; et *in jus judiciumque* XXXVI, 39, n. 3, XXXIX, 24, n. 3, XLI, 22.

5. *Perpetuo tenore juris*, eleganter pro: uno eodemque jure; nam quod unum eumdemque modum servat, quod uno eodemque ordine procedit, nec ulla re interrumpitur, ejus constantem et æquabilem continuationem dici *tenorem* monet Doering. Ed. — *Ut ii populi... fœdus mutaverunt* recepi pro vulg. *mutaverint* ex MS Gaertn. et emend. Duk. qui jam monuit, *ut* hic esse pro quemadmodum, eique respondere *sic*. — *Jus post tot sæcula*, etc. Doering. ætates intelligit (γενεάς). Vide supra ad IX, 18, n. 10, t. III, pag. 49. Ed.

6. *Quod a Philippo liberav. Græciam*: malim *liberarimus*: sed enim plurima sic mutanda sunt, ut paulo ante *ut semel venerint*, etc. 17, extr. *quum petierint*, vel *peterent*; Bauer.

Digitized by Google

XVII. Vocari deinde civitatium legationes jussit, præparatas jam ante et instructas ab Eumene, qui, quantumcumque virium Antiocho decessisset, suo id accessurum regno ducebat[1]. Admissi plures, dum suas quisque nunc querelas, nunc postulationes inserit, et æqua iniquis miscent, e disceptatione altercationem fecerunt. Itaque, neque remissa ulla re, neque impetrata, æque ac venerant, omnium incerti legati Romam redierunt. Rex, dimissis iis, consilium de bello romano habuit. Ibi alius alio ferocius; quia, quo quisque asperius adversus Romanos loquutus esset, eo spes gratiæ major erat. Alius superbiam postulatorum increpare, tanquam Nabidi victo, sic Antiocho, maximo Asiæ regum, imponentium leges. *Quanquam Nabidi tamen dominationem*[2] *in patriam suam et patriam Lacedæmonem remissam. Antiocho si Smyrna et Lampsacus imperata faciant, indignum vi-*

Talia centies obvia in oratione obliqua.

Cap. XVII. 1. *Suo id accessurum regno ducebat*, putabat, sperabat. — *Nunc querelas, nunc postulationes inserit:* Baueri nota est: « Cui ergo orationi? At neque nominata hæc, etsi per διάνοιαν suppleri hoc voc. e re ipsa possit: neque inserebantur ista orationi, sed eam constituebant. Legere possis *ingerit*, sc. regi ejusve legato, ut III, 68. Aut perturbatior brevitate oratio, explicanda, ac si foret: querelas postulationibus, postulationes querelis *inserit*, i. e. miscet. *Expostulationes* legit Drak. et mox *et æqua iniquis miscent* pro vulg. *æqua iniquis miscentes*. Illud certe non placet: nam et *expostulationes* idem significant, quod *querelæ*, et in seqq. *neque remissa ulla re, neque impetrata*, prius manifesto *querelas*, posterius, etsi per chiasmum, respicit *postulationes* ». Recte, opinor: sed ad *inserit* e seqq. intell. *disceptationi*; ut et mox *ibi alius alio ferocius*, scil. *loquutus est* e seqq. Confer. ad XXI, 43, n. 4. Minus placet interpunctio Drak. *Ibi alius alio ferocius (quia... major erat), alius superbiam*, etc. ut vox *alius* ante *superbiam* vel delenda sit, vel propter hyperbaton sive alia interposita perspicuitatis causa repetita. — Walchius, Emend. pag. 214, censet verba *alius alio ferocius* respicere utrosque, et qui superbiam postulatorum increpabant, et qui dicebant parvas belli causas esse; nam ferociter agere potuerunt, ut opinatur, etiam qui pacem bello præferebant. Quare ita distinguendum jubet: *Ibi alius al. ferocius (quia..... erat), alius..... increpare.....; alii* dicere *parvas*, etc. Ed.

2. *Nabidi tamen dominationem...*

Digitized by Google

deri. Alii, *parvas et vix dictu dignas belli causas tanto regi eas civitates esse; sed initium semper a parvis injusta imperandi fieri*[3] *: nisi crederent, Persas, quum aquam terramque ab Lacedæmoniis petierunt, gleba terræ et haustu aquæ eguisse*[4]. *Per similem tentationem Romanis de duabus civitatibus agi*[5]*; et alias civitates, simul duas jugum exsuisse vidissent, ad liberatorem populum defecturas. Si non libertas servitute potior sit, tamen omni præsenti statu spem cuique novandi res suas blandiorem esse.*

XVIII. Alexander Acarnan in consilio[1] erat, Philippi quondam amicus, nuper relicto eo sequutus opulentiorem regiam Antiochi; et, tanquam peritus

remissam; vide ad XXXII, 2, n. 3.

3. *Parvas* quidem *et vix dictu dignas... sed initium semper a parvis injusta imperandi fieri* ex emend. probabili Rubenii, Gron. et Drak. probata, pro vulg. *sed i. s. per jus injusta impetrandi.* Bauer. hæc notavit: « De voc. *imperandi* probo; aptius enim videtur: certe Liv. *petendi* vel *postulandi* scripsisset. Nam ut *impetres*, ab alterius partis facilitate et patientia pendet. Sed voc. *injusta* utique poscere oppositum *jus* videtur, i. e. juris speciem; nisi contextus is sit, qui *parvarum rerum* mentionem faciat. Nam et præcedit *parvas belli causas*, et Persicæ postulationis similitudo *parva* commemorat. Euphonia quoque hanc lectionem commendat: sed contextus major vis est ». — Walchius, pag. 214, defendit lect. *per jus injusta* pro, *a parvis inj.* et putat displicere nemini posse, qui meminerit *per fidem* (per speciem fidei), *per causam*, et plurium similium loquendi rationum. Ed.

4. *Nisi crederent, Persas*, Xerxem, *quum aquam terramque ab Laced. petierunt* (confer. ad cap. 16, n. 5), *gleba terræ et haustu aquæ eguisse*, nec potius hac formula indicasse omnia, quæ terra marique continerentur, vel deditionem totius regionis (conf. de more Persarum, γῆν καὶ ὕδωρ poscendi, loca Herodoti aliorumque laudata ab Intpp. Curt. III, 10, n. 8, et Brisson. de regno Pers. III, p. 330, et de form.): et similiter Romanorum postulata eo tantum spectare, ut duas illas civitates, nec potius, earum libertate, quod sperarent, denegata, plures liberarent, et regi Antiocho eriperent.

5. *Per similem tentationem* a *Romanis* (ut paulo ante *Antiocho imperata* pro *ab A. i.* conf. ad XXIV, 39, n. 8) *de duabus civitatibus agi; et* (forte *at* vel *sed;* vid. tamen XXIII, 44, n. 4.) *alias civitates*, etc. Mox forte leg. *Etsi non libertas*, etc.

Cap. XVIII. 1. *In consilio.* Multi dant *concilio;* male: jam sæpius errorem illum scribarum et editorum notaverunt viri docti. Scilicet *concilio*

Digitized by Google

Græciæ, nec ignarus Romanorum, in eum gradum amicitiæ regis, ut consiliis quoque arcanis interesset, acceptus erat. Is, tanquam non, utrum bellandum esset, nec ne, consuleretur, sed ubi et qua ratione bellum gereretur, *Victoriam se haud dubiam proponere animo* affirmabat, *si in Europam transisset rex, et in aliqua Græciæ parte sedem bello cepisset. Jam primum Ætolos, qui umbilicum Græciæ*[2] *incolerent, in armis eum inventurum, antesignanos ad asperrima quæque belli paratos. In duobus velut cornibus Græciæ Nabin a Peloponneso concitaturum omnia, repetentem Argivorum urbem, repetentem maritimas civitates, quibus eum depulsum Romani Lacedæmonis muris inclusissent; a Macedonia Philippum, ubi primum bellicum cani*[4] *audisset, arma capturum. Nosse se spiritus ejus, nosse animum: scire, ferarum modo, quæ claustris aut vinculis teneantur, ingentes jam diu*

(*l'assemblée*) adsunt, quibus capta consilia proponuntur, *consilio* (*le conseil*) vero, qui ipsis capiendis consiliis adhibentur. Ed. — *Acceptus erat:* del. *erat;* Duk. et Bauer.

2. *Ætolos, qui umbilicum Græciæ incolerent;* ὄμφαλον, h. e. τὸ μέσον, medium, centrum. Vulgo Græci opinabantur, Delphos esse umbilicum non Græciæ tantum, sed totius etiam orbis terrarum. Conf. XXXVIII, 48; XLI, 23, et de origine commenti Strab. IX, 3, n. 6, pag. 419, 420; Schol. et Gedike ad Pind. Pyth. IV, 7, VI, 3; Claudian. de Cons. Mall. Theod. prolog. 11 seq. et Intpp. Sophocl. Œd. Tyr. 480, et Eurip. Orest. 301, 592, et Ion. 223, 462. Eamdem Judæorum veterumque Christianorum opinionem fuisse de Hierosolymis aut Golgotha (ut Atheniensium de Athenis et Paphiorum de Papho), eamque perversam esse, quia globus æqualem ubique superficiem habeat, et in terra quoque habitabili non facile punctum finiri possit, in quo undique deductæ pares lineæ concurrant, docet Cellar. Geogr. ant. lib. I, c. 4. Conf. Siebelis in notis ad Ἑλληνικά, pag. 153 sq.

3. *Antesignanos ad asperrima*, etc. vide ad II, 20, n. 3.—*Cornibus Græciæ*, extremis partibus Peloponnesi et Helladis. — Forsan alludit Noster ad dictum illud Demetrii Phal. qui Peloponnesum similem bovi aiebat, cujus velut cornua, Ithome et Acrocorinthus prominebant. Ed.

4. *Bellicum cani;* vide ad VII, 40, n. 4. — *Spiritus ejus;* vide ad XXX, 11, n. 3. — *Ferarum modo, quæ claustris*, etc. cf. XXXIV, 4, n. 15;

Digitized by Google

iras eum in pectore volvere. Meminisse etiam se, quoties in bello precari omnes deos solitus sit, ut Antiochum sibi darent adjutorem. Cujus voti si compos nunc fiat, nullam moram rebellandi facturum. Tantum non cunctandum, neque cessandum esse. In eo enim victoriam verti[5]*, si et loca opportuna, et socii præoccuparentur. Hannibalem quoque sine mora mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos.*

XIX. Hannibal non adhibitus in consilium, propter colloquia cum Villio suspectus regi, et in nullo postea honore habitus, primo eam contumeliam tacitus tulit; deinde melius esse ratus, et percunctari causam repentinæ alienationis, et purgare se, tempore[1] apto, quæsita simpliciter iracundiæ causa auditaque, « Pater « Hamilcar, inquit, Antioche, parvum admodum me, « quum sacrificaret, altaribus admotum jurejurando « adegit, nunquam amicum fore populi romani. Sub « hoc sacramento sex et triginta annos militavi: hoc « me in pace patria mea expulit[2]: hoc patria extor- « rem in tuam regiam adduxit: hoc duce, si tu spem « meam destitueris, ubicumque vires, ubi arma esse « sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quærens ali- « quos Romanis hostes. Itaque, si quibus tuorum meis « criminibus apud te crescere[3] libet, aliam materiam

XXXVI, 7, n. 6; XLII, 59, n. 1.

5. *In eo victoriam verti;* vide ad III, 27, n. 6. — *Ad distringendos Romanos,* distrahendos, ut XLIV, 35. (*Diversion machen.*)

Cap. XIX. 1. *Tempore apto;* vide ad III, 9, n. 4. — Gronovius malit *tempore capto,* quod quidem bene Latinis dicitur, ut Græcis λαβεῖν χαιρόν· sed vulgatam vett. libr. auctoritate firmatam recte tuetur Doer. Ed. — *Pater Hamilcar p. adm. me, quum sacrificaret,* etc. vid. XXI, 1, n. 4.

2. *Hoc* sacramentum *me in pace patria mea* carissima invitum *expulit:* male ed. Grut. *extulit,* quem tamen operarum errorem plures edd. adscivere. — *Hoc* sacramento *duce* ποιητικώτερον alicui posset videri, et malim *hoc ducente;* Gron. Sed confer. Drak. ad h. l. et XXXIX, 1, n. 4; Jensii lect. Lucian. I, 8. — *Huc veniam,* eo, illuc.

3. *Meis criminibus apud te crescere;*

Digitized by Google

« crescendi ex me quærant. Odi, odioque sum Roma-
« nis. Id me verum dicere, pater Hamilcar et dii testes
« sunt. Proinde, quum de bello romano cogitabis,
« inter primos amicos Hannibalem habeto. Si qua res
« te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum
« quo deliberes, quærito ». Non movit modo talis oratio regem, sed etiam reconciliavit Hannibali. Ex consilio ita discessum est, ut bellum gereretur.

XX. Romæ destinabant quidem sermonibus hostem Antiochum[1], sed nihildum ad id bellum præter animos parabant. Consulibus ambobus Italia provincia decreta est, ita ut inter se compararent sortirenturve, uter comitiis ejus anni præesset[2] : ad utrum ea non pertineret cura, ut paratus esset, si quo eum extra Italiam opus esset ducere legiones. Huic consuli permissum, ut duas legiones scriberet novas, et socium latini nominis viginti millia et equites octingentos. Alteri consuli duæ legiones decretæ, quas L. Cornelius consul superioris anni habuisset, et socium ac latini nominis ex eodem exercitu quindecim millia et equites quingenti[3]. Q. Minucio cum exercitu, quem

vide ad III, 19, n. 7, et XXIII, 48, n. 8. Mox τὸ *quam* ante *ex me* recte omisit Drak. ante enim Livius dixit *meis criminibus;* Bauer. — *Crescendi ex me*, id est, malo, quod mihi parant, mea pernicie. Sic apud Cic. pro Roscio Amer. 30, *accusarem alios, ex quibus*, quorum damno, *possem crescere.* Ed.

Cap. XX. 1. *Destinabant sermonibus hostem Ant.* conf. ad IX, 16, n. 11.

2. *Inter se compararent sortirenturve* (vide ad III, 2, n. 1) jam nunc, *uter comitiis ejus*, hujus, *anni* consularibus prætoriisque *præesset.* Conferendum mox n. 3, et ad cap. 6, n. 1.

3. *Ex eodem exercitu quindecim millia et equites quingenti*, omnes edd. ante Drak. *pedites* inserunt ante *quindecim millia*, quam locutionem non damnant Duk. et Drak. et Periz. ad Sanct. Min. IV, 8, pag. 709. Hic multis Livii locis docet, familiare ei esse, pro genitivo, qui vulgo partitionis dicitur, adhibere illum ipsum casum, quo numerus rei numeratæ exprimatur, vel genitivum subintelligi hoc modo *pedites quindecim millia hominum.* Illi supplent *numero* vel *ad* quindecim millia *hominum* (sic et Gron. de Pec. vet. I, 7), vel *quod*

Digitized by Google

in Liguribus habebat, prorogatum imperium. Additum, in supplementum ut quatuor millia peditum romanorum scriberentur et centum quinquaginta equites; et sociis eodem quinque millia peditum imperarentur, ducenti quinquaginta equites. Cn. Domitio extra Italiam, quo senatus censuisset, provincia evenit, L. Quintio Gallia et comitia habenda[4]. Prætores deinde provincias sortiti; M. Fulvius Centumalus urbanam, L. Scribonius Libo peregrinam, L. Valerius Tappo Siciliam, Q. Salonius Sarra Sardiniam, M. Bæbius Tamphilus Hispaniam citeriorem, A. Atilius Serranus ulteriorem. Sed his duobus primum senatusconsulto, deinde plebis etiam scito permutatæ provinciæ sunt. Atilio classis et Macedonia, Bæbio Bruttii decreti. Flaminio Fulvioque in Hispaniis prorogatum imperium. Bæbio Tamphilo in Bruttios duæ legiones decretæ, quæ priore anno urbanæ fuissent; et ut sociis eodem millia peditum quindecim imperarentur et quingenti equites. Atilius triginta naves quinqueremes facere jussus, et ex navalibus veteres deducere, si quæ utiles essent, et scribere navales socios. Et consulibus imperatum[5], ut ei duo millia socium ac latini nominis et mille pedites darent Romanos. Hi duo prætores et duo exercitus, terrestris navalisque adversus Nabin, aperte jam oppugnantem socios populi

attinet ad pedites. Huc refert Duk. verba Livii, quæ laudavi ad III, 5, n. 9; XXI, 55, n. 5; XXVIII, 2, n. 2, et XXXV, 23, n. 2. Confer tamen notas ad hæc loca, et ad XXVII, 16, n. 2, et XXXIX, 7, n. 1. *Peditum* emend. Gron. sed Drak. vocem *pedites* delevit, quam in nullo MS præter Lov. 5 invenit. — Et nos cum Doeringio quoque τὸ *pedites* delendum arbitramur. Ed.

4. *Gallia et comitia habenda;* conf. n. 2.

5. *Consulibus imperatum.* In antiquis editionibus vulgo edebatur *consuli imperatum, ut... daret,* sed quum non designaretur utri imperatum consuli; deinde cur uni tantum; hinc Aldus, probb. viris doctis, nostram lectionem ex cod. Mog. recepit. Ed. —*Exercitus terrestris navalisque;* vide ad XXVII, 1, n. 7.

Digitized by Google

romani, dicebantur parari. Cæterum legati ad Antiochum missi exspectabantur; et, prius quam ii redissent, vetuerat Cn. Domitium consulem senatus ab Urbe discedere.

XXI. Prætoribus Fulvio et Scribonio, quibus, ut jus dicerent Romæ, provincia erat, negotium datum, ut, præter eam classem, cui Atilius præfuturus erat, centum quinqueremes pararent. Prius quam consul prætoresque in provincias proficiscerentur, supplicatio fuit prodigiorum causa[1]. Capram sex hœdos uno fetu edidisse, ex Piceno nuntiatum est; et Arretii puerum natum unimanum; Amiterni terra pluisse[2]; Formiis portam murumque de cælo tacta; et (quod maxime terrebat) consulis Cn. Domitii bovem loquutum, ROMA CAVE TIBI. Cæterorum prodigiorum causa supplicatum est; bovem cum cura servari alique haruspices jusserunt. Tiberis, infestiore quam priore impetu[3] illatus Urbi, duo pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam, evertit. Saxum ingens, sive imbribus, sive motu terræ leviore, quam ut alioqui sentiretur, labefactatum, in vicum Jugarium ex Capitolio procidit, et multos oppressit. In agris passim inundatis pecua ablata, villarum strages facta est. Prius quam L. Quintius consul in provinciam perveniret, Q. Minucius in agro Pisano cum Liguribus signis collatis pugnavit: novem millia hostium occidit; cæteros fusos fugatosque in castra compulit. Ea usque in no-

CAP. XXI. 1. *Prodigiorum causa*, etc. vide ad I, 31, n. 1.

2. *Amiterni terra pluisse:* al. *terram;* vide ad III, 10, n. 4. — *Et (quod max. terr.) consulis Cn. Domitii bovem.* Sic locum hunc bene emendavit Pighius in Annal. ad ann. 561, quum antea sine sensu apto legeretur *et, quod max. terrebat consulem Cn. Domitium, bovem*, etc. ED.

3. *Infestiore quam priore impetu*, proximo, anni prioris, seu proximi, de quo vid. c. 9. *Quam prius* emend. Gron. prob. Duk. *Anno* post *priore* inserebat Faber. — *Duo pontes;* vide ad III, 62, n. 4.

Digitized by Google

ctem magno certamine oppugnata defensaque sunt. Nocte clam profecti Ligures : prima luce Romanus vacua castra invasit. Prædæ minus inventum est, quod subinde spolia agrorum capta domos mittebant. Minucius nihil deinde laxamenti hostibus dedit. Ex agro Pisano in Ligures [4] profectus, castella vicosque eorum igni ferroque pervastavit. Ibi præda etrusca, quæ missa a populatoribus fuerat, repletus est miles romanus.

XXII. Sub idem tempus legati ab regibus [1] Romam reverterunt. Qui quum nihil, quod satis maturam causam belli haberet, nisi adversus lacedæmonium tyrannum, attulissent, quem et Achæi legati nuntiabant contra fœdus maritimam oram Laconum oppugnare ; Atilius prætor cum classe missus est in Græciam ad socios tuendos. Consules, quando nihil ab Antiocho instaret, proficisci ambo in provincias placuit. Domitius ab Arimino, qua proximum fuit, Quintius per Ligures in Boios venit. Duo consulum agmina diversa [2] late agrum hostium pervastarunt. Primo equites eorum pauci cum præfectis, deinde universus senatus, postremo in quibus aut fortuna aliqua, aut

4. *Ex agro Pisano in Ligures* Apuanos. Conf. XXXIX, 32 ; XL, 41.

Cap. XXII. 1. *Ab regibus*, Antiocho et Eumene; vide cap. 13. — *Legati nuntiabant.* Ex ult. Gruteri editione vulgabatur, *annuntiabant*, sed alteram lectionem exhibent codd. *Annuntiare*, ut observant grammatici, dicitur de rebus futuris vel instantibus, *nuntiare*, de rebus, quæ afferuntur ex longinquo. Ed.

2. *Duo consulum agmina diversa*, etc. vide ad III, 60, n. 1. Nota Glar. est : « Quæ Livius hic de consulum in Boios profectione narrat, eadem, etsi paulo diversius, refert cap. 40. Porro quæ de M. Fulvio Nobiliore, ulterioris Hispaniæ prætore, cap. 7, narravit, hic prope eadem repetit, sc. de Toleto ac Vettonibus. Non est mihi dubium, tanta rerum gestarum mole ingentique scriptorum multitudine Livii memoriam obrutam: nec id mirandum, præsertim in homine sene ». Similium in Livio repetitionum exempla vide ad XXXVI, 21, n. 4; XLV, 15, n. 8, et apud Periz. Anim. Hist. cap. 4, pag. 173.

Digitized by Google

dignitas erat, ad mille quingenti[3] ad consules transfugerunt. Et in utraque Hispania eo anno res prospere gestæ. Nam et C. Flaminius oppidum[4] Litabrum, munitum opulentumque, vineis expugnavit, et nobilem regulum Corribilonem vivum cepit; et M. Fulvius proconsul cum duobus exercitibus hostium duo secunda prælia fecit; oppida duo Hispanorum, Vesceliam Holonemque[5], et castella multa expugnavit: alia voluntate ad eum defecerunt. Tum in Oretanos progressus, et ibi duobus potitus oppidis, Noliba et Cusibi, ad Tagum amnem ire pergit. Toletum ibi parva urbs erat, sed loco munito. Eam quum oppugnaret, Vettonum magnus exercitus Toletanis subsidio venit. Cum his signis collatis prospere pugnavit, et, fusis Vettonibus, operibus Toletum cepit.

XXIII. Cæterum eo tempore minus ea bella, quæ gerebantur, curæ Patribus erant, quam exspectatio nondum cœpti cum Antiocho belli. Nam etsi per legatos idemtidem omnia explorabantur, tamen rumores, temere sine ullis auctoribus orti, multa falsa veris miscebant. Inter quæ allatum erat, quum in Ætoliam venisset Antiochus, extemplo classem eum in Siciliam missurum. Itaque senatus, etsi prætorem Atilium cum classe miserat in Græciam, tamen, quia non copiis modo, sed etiam auctoritate opus erat ad tuendos

3. *Ad mille quingenti;* vide ad IV, 59, n. 4.—*M. Fulvius proconsul,* qui anno priore prætor fuerat; vide ad XXVIII, 38, n. 4.

4. *Oppidum Litabrum* Ortel. in Thes. Geogr. docet, Moralem legere *Britablum,* qui locus est juxta Segoviam. — *M. Fulvius proconsul,* immo *proprætor,* ut XXXVI, 2; nam ex XXXIV, 55, et XXXV, 20, patet, eum prætorem obtinuisse Hispaniam ulteriorem, et imperium ei anno seq. prorogatum fuisse; Duk. Sed vide ad XXVIII, 38, n. 4.

5. *Vesceliam Holonemque,* in multis MSS *Helonemque;* unde Jac. Gron. emend. *Belonemque,* de quo Bæticæ maritimæ oppido vid. Voss. ad Mel. II, 6, et Hard. ad Plin. III, 1. Illud nimium distare ab *Oretanis,* monet Crev. De *Toleto* et *Vettonibus* vide ad cap. 7, n. 4.

Digitized by Google

sociorum animos[1], T. Quintium et Cn. Octavium et Cn. Servilium et P. Villium legatos in Græciam misit; et, ut M. Bæbius ex Bruttiis ad Tarentum et Brundisium promoveret legiones, decrevit, ut inde, si res posceret, in Macedoniam trajiceret; et ut M. Fulvius prætor classem navium viginti mitteret ad tuendam Siciliæ oram; et ut cum imperio esset, qui classem eam duceret (duxit L. Oppius Salinator, qui priore anno ædilis plebis fuerat); et ut idem prætor L. Valerio collegæ scriberet, *Periculum esse, ne classis regis Antiochi ex Ætolia in Siciliam trajiceret: itaque placere senatui, ad eum exercitum, quem haberet, tumultuariorum militum ad duodecim millia et quadringentos equites*[2] *scribere eum, quibus oram maritimam provinciæ, qua vergeret in Græciam, tueri posset.* Eum delectum prætor non ex Sicilia ipsa tantum, sed etiam ex circumjacentibus insulis habuit; oppidaque omnia maritima, quæ in Græciam versa erant, præsidiis firmavit. Addidit alimenta rumoribus

Cap. XXIII. 1. *Ad tuendos sociorum animos*, alendos, sustentandos: nisi potius leg. *tenendos* (in fide); Gron. probb. Duk. et Gron. Conf. ad XXII, 22, n. 9.—*Tuendos.* Doering. interpretatur, sociorum animos custodire et observare, ne a fide et officio recedant. Ipsi tamen valde arridet Gronovii, vel potius Tan. Fabri conjectura, *ad tenendos.* Ed. — *Legatos;* vide ad XXXVI, 1, n. 4.—*Ut inde, si res posceret..... et ut M. Fulvius.* Creverio displicet repetita particula *ut*, quæ a quibusdam codd. abest. Hujus tamen particulæ repetitionem diligentiæ, qua sigillatim quæque imperantur, bene convenire existimat Doering. Ed. — *Classem navium viginti* e MS Mogunt. et multis aliis h. l. et cap. 24, pro vulg. *c. n. triginta* recepi, mirorque idem haud fecisse Drak., qui tamen hanc lect. ex XXXVI, 2, probabilem fieri monet, et ubivis fere codicem Mogunt. sequitur.

2. *Tumultuariorum militum* (vide ad I, 37, n. 4) *ad duodecim millia et CCCC equites:* post *millia* in plerisque ante Drak. additur *pedites;* sed saltem scribendum esse *peditum*, viderique illud additamentum eorum, qui nescierint, *milites*, si cum equitibus jungantur, dici *pedites*, jam monuit Gron. vide ad XXII, 37, n. 2. Vocem illam expunxit Drak. quia in omnibus MSS et edd. Rom. a. 1472, et Parm. deest. Confer. ad cap. 20, n. 3.

Digitized by Google

adventus Attali, Eumenis fratris, qui nuntiavit, Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse, et Ætolos ita se parare[3], ut sub adventum ejus in armis essent. Et Eumeni absenti, et præsenti Attalo gratiæ actæ; et ædes liberæ, locus, lautia[4] decreta, et munera data, equi duo, bina equestria arma, et vasa argentea centum pondo et aurea viginti pondo.

XXIV. Quum alii atque alii nuntii bellum instare afferrent, ad rem pertinere visum est, consules primo quoque tempore creari. Itaque senatusconsultum factum est, ut M. Fulvius prætor literas extemplo ad consulem mitteret, quibus certior fieret, senatui placere, provincia exercituque tradito legatis, Romam reverti eum, et ex itinere præmittere edictum, quo comitia consulibus creandis ediceret. Paruit his literis consul[1], et, præmisso edicto, Romam venit. Eo quoque anno magna ambitio fuit, quod patricii tres in unum locum petierunt, P. Cornelius Cn. F. Scipio, qui priore anno repulsam tulerat[2], et L. Cornelius Scipio et Cn. Manlius Vulso. P. Scipioni, ut dilatum viro tali, non negatum, honorem appareret, consulatus datus est. Additur ei de plebe collega M'. Acilius Glabrio. Postero die prætores creati, L. Æmilius Paullus, M. Æmilius Lepidus, M. Junius Brutus, A. Cornelius Mammula, C. Livius, et L. Oppius; utrique eorum Salinator cognomen erat. Oppius is erat, qui classem viginti navium in Siciliam duxerat. Interim

3. *Ætolos ita se parare, ut*, etc. conf. ad III, 40, n. 12.

4. *Ædes liberæ, locus, lautia decreta;* vide ad XXIV, 7, n. 3, et XXVIII, 39, n. 8. — *Equestria arma;* vide ad IX, 40, n. 12.

Cap. XXIV. 1. *Paruit his literis consul*, nempe Quintius, cui, ut constat ex c. 20, provincia Gallia et *comitia* habenda evenerant. Ed.—*In unum locum petierunt;* vide ad lib. XXXV, cap. 10, n. 1.

2. *Qui priore anno repulsam tulerat;* vide cap. 10.

Digitized by Google

dum novi magistratus sortirentur provincias, M. Bæbius a Brundisio cum omnibus copiis transire in Epirum est jussus, et circa Apolloniam copias continere[3]; et M. Fulvio prætori urbano negotium datum est, ut quinqueremes novas quinquaginta faceret.

XXV. Et populus quidem romanus ita se ad omnes conatus Antiochi præparabat. Nabis jam non differebat bellum, sed summa vi Gythium oppugnabat; et, infensus Achæis, quod miserant obsessis præsidium, agros eorum vastabat. Achæi, non antea ausi capessere bellum[1], quam ab Roma revertissent legati, ut, quid senatui placeret, scirent, post reditum legatorum et Sicyonem concilium edixerunt, et legatos ad T. Quintium miserunt, qui consilium ab eo peterent. In concilio omnium ad bellum extemplo capessendum inclinatæ sententiæ erant: literæ Q. Quintii cunctationem injecerunt, quibus auctor erat prætorem classemque romanam exspectandi. Quum principum alii in sententia permanerent, alii utendum ejus, quem ipsi consuluissent, consilio censerent; multitudo Philopœmenis sententiam exspectabat. Prætor is tum erat[2], et omnes eo tempore et prudentia et

3. *Transire in Epirum est jussus, et circa Apolloniam copias continere,* « scil. eo progredi jussus ex Epiro: nam *Apollonia* in Illyride græca erat. Pro *Epiro* XXXVI, 1, *Macedonia* nominatur: quæ forte permutantur, quod jam olim partes quædam Epiri Macedoniæ adjectæ fuerant (vide ad XLV, 30, et Strab. VII, 434), vel, postquam illæ in potestatem Romanorum venerant, Epirus provincia Macedonia continebatur; quod ex Cic. Pis. 40 colligit Manut. ad Cic. Ep. fam. XIII, 18. Quidquid est, constat, jam ætate Livii appellationem Macedoniæ late patuisse, adeo ut ea etiam Illyricum et Epirum comprehendisse videatur ». Duk. Conf. Intpp. Sueton. Cæs. 35.

Cap. XXV. 1. *Non antea ausi cap. bellum, quam,* immo *ante;* Duk. — Exempla quidem de voce *anteaquam* ex Livio et Cicerone laudari solent, sed illa omnia Dukerus ambiguæ fidei esse ait. Monet tamen Doering. occurrere unum apud Cic. ad Div. III, 6, ubi meliores editt. amice in lectionem *anteaquam* conspirant; vid. Ernest. in Clav. Cic. Ed.

2. *Prætor tum erat* Philopœmen,

Digitized by Google

auctoritate anteibat. Is præfatus, *Bene comparatum apud Achæos esse, ne prætor, quum de bello consuluisset; ipse sententiam diceret*, statuere quam primum ipsos, quid vellent, jussit. *Prætorem decreta eorum cum fide et cura exsequuturum, adnisurumque, ut, quantum in consilio humano positum esset, nec pacis eos pœniteret, nec belli.* Plus ea oratio momenti ad incitandos ad bellum habuit, quam si aperte suadendo cupiditatem res gerendi ostendisset. Itaque ingenti consensu bellum decretum est: tempus et ratio administrandi ejus libera prætori permissa sunt. Philopœmen, præterquam quod ita Quintio placeret, et ipse existimabat, classem Romanam exspectandam, quæ a mari Gythium tueri posset; sed metuens, ne dilationem res non pateretur, et non Gythium solum, sed præsidium quoque missum ad tuendam urbem amitteretur, naves Achæorum deduxit[3].

XXVI. Comparaverat et tyrannus modicam classem ad prohibenda, si qua obsessis mari submitterentur, præsidia, tres tectas naves et lembos[1] pristesque, tradita vetere classe ex fœdere Romanis. Harum novarum tum navium agilitatem ut experiretur, simul

etc. vide sup. ad XXXI, 25, n. 3. — *Et prudentia*, quidam MSS *et providentia*. — *Bene comparatum apud Achæos esse* edidi pro vulg. *apud Ætolos*, quod jam recte damnavit Gron. his verbis: « Non Ætolorum erat ille mos præcipuus, sed omnium fere liberorum populorum. Sic Romæ neque consul in curia dicebat, neque prætor in foro ferebat sententiam. Sed nec *Ætolorum* consuetudo poterat liberare Philopœmenem ab officio fungendo; nisi offensam civium, in causa gravissima non patriam, sed gentis Achæis invisissimæ rationem imitando, indubitatam contrahere vellet, præsertim quum exspectaretur, et oculos omnium in se convertisset. Quid enim propius, quam ut responsaretur, Quid illi cum Ætolis? prætorem *Achæorum* esse: agere patrio more debere ».

3. *Naves Achæorum deduxit;* vide ad VIII, 26, n. 1.

Cap. XXVI. 1. *Tres tectas naves;* vide ad XXII, 19, n. 4. — *Pristesque*, naves majores lembis (vid. Polyb. XVII, 1, § 1) et valde veloces, quia longæ erant et parum latæ, sic dictæ ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα, a secando mari, vel, si Nonio fides

Digitized by Google

ut omnia satis apta ad certamen essent, provectos in altum quotidie remigem militemque simulacris navalis pugnæ exercebat, in eo ratus verti spem obsidionis, si præsidia maritima interclusisset. Prætor Achæorum, sicut terrestrium certaminum arte quemvis clarorum imperatorum vel usu vel ingenio æquabat, ita rudis in re navali erat; Arcas, mediterraneus [2] homo, externorum etiam omnium, nisi quod in Creta præfectus auxiliorum militaverat, ignarus. Navis erat quadriremis vetus, capta annis octoginta ante [3], quum Crateri uxorem Nicæam ab Naupacto Corinthum veheret. Hujus fama motus (fuerat enim nobile in classe regia quondam navigium) deduci ab Ægio putrem jam admodum et vetustate dilabentem jussit. Hac tum prætoria nave præcedente classem, quum in ea Patrensis Tiso præfectus classis veheretur, occurrerunt a Gythio Laconum naves: et primo statim incursu ad novam et firmam navem vetus, quæ per se ipsa omnibus compagibus aquam acciperet, divulsa est; captique omnes, qui in nave erant. Cætera classis,

habenda, a forma *pristium marinarum, quæ longi corporis sunt, sed angusti*, quæque maximæ Indici maris belluæ *pistres*, *pristes* et *pistrices* dicebantur. Conf. XLIV, 28 pr. Plinius, IX, 3; Schweigh. ad Polyb. XVI, 2, § 9; Gron. Obss. I, 18; Intpp. Virg. Æn. III, 427, V, 116, et Val. Flaccus, II, 531.

2. *Arcas, mediterraneus homo*, Philopœmen Megalopolitanus, nobilissimo Arcadiæ genere ortus. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. II, 40, X, 25; Plut. Philop. p. 356 sq. et Pausan. VIII, 49 seq. — *Quod in Creta præfectus auxi. m.* vid. Plut. Philop. p. 359, 363, et Pausan. l. l.

3. *Navis erat quadriremis vetus, capta annis octoginta ante*, etc. *octo* edd. ante Ald. *quadraginta* conj. Sigon. e Plut. Philop. pag. 364. Si *octoginta* recte legitur, *Craterus* foret Demetrii Poliorcetæ filius, Antigoni Gonatæ frater, cujus Prologus 26 Historr. Trogi Pompeii et Phlegon Trallianus περὶ θαυμασίων, cap. 32, meminerunt, et a cujus ætate ad hæc tempora facile tot annos colligas; Gronov. Nota Dukeri est: « De Cratero, Alexandri M. duce, et Nicæa, Antipatri filia, intelligi non potest; nam interjecti sunt anni ferme CXXX, et Nicæam illam non Cratero, sed Perdiccæ, nupsisse, auctor est Diodor. XVIII, 640. Si hic Craterus est Antigoni Gonatæ frater, de cujus uxore Ni-

Digitized by Google

prætoria nave amissa, quantum quæque remis valuit, fugerunt[4]. Ipse Philopœmen in levi speculatoria nave fugit; nec ante fugæ finem, quam Patras ventum est, fecit. Nihil ea res animum militaris viri et multos experti casus imminuit. Quin contra, si in re navali, cujus esset ignarus, offendisset[5], eo plus in ea, quorum usu calleret, spei nactus, breve id tyranno gaudium se effecturum affirmabat.

XXVII. Nabis, quum prospera elatus re, tum spem etiam haud dubiam nactus, nihil jam a mari periculi fore, et terrestres aditus claudere opportune positis præsidiis voluit. Tertia parte copiarum ab obsidione Gythii abducta, ad Pleias posuit castra[1]. Imminet is locus et Leucis et Acriis, qua videbantur hostes exercitum admoturi. Quum ibi stativa essent, et pauci tabernacula haberent, multitudo alia casas ex arundine

cæa nihil alibi proditum inveni, vix mendo vacare potest numerus apud Plut. l. l. Gonatas enim jam L annis ante hoc tempus diem obierat ».

4. *Cætera classis... fugerunt.* Scil. τὸ *classis*, ad quod refertur *fugerunt* pro collectivo, ut passim *exercitus*, *civitas*, *senatus*, habendum est. Alteram vero lectionem *fugit*, quam cod. Lov. 5, et editt. principes exhibent, ab homine, qui hoc Livianum loquendi genus ignoraret, profectum censet Doering. Ed. — *In levi speculatoria nave;* vide ad XXII, 19, n. 4. *Piscatoria* omnes codd. præter Mogunt. et edd. ante Ald. Sed naves piscatoriæ non solent esse in classibus iisque locis, quibus prælium navale committitur; Duk. — *Ventum est* e cod. Victor. et Lov. 6 recepit Draken. pro *ventum sit.*

5. *Si in re navali..... offendisset;* vide ad XXVIII, 43, n. 6.—*Eo plus in ea..... spei nactus;* vide ad XXI, 57, n. 8. — Drak. explicat *in ea*, sc. re, *quorum*, etc. et de hoc insolentiore loquendi genere laudat ea quæ ad XXXIV, 58, § 4, disputavit. Sed recte Doering. observat, melius et facilius *ea* in casu quarto plur. accipi posse, ut sensus sit: eo majore spe ductus *in ea*, erga ea, quorum peritiam sibi comparasset usu. Nam *usu alicujus rei callere* est, in re aliqua bene exercitatum esse, rem aliquam bene tenere ex usu. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Ad Pleias posuit castra*, opp. Laconicæ ignotum. Cum Meurs. in Miscell. Lacon. IV, 1 et 5, leg. *Boeas*, quod opp. *Leucis et Acriis* vicinum; vid. Polyb. V, 19, § 8 (ubi cf. Schweigh.); Pausan. III, 21-23, et Strab. VIII, p. 363, 364; e quibus locis etiam patet, *Acriis* recte a Drak. repositum pro vulg. *Acris.* — *Imminet;* vide ad III, 51, n. 3.

Digitized by Google

textas fronde, quæ umbram modo præberet, texissent; prius quam in conspectum hosti veniret Philopœmen[2], nec opinantem eum improviso genere belli aggredi statuit. Navigia parva in stationem occultam agri argivi contraxit: in ea expeditos milites, cætratos plerosque, cum fundis et jaculis et alio levi genere armaturæ, imposuit. Inde litora legens[3], quum ad propinquum castris hostium promontorium venisset, egressus callibus notis, nocte Pleias pervenit; et, sopitis vigilibus, ut in nullo propinquo metu, ignem casis ab omni parte castrorum injecit. Multi prius incendio absumpti sunt, quam hostium adventum sentirent; et, qui senserant, nullam opem ferre potuerunt. Ferro flammaque omnia absumpta: perpauci tamen ex tam ancipiti peste[4] ad Gythium in majora castra perfugerunt. Ita perculsis hostibus, Philopœmen protenus ad depopulandam Tripolim laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum[5] est, duxit; et, magna vi pecorum hominumque inde arrepta, prius quam a Gythio tyrannus præsidium agris mitteret, discessit. Inde Tegeam exercitu contracto,

2. *In conspectum hosti veniret P., nec opinantem eum*, etc. ita omnes et MSS præter Mogunt. et edd. ante Ald. pro vulg. *hostium*, unde recepi, prob. Duker. qui hæc notavit: « Singulari *hostis* recte apponitur adjectivum et pron. plur., ut omnibus collectivis; conf. ad XXIV, 31, n. 2, et XXVI, 4, n. 5. Sed exempla diversi generis, ut hic *hostium, eum*, mihi non succurrunt. Ad *Nabis* in princ. cap. non puto, tam multis interjectis, referri posse *eum* ».—Lectionem *hosti* a correctore profectam suspicatur Doering., et talia, quæ diligentissimis quibusque scriptoribus nonnunquam excidunt, excusanda potius, quam corrigenda velex usu loquendi defendenda putat. Ed. — *Cætratos;* vide ad XXI, 21, n. 6.

3. *Inde litora legens;* vide ad XXI, 51, n. 6.

4. *Ancipiti peste;* vide ad I, 25, n. 4, et II, 44, n. 5.

5. *Tripolim laconici agri*, τὴν Τρίπολιν, *qui proximus finem* (vide ad II, 48, n. 5, et II, 49, n. 10) *Melogapolitarum est*, πρὸς τὴν Μεγαλοπολῖτιν. conf. Strab. VIII, p. 386, et Polyb. IV, 81, § 7, ubi vid. Schweigh. — *Duxit;* vide supra ad librum I, cap. 23, n. 4.

Digitized by Google

concilioque eodem et Achæis et sociis indicto[6], in quo et Epirotarum et Acarnanum fuere principes, statuit, quoniam satis et suorum a pudore maritimæ ignominiæ[7] restituti animi, et hostium conterriti essent, ad Lacedæmonem ducere[8]: eo modo uno ratus ab obsidione Gythii hostem abduci posse. Ad Caryas primum in hostium terra posuit castra. Eo ipso die Gythium expugnatum est. Cujus rei ignarus Philopœmen, castra ad Barbosthenem (mons est decem millia passuum ab Lacedæmone) promovit. Et Nabis, recepto Gythio, cum expedito exercitu inde profectus, quum præter Lacedæmonem raptim duxisset, Pyrrhi (quæ vocant) castra[9] occupavit; quem peti locum ab Achæis, non dubitabat. Inde hostibus occurrit. Obtinebant autem longo agmine propter angustias viæ prope quinque millia passuum. Cogebatur agmen ab equitibus, et maxime a parte auxiliorum[10]; quod existimabat Philopœmen, tyrannum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, ab tergo suos aggressurum. Duæ res simul inopinatæ perculerunt eum: una, præoccupatus, quem petebat, locus; altera, quod primo agmini occurrisse hostem cernebat, ubi, quum per loca confragosa iter esset, sine levis armaturæ præsidio signa ferri non videbat posse.

XXVIII. Erat autem Philopœmen præcipuæ[1] in du-

6. *Concilioque eodem... indicto;* vide ad IV, 25, n. 4.

7. *A pudore maritimæ ignominiæ;* vide ad I, 5, n. 5.

8. *Ad Lacedæmonem ducere;* vide ad I, 23, n. 4, et VIII, 1, n. 1. — *Ad Caryas;* vide ad XXXIV, 26, n. 3. — *Barbosthenem*, nomen obscurum, quod apud idoneos auctores haud reperire est. Ed.

9. *Pyrrhi, quæ vocant, castra;* videndum est ad lib. XXXII, 13, n. 1.

10. *Cogebatur agmen ab equitibus* (vide ad XXXII, 2, n. 4) *et maxime a parte auxiliorum*, immo *et maxima parte a.*, nam in hac re nemo unquam magis aut minus statuit; Jac. Periz. prob. Crev. Conf. XLII, 64.

Cap. XXVIII. 1. *Erat autem Philopœmen præcipuæ*, etc. vid. XXI, 4, n. 12, et XXXI, 25, n. 3; Pausan. VIII, 49 seq.

Digitized by Google

cendo agmine locisque capiendis solertiæ atque usus; nec belli tantum temporibus, sed etiam in pace, ad id maxime animum exercuerat. Ubi iter copiam faceret, et ad difficilem transitu saltum venisset, contemplatus ab omni parte loci naturam, quum solus iret, secum ipse agitabat animo; quum comites haberet, ab iis quærebat, *si hostis eo loco apparuisset; quid, si a fronte, quid, si ab latere hoc aut illo, quid, si ab tergo adoriretur, capiendum consilii foret? Posse instructos recta acie, posse inconditum agmen*[2], *et tantummodo aptum viæ, occurrere. Quem locum ipse capturus esset*, cogitando aut quærendo exsequebatur[3], *aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim interesse) usurus; quo impedimenta, quo sarcinas, quo turbam inermem rejiceret; quanto ea, aut quali præsidio custodiret; et utrum pergere, qua cœpisset ire via, an eam, qua venisset, repetere meliùs esset; castris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, qua opportuna aquatio, qua pabuli lignorumque copia esset, qua postero die castra moventi tutum maxime iter, quæ forma agminis foret.* His curis cogitationibusque ita ab ineunte ætate animum agitaverat, ut nulla ei nova in tali re cogitatio esset. Et tum omnium primum agmen constituit: dein Cretenses auxiliares et, quos Tarentinos vocabant, equites[4], Lynos secum trahentes

2. *Inconditum agmen;* vid. XXI, 57, n. 11. — *Aptum viæ;* debebat *viæ aptum:* nam *viæ* hic præcipua notio et ratio est; Bauer. Hæc forte nimis subtilia.

3. *Quærendo exsequebatur;* vide ad V, 15, n. 8. — *Usurus*, sc. *esset*, quod durius hic omissum videtur Bauero. Mihi potius displiceret repetitio verbi. — *An eam viam, qua venisset, repetere* ex emend. Gron. pro *an ea.* — *Aquatio;* vid. XLIV, 40; Cæs. B. Gall. IV, 11; VIII, 41. Ed.

4. *Quos Tarentinos vocabant, equites* leves. Conf. Suidas voc. Ἱππική. Schweigh. ad Polyb. IV, 77, § 7, XI, 12 seq. Arcer. ad Æliam Tact. p. 15; Lips. de Mil. rom. III, 8; Victor. var.

Digitized by Google

equos, ad prima signa misit; et, jussis equitibus subsequi, super torrentem, unde aquari possent, rupem occupavit. Eo impedimenta omnia et calonum turbam conjectam[5] armatis circumdedit, et pro natura loci castra communivit. Tabernacula statuere in aspretis et inæquabili solo difficile erat. Hostes quingentos passus aberant. Ex eodem rivo utrimque cum præsidio levis armaturæ aquati sunt; et, prius quam (qualia in propinquis castris solent) contraheretur certamen, nox intervenit. Postero die apparebat pugnandum pro aquatoribus circa rivum esse. Nocte in valle a conspectu hostium aversa, quantam multitudinem locus occulere poterat, condidit, cætratorum.

XXIX. Luce orta, Cretensium levis armatura et Tarentini equites super torrentem prælium commiserunt. Telemnastus Cretensis[1] popularibus suis, equitibus Lycortas Megalopolitanus præerat. Cretenses et hostium auxiliares, equitumque idem genus Tarentini, præsidio aquatoribus erant. Aliquamdiu dubium prælium fuit, ut eodem ex parte utraque hominum genere et armis paribus. Procedente certamine, et numero vicere tyranni auxiliares, et quia ita præce-

lect. IX, 3; Græv. ad Cic. ad Att. V, 19.

5. *Calonum turbam conjectam eo*, ut paulo ante *quo turbam inermem rejiceret;* et XXXVI, 12, *in legationem conjecti;* Gron. *Collectam* c. Mogunt. et quædam edd. — *Ex eodem rivo utrimque*, id est, a citeriore et ulteriore parte: vett. codd. variant; multi dant *utrique*, quod parvi momenti judicat Doering., quanquam Creverio magis placuerit *utrique*. Ed. — *Qualia in propinquis castris solent*, mallem abesset *in;* Duk. Deest in Lov.

6. Confer. XXIII, 17. — *Cætratorum;* vide ad XXI, 21, n. 6.

Cap. XXIX. 1. *Telemnastus Cretensis* ex emend. Vales. Conf. Polyb. XXIX, 3, et XXXIII, 15. *Letennastus* primæ edd. *Latemnastus* ed. Gronov. et seqq. — *Lycortas Meg.* vide ad XXXVIII, 32, n. 2. — *Cretenses et hostium auxiliares;* vide ad II, 42, n. 7. *Et* exponi potest *etiam:* certe *Cretenses* et *hostium auxiliares* eosdem esse, liquet ex verbis seqq. *eodem ex parte utraque hominum genere et armis paribus.*

Digitized by Google

ptum a Philopœmene præfectis erat, ut, modico edito prælio, in fugam inclinarent, hostemque ad insidiarum locum pertraherent [2]. Effuse sequuti fugientes per convallem plerique et vulnerati, et interfecti sunt, priusquam occultum hostem viderent. Cætrati ita, quantum latitudo vallis patiebatur, instructi sederant, ut facile per intervalla ordinum fugientes suos acciperent. Consurgunt deinde ipsi integri, recentes, instructi; et in hostes inordinatos, effusos, labore etiam et vulneribus fessos, impetum faciunt. Nec dubia victoria fuit. Extemplo terga dedit tyranni miles; et haud paulo concitatiore cursu, quam sequutus erat, fugiens, ad castra est compulsus. Multi cæsi captique in ea fuga sunt. Et in castris quoque foret trepidatum, ni Philopœmen receptui cani jussisset; loca magis confragosa, et, quacumque temere processisset, iniqua, quam hostem, metuens. Inde et ex fortuna pugnæ, et ex ingenio ducis conjectans, in quo tum is pavore esset, unum de auxiliaribus specie transfugæ mittit ad eum, qui pro comperto afferret: Achæos statuisse postero die ad Eurotam amnem, qui prope ipsis adfluit mœnibus [3], progredi, ut intercluderent iter; ne aut tyrannus, quum vellet, receptum ad urbem haberet, aut commeatus ab urbe in castra portarentur; simul etiam tentaturus, si quorum animi sollicitari ad defectionem a tyranno possent. Non tam

2. *Ad ins. loc. pertraherent.* In vulgatis olim editt. oratio, male uni tantum periodo adstricta, procurrebat usque ad *hostem viderent.* Sed Crev. post *pertraherent*, ubi sensus absolvitur, distinctionem, probantibus viris doctis, posuit. Ed. — *Instructi sederant* in insidiis; unde mox *consurgunt.* — *Integri et recentes*, quibus opponuntur *vulneribus et labore fessi*, ut *instructis inordinati.* Conf. ad III, 7, n. 1.

3. *Ipsis adfluit mœnibus*, sc. Lacedæmonis. — *Simul etiam tentaturus*, nimirum is, qui sub specie transfugæ *pro comperto afferret;* nempe cum his verbis τὸ *tentaturus* bene cohærere monet Doering. In vett. libris legitur

Digitized by Google

fidem dictis perfuga fecit, quam perculso metu relinquendi castra causam probabilem præbuit. Postero die Pythagoram cum auxiliaribus et equitatu stationem agere pro vallo jussit. Ipse, tanquam in aciem cum robore exercitus egressus, signa ocius ferri ad urbem jussit.

XXX. Philopœmen, postquam citatum agmen per angustam et proclivem viam duci raptim vidit, equitatum omnem et Cretensium auxiliares in stationem hostium, quæ pro castris erat, emittit. Illi, ubi hostes adesse, et a suis se desertos viderunt, primo in castra recipere se conati sunt; deinde, postquam instructa acies tota Achæorum admovebatur, metu ne cum ipsis castris caperentur, sequi suorum agmen aliquantum prægressum insistunt[1]. Extemplo cætrati Achæorum in castra impetum faciunt (et diripiunt): cæteri ad persequendos hostes ire pergunt. Erat iter tale, per quod vix tranquillum ab hostili metu agmen expediri posset. Ut vero ad postremos prælium ortum est, clamorque terribilis a tergo paventium ad prima signa est perlatus, pro se quisque, armis abjectis, in circumjectas itineri silvas diffugiunt, momentoque temporis strage armorum septa via est, maxime hastis; quæ, pleræque adversæ cadentes[2], velut vallo objecto iter impediebant. Philopœmen, utcumque possent, instare et persequi auxiliaribus jussis (utique enim

tentaturos vel *tentaturum;* male. Nostra lectio e cod. Mogunt. feliciter restituta est. Ed.

Cap. XXX. 1. *Sequi suor. agmen... insistunt;* vide ad XXIV, 26, n. 7. — *In castra impetum faciunt et diripiunt;* forte *et ea diripiunt:* sed hæ duæ voces, additæ e Mog. delentur; Gron. — Non consentientem Doeringium habet Gronov. is enim, præterquam quod satis gravem cod. Mogunt. auctoritatem arbitratur, illas voces, quum eventum, quo impetus in castra factus sit, declarent, nec otiosas, nec superfluas, ideoque non delendas pronuntiat. Ed.

2. *Pleræque adversæ cadentes* « hastæ, cuspide in hostes conversa. Sed

Digitized by Google

equitibus haud facilem futuram fugam), ipse gravius agmen via patentiore ad Eurotam amnem deduxit. Ibi castris sub occasum solis positis, levem armaturam, quam ad persequendum reliquerat hostem, opperiebatur. Qui ubi prima vigilia venerunt, nuntiantes, tyrannum cum paucis ad urbem penetrasse, cæteram multitudinem inermem toto sparsam vagari saltu, corpora curare eos jubet. Ipse ex cætera copia militum (qui, quia priores in castra venerant, refecti et cibo sumpto, et modica quiete erant) delectos, nihil præter gladios secum ferentes, extemplo educit; et duarum portarum itineribus [3], quæ Pheras, quæque Barbosthenem ferunt, eos instruxit; qua ex fuga recepturos sese hostes credebat. Nec eum opinio fefellit. Nam Lacedæmonii, quoad lucis superfuit quidquam, deviis callibus medio saltu se recipiebant.

quomodo fieri potuit, ut hastæ, temere abjectæ, pleræque adversæ ceciderint? Suspicor *transversæ*, ut hastæ, a fugientibus abjectæ, pleræque transversæ ceciderint, atque ea re via, velut vallo quodam objecto, septa et iter impeditum fuerit ». Duker. Sed non ita *vallum* effectum esset: et potius *adversæ ceciderunt* cuspide terræ obversa, ut defigerentur; Ern. *Hasta adversa* est ita sita, ut ferrum obvertat, adeoque *adversæ cadentes hastæ*, quæ directo in terram ferro cadunt: ex iis autem sic temere in terram fortuito casu infixis effecta est imago illa cujusdam quasi valli, quo *iter impediebatur;* Crev. — Doering. sic interpungit *quæ pleræque*, *adversæ*, etc. Ed.

3. *Et duarum portarum itin... eos instr.* Sensum bene explanat Doering.: in insidiis nempe delectos illos milites ita collocaverat, ut duo diversa itinera obsiderent, unum quod ex una urbis porta Pheras, alterum quod ex altera urbis porta Barbosthenem ducebat. Ed. — *Quæ Pheras, quæque Barbosthenem ferunt*, montem, de quo vid. cap. 27. Pro *Pheras* vett. edd. *Phecas*, et MSS *Phocas*, *Phagas*, *Phachas*, sed Bustid. *Pharas*, *Pheræ* vel *Pharæ*, αἱ Φηραί, et Dor. Φαραί, opp. Messeniæ, quæ olim pars Laconicæ fuit; nisi Phara seu Pharæ Messeniæ et Laconicæ diversæ fuerunt urbes; vide Schweigh. ad Polyb. XVI, 16, § 8. Pausan. IV, 16, dicit πόλιν τῆς Λακονικῆς, τὸ μὲν ἀρχαῖον ὄνομα καὶ ἐν Ὁμήρου καταλόγῳ Φάριν, ὑπὸ δὲ τῶν Σπαρτιατῶν καὶ προσοίκων καλουμένην Φαράς. Conf. id. III, 20; IV, 30; Eustath. et alii intpp. Homer. Il. II, 582; Meurs. Misc. Lacon. IV, 8; Cellar. Geogr. ant. II, 3, p. 765.

Digitized by Google

Primo vespere[4] ut lumina in castris hostium conspexere, e regione eorum occultis semitis se tenuerunt: ubi ea sunt prægressi, jam tutum rati, in patentes vias descenderunt. Ibi excepti ab insidente hoste passim ita multi cæsi captique sunt, ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit. Philopœmen, incluso tyranno in urbem, insequentes dies prope triginta vastandis agris Laconum absumpsit, debilitatisque ac prope fractis tyranni viribus, domum rediit, æquantibus eum gloria rerum Achæis imperatori romano, et, quod ad laconicum bellum attineret, præferentibus etiam.

XXXI. Dum inter Achæos et tyrannum bellum erat, legati Romanorum circumire sociorum urbes, solliciti, ne Ætoli partis alicujus animos ad Antiochum avertissent[1]. Minimum operæ in Achæis adeundis consumpserunt; quos, quia Nabidi infesti erant, ad cætera quoque satis fidos censebant esse. Athenas primum, inde Chalcidem, inde in Thessaliam iere: alloquutique concilio frequenti Thessalos, Demetriadem iter direxere. Eo Magnetum concilium indictum est. Accuratior ibi habenda oratio fuit, quod pars principum alienati a Romanis, totique Antiochi et Ætolorum erant[2]; quia, quum reddi filium obsidem Philippo allatum esset, stipendiumque impositum remitti,

4. *Primo vespere;* vide ad I, 6, n. 1. — *Excepti* (vide tamen ad libr. II, cap. 4, n. 3) *ab hoste insidente* patentes vias.

Cap. XXXI. 1. *Ne Ætoli p. a. animos ad Antioehum avertissent;* vide ad III, 63, n. 1. — *Demetriadem iter direxere* omnes MSS., præter Mog. et edd. ante Ald. unde recepi pro vulg. *flexere*, quod servavit Drak. quoniam *dirigere iter* aut raro admodum, aut nunquam apud Livium occurrit. Sed eo probabilius est, τὸ *flexere* glossatoribus deberi, et *direxere* in illud mutatum esse: locutio autem illa sæpius apud Cic. et Cæs. occurrit. — *Flexere* tamen dedit Doer. e cod. Mogunt. Ed.

2. *Totique Antiochi erant;* vide ad III, 36, n. 4.

Digitized by Google

inter cætera vana allatum erat, Demetriadem quoque ei reddituros Romanos esse. Id ne fieret, Eurylochus, princeps Magnetum, factionisque ejus quidam, omnia novari[3] Ætolorum Antiochique adventu, malebant. Adversus eos ita disserendum erat, ne, timorem vanum iis demendo, spes incisa Philippum abalienaret; in quo plus ad omnia momenti, quam in Magnetibus, esset. Illa tantum commemorata, *quum totam Græciam beneficio libertatis obnoxiam Romanis esse*[4], *tum eam civitatem præcipue. Ibi enim non præsidium modo Macedonum fuisse, sed regiam exædificatam, ut præsens semper in oculis habendus esset dominus. Cæterum nequidquam ea facta, si Ætoli Antiochum in Philippi regiam adducerent, et novus et incognitus pro vetere et experto habendus rex esset.* Magnetarchen summum magistratum vocant[5]. Is tum Eurylochus erat; ac potestate ea fretus, negavit dissimulandum sibi et Magnetibus esse, quæ fama vulgata de reddenda Demetriade Philippo foret. Id ne fieret, omnia et conanda et audenda Magnetibus esse. Et inter dicendi contentionem inconsultius[6] evectus projecit, *Tum quoque specie liberam Demetriadem esse: revera omnia ad nutum Romanorum fieri.* Sub

3. *Omnia novari;* vide ad I, 52, n. 1.—*Timorem vanum iis demendo*, id est, faciendo verbis ut timorem suum de Demetriade Philippo restituenda vanum plane et inanem agnoscant. Romani scilicet, quod bene observat Doer. ut Philippum in amicitia retinerent, spe Demetriadis recipiendæ ejus animum lactaverant; sed hæc spes *incisa*, præcisa et dempta Philippo fuisset, si Romani se non Demetriadem reddituros esse Philippo, nunc fidem fecissent Magnetibus. Ed. — *Spes incisa;* vide ad III, 10, n. 9. — *In quo plus ad omnia momenti;* vide ad I, 47, n. 7.

4. *Obnoxiam Romanis esse;* vide ad III, 39, n. 1.

5. *Magnetarchen summum magistratum* (vide ad XXXIII, 27, n. 5), sc. Magnetum *vocant* (vide ad II, 18, n. 4), vel *vocant*, sc. Magnetes.

6. *Inconsultius evectus* (vide ad XXII, 43, n. 1) *projecit*, temere dixit; de verbis, quæ alicui temere excidunt. Germ. *hinwerfen*. — *Sub*

Digitized by Google

hanc vocem fremitus variantis multitudinis fuit partim adsensum, partim indignationem, dicere id ausum eum. Quintius quidem adeo exarsit ira, ut, manus ad cælum tendens, deos testes ingrati ac perfidi animi Magnetum invocaret. Hac voce perterritis omnibus, Zeno, ex principibus unus, magnæ tum ob eleganter actam vitam[7] auctoritatis, tum quod semper Romanorum haud dubie partis fuerat[8], ab Quintio legatisque aliis flens petiit, *ne unius amentiam civitati adsignarent. Suo quemque periculo furere. Magnetas non libertatem modo, sed omnia, quæ hominibus sancta caraque sint, T. Quintio et populo romano debere. Nihil quemquam ab diis immortalibus precari posse, quod non Magnetes ab illis haberent; et in corpora sua citius per furorem sævituros, quam ut romanam amicitiam violarent.*

XXXII. Hujus orationem subsequutæ multitudinis preces sunt. Eurylochus ex concilio itineribus occultis ad portam, atque inde protenus in Ætoliam profugit. Jam enim, et id magis in dies, Ætoli defectionem nudabant[1]; eoque ipso forte tempore Thoas, princeps gentis, quem miserant ad Antiochum[2], redierat, indeque Menippum secum adduxerat, regis legatum. Qui, prius quam concilium iis daretur, impleverant omnium aures terrestres navalesque copias commemorando; *ingentem vim peditum equitumque venire*;

hanc vocem (vide ad II, 55, n. 1) *fremitus multitudinis fuit variantis*, alternantis, inter se confundentis *adsensum* et *indignationem*, quod *dicere id ausus* esset; Gron. *Adsentientium* et *indignantium* edd. antt. et ex MSS Lov. 2, 5, Harl. Victor. prob. Doujat. Sed conf. Drak. — Gronovii emendatio paulo durior videtur Doeringio, qui vulgatam tuetur. Ed.

7. *Ob eleganter actam vitam*; vid. cap. 14, n. 3.

8. *Romanorum partis fuerat*; vide ad III, 36, n. 4; XXIV, 42, n. 4.

Cap. XXXII. 1. *Defectionem nudabant*; vide ad XXXIII, 21, n. 6.

Digitized by Google

ex India elephantos[3] : *ante omnia* (quo maxime moveri credebant multitudinis animos) *tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos possit.* Apparebat, quid ea oratio in concilio motura esset. Nam et venisse eos, et, quæ agerent, omnia romanis legatis deferebantur; et, quanquam prope abscisa res erat[4], tamen non ab re esse Quintio visum est, sociorum aliquos legatos interesse ei concilio, qui admonerent romanæ societatis Ætolos, qui vocem liberam mittere adversus regis legatum auderent. Athenienses maxime in eam rem idonei visi sunt, propter et civitatis digni-

2. *Thoas princeps gentis* (ut c. 45), *quem miserant ad Antiochum*, ita et XXXVI, 26, et apud Appian. Syr. 12; ex quo Sigon. conj. *princeps legationis.* « Supra, cap. 12, Dicæarchum, fratrem Thoantis, ad Antiochum fuisse missum, quo anno Thoas prætor Ætolorum fuerat; hic vero Thoantem ab Antiocho reversum legationem renuntiasse; et inf. c. 42, et XXXVI, 7, eum legatum Ætolorum apud Antiochum fuisse scribit Livius. Hæc non sunt contraria, sed sic intelligenda, eum, quum prætura annua gentis Ætolorum perfunctus esset, post Dicæarchi profectionem ipsum quoque ad Antiochum missum fuisse: haud dubie quod Ætoli sibi persuadebant, in eo, qui et princeps gentis, et Romanis inimicissimus erat, plus momenti futurum ad Antiochum ad bellum adversus Romanos incitandum, quam in Dicæarcho ». Duker. Hæc tamen paucis certe verbis a Livio erant referenda.

3. *Ex India elephantos*, h. e. Indicos, ut apud Ovid. Am. II, 6, n. 1, *psittacus ab Indis*, sc. venire; Gron. Conf. ad XLII, 20, n. 5; XLV, 39, n. 2; XLV, 43, n. 4. Sic et *a* pro *ex* ponitur; vide ad XXVII, 5, n. 4. *Adcitos* e cod. Mogunt. adjecere Aldus et reliqui ante Gron. — Quam spem Thoas et Menippus de indicorum elephantorum adventu faciunt, omnino aliquid momenti habere, quia elephanti indici longe africanis fuere præstantiores, monet Doering. Conf. ad XXXVIII, 39. Ed. — *Ante omnia*, præcipue, ut apud Suet. Cal. 21, ex cod. Mogunt: restituit Drak. Reliqui MSS exhibent *ad omnia*, sc. incepta felicius perficienda; nisi potius cum Gron. *ad* dictum accipias pro *super* aut *præter;* conf. ad II, 23, n. 3, et III, 42, n. 3.

4. *Abscisa res erat*, al. *abscissa;* vide ad IV, 19, n. 5. « Malim *abscisa spes*, ut IV, 10; XXIV, 30; XXXV, 45. Sic et *spem incidere*, II, 15; III, 58; VI, 39; XXXV, 31; et *præcidere*, IV, 3; XXIV, 31, XXIX, 15. Si *res* retinendum est, in eo tamen non alia sententia esse potest, quam etsi res eo redierant, ut prope abscisa esset spes animos Ætolorum ab societate Romanorum alienatos reconciliandi ». Duk. — *Non ab re esse*, ei consentaneum, aut utile esse. Conf. ad I, 27, n. 5.

Digitized by Google

tatem, et vetustam societatem cum Ætolis. Ab iis Quintius petiit, ut legatos ad Panætolicum[5] concilium mitterent. Thoas primus in eo concilio renuntiavit legationem. Menippus post eum intromissus, *Optimum fuisse omnibus, qui Græciam Asiamque incolerent*, ait, *integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum*[6] *: sua quemque habiturum fuisse, neque omnia sub nutum ditionemque romanam perventura.* « Nunc quoque, inquit, si modo vos, quæ inchoastis, « consilia constanter perducitis ad exitum, poterit, « diis juvantibus et Ætolis sociis, Antiochus quamvis « inclinatas Græciæ res restituere in pristinam digni- « tatem. Ea autem in libertate posita est, quæ suis « stat viribus, non ex alieno arbitrio pendet. » Athenienses, quibus primis, post regiam legationem, dicendi, quæ vellent, potestas facta est, mentione omni regis prætermissa, romanæ societatis Ætolos meritorumque in universam Græciam T. Quintii admonuerunt, *ne temere eam celeritate nimia consiliorum everterent. Consilia calida*[7] *et audacia prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia esse. Legatos romanos et in iis T. Quintium haud procul inde abesse. Dum integra omnia essent, verbis potius de iis, quæ ambigerentur, disceptarent, quam Asiam Europamque ad funestum armarent bellum.*

XXXIII. Multitudo, avida novandi res[1], Antiochi tota erat; et ne admittendos quidem in concilium Ro-

5. *Ad Panætolicum concilium;* vide ad XXXI, 29, n. 1.

6. *Integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum*, accedere, ut passim, vel succurrere, ut XL, 9.

7. *Consilia calida*, al. *callida*. Conf. Drak. et Duk. nosque ad XXII, 24, n. 2. — Doering. *calida* omnino defendit. Ed. — *Integra omnia;* vide ad II, 5, n. 1.

Cap. XXXIII. 1. *Multitudo, avida novandi res, Antiochi tota erat;* vide ad I, 52, n. 1; III, 36, n. 4, et III, 62, n. 5.

Digitized by Google

manos censebant. Principum maxime seniores auctoritate obtinuere, ut daretur iis concilium. Hoc decretum Athenienses quum retulissent, eundum in Ætoliam Quintio visum est. Aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Ætolos belli culpam esse; Romanos justa ac prope necessaria sumpturos arma. Postquam ventum est eo, Quintius in concilio, orsus a principio societatis Ætolorum cum Romanis, et quoties ab iis fides mota fœderis[2] esset, pauca de jure civitatium, de quibus ambigeretur, disseruit. *Si quid tamen æqui se habere arbitrarentur, quanto esse satius Romam mittere legatos, seu disceptare, seu rogare senatum mallent; quam populum romanum cum Antiocho, lanistis Ætolis*[3], *non sine motu magno generis humani et pernicie Græciæ, dimicare? nec ullos prius cladem ejus belli sensuros, quam qui movissent.* Hæc nequidquam velut vaticinatus Romanus. Thoas deinde cæterique factionis ejusdem, cum adsensu omnium auditi, pervicerunt, ut, ne dilato quidem concilio, et absentibus Romanis, decretum fieret, quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam, disceptatumque[4] inter Ætolos et Romanos. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus prætor eorum: nam quum

2. *Ab iis fides mota fœderis*; vide ad XXV, 16, n. 3. — *De quibus ambigeretur*, dubitaretur, vel certaretur; videndum est supra ad librum XXI, cap. 31, n. 6.

3. *Lanistis Ætolis*, h. e. committentibus, subornantibus in certamen; dum, sicut *lanistæ* paria gladiatorum, ita Ætoli quasi populum rom. cum Antiocho committunt (auctoribus, incitantibus); Gron. Conf. Cic. Philipp. XIII, 19, et Rosc. Am. cap. 40. Male *admixtis* vel *immixtis* plerique libri.

4. *Quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam disceptatumque* (supin.) *inter*, etc. ita MSS, non, ut edd. antt., *disceptandumque*; Gron. Conf. ad I, 50, n. 5, et V, 19, n. 3. — *Disceptandum* respondere τῷ *ad liberandam*, sed, ut bene observat Doer. non raro Noster orationis formam variare et mutare solet. Hic supinum *disceptatum* pendet ab *arcesseretur*. Ed.

Digitized by Google

tatem, et vetustam societatem cum Ætolis. Ab iis Quintius petiit, ut legatos ad Panætolicum[5] concilium mitterent. Thoas primus in eo concilio renuntiavit legationem. Menippus post eum intromissus, *Optimum fuisse omnibus, qui Græciam Asiamque incolerent*, ait, *integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum*[6] *: sua quemque habiturum fuisse, neque omnia sub nutum ditionemque romanam perventura.* « Nunc quoque, inquit, si modo vos, quæ inchoastis, « consilia constanter perducitis ad exitum, poterit, « diis juvantibus et Ætolis sociis, Antiochus quamvis « inclinatas Græciæ res restituere in pristinam digni- « tatem. Ea autem in libertate posita est, quæ suis « stat viribus, non ex alieno arbitrio pendet. » Athenienses, quibus primis, post regiam legationem, dicendi, quæ vellent, potestas facta est, mentione omni regis prætermissa, romanæ societatis Ætolos meritorumque in universam Græciam T. Quintii admonuerunt, *ne temere eam celeritate nimia consiliorum everterent. Consilia calida*[7] *et audacia prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia esse. Legatos romanos et in iis T. Quintium haud procul inde abesse. Dum integra omnia essent, verbis potius de iis, quæ ambigerentur, disceptarent, quam Asiam Europamque ad funestum armarent bellum.*

XXXIII. Multitudo, avida novandi res[1], Antiochi tota erat; et ne admittendos quidem in concilium Ro-

5. *Ad Panætolicum concilium;* vide ad XXXI, 29, n. 1.

6. *Integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum*, accedere, ut passim, vel succurrere, ut XL, 9.

7. *Consilia calida*, al. *callida*. Conf. Drak. et Duk. nosque ad XXII, 24, n. 2. — Doering. *calida* omnino defendit. Ed. — *Integra omnia;* vide ad II, 5, n. 1.

Cap. XXXIII. 1. *Multitudo, avida novandi res, Antiochi tota erat;* vide ad I, 52, n. 1; III, 36, n. 4, et III, 62, n. 5.

Digitized by Google

manos censebant. Principum maxime seniores auctoritate obtinuere, ut daretur iis concilium. Hoc decretum Athenienses quum retulissent, eundum in Ætoliam Quintio visum est. Aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Ætolos belli culpam esse; Romanos justa ac prope necessaria sumpturos arma. Postquam ventum est eo, Quintius in concilio, orsus a principio societatis Ætolorum cum Romanis, et quoties ab iis fides mota fœderis[2] esset, pauca de jure civitatium, de quibus ambigeretur, disseruit. *Si quid tamen æqui se habere arbitrarentur, quanto esse satius Romam mittere legatos, seu disceptare, seu rogare senatum mallent; quam populum romanum cum Antiocho, lanistis Ætolis*[3], *non sine motu magno generis humani et pernicie Græciæ, dimicare? nec ullos prius cladem ejus belli sensuros, quam qui movissent.* Hæc nequidquam velut vaticinatus Romanus. Thoas deinde cæterique factionis ejusdem, cum adsensu omnium auditi, pervicerunt, ut, ne dilato quidem concilio, et absentibus Romanis, decretum fieret, quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam, disceptatumque[4] inter Ætolos et Romanos. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus prætor eorum: nam quum

2. *Ab iis fides mota fœderis;* vide ad XXV, 16, n. 3. — *De quibus ambigeretur,* dubitaretur, vel certaretur; videndum est supra ad librum XXI, cap. 31, n. 6.

3. *Lanistis Ætolis,* h. e. committentibus, subornantibus in certamen; dum, sicut *lanistæ* paria gladiatorum, ita Ætoli quasi populum rom. cum Antiocho committunt (auctoribus, incitantibus); Gron. Conf. Cic. Philipp. XIII, 19, et Rosc. Am. cap. 40. Male *admixtis* vel *immixtis* plerique libri.

4. *Quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam disceptatumque* (supin.) *inter,* etc. ita MSS, non, ut edd. antt., *disceptandumque;* Gron. Conf. ad I, 50, n. 5, et V, 19, n. 3. — *Disceptandum* respondere τῷ *ad liberandam,* sed, ut bene observat Doer. non raro Noster orationis formam variare et mutare solet. Hic supinum *disceptatum* pendet ab *arcesseretur.* Ed.

Digitized by Google

id ipsum decretum posceret eum Quintius[5], non veritus majestatem viri, *aliud in præsentia, quod magis instaret, prævertendum sibi esse*, dixit: *decretum responsumque brevi in Italia, castris super ripàm Tiberis positis, daturum*. Tantus furor illo tempore gentem Ætolorum, tantusque magistratus eorum cepit.

XXXIV. Quintius legatique[1] Corinthum redierunt. Inde, ut quæque de Antiocho, nihil per se ipsi moti, et sedentes exspectare adventum viderentur regis, concilium quidem universæ gentis post dimissos Romanos non habuerunt: per apocletos autem (ita vocant sanctius consilium: ex delectis constat viris[2]) id

5. *Decretum posceret eum Quintius;* vide ad I, 24, n. 6. — Τὸ *eum* in pluribus vett. libris omissum est; fortasse, ait Doer., quod in loquendi genere, *poscere aliquem aliquid*, offendebatur, a quo tamen optimi quique scriptores haud abstinuere. Ed. — *Instaret;* vide ad III, 6, n. 5.—*Prævertendum;* vide ad II, 24, n. 3.

Cap. XXXIV. 1. *Quintius legatique;* vide ad III, 25, n. 4.—*Ut quæque de Antiocho, nihil per se ipsi moti, et sedentes exspectare adventum* (V. MSS *motum*) *viderentur regis*, etc. obscuriorem hunc locum sic explicabam: Ætolos, ne Romanis prius consilia eorum quam facta innotescerent, postea *concilium gentis nullum habuisse*, ita ut *quæque*, omnia, ut quamcumque spem haberent, viderentur exspectare de Antiocho, nihil ipsi pro ea laborantes, utque viderentur sedentes exspectare sive adventum sive motum regis; Gron. *Quieti de Antiocho* conj. Faber. et *moturi* pro *moti* non male Jac. Periz. et *adventu* pro *adventum* Benedict. qui tamen non dicit, quo sensu hæc verba ceperit. Excidisse nomen Ætolorum, vel aliud, e quo intelligatur, hæc de iis dici, bene suspicatur Duk. — Creverius, qui sine libris aliquid refingere noluit locum ita perspexit: « Ætoli, ne tanquam omnia reponentes in Ant. nihil per se ipsi moti, ac sedentes compressis, quod aiunt, manibus *exsp. adv. reg. vid.* etsi *concilium univ. gent. non habuerunt, per apocletos* tamen, etc. » Hinc emendationem molitus Doering. legendum existimat: *Ætoli ne quæque*, etc. « Perierant fortasse, ait, vel situ obductæ fuerant in nomine *Ætoli* literæ usque ad *i* et in MSS nihil conspiciebatur nisi... *i ne*, unde fortasse ineptus quidam homo fecit *inde*, et quia orationem non capiebat, addidit *ut* ». Τὸ *exspectare* tam ad *quæque* quam ad *adventum* referendum, vel per zeugma aliud verbum ad *quæque* supplendum videtur. Ed. — *Sedentes;* vide ad VII, 37, n. 4.

2. *Per apocletos: ita vocant sanctius consilium;* quod *ex delectis constat viris;* conf. XXXV, 46; XXXVI, 28; XXXVIII, 1, n. 3; Suid. voc. Ἀπόκλητοι, et Polyb. IV, 5, § 9; XX, 1, § 1; XX, 10, § 3, cui iidem ἄρχοντες dicuntur XXI, 2, n. 7, coll.

Digitized by Google

agitabant, quonam modo res in Græcia novarentur. Inter omnes constabat, in civitatibus principes, optimum quemque, romanæ societatis esse, et præsenti statu gaudere; multitudinem, et quorum res non ex sententia ipsorum essent, omnia novare velle[3]. Ætoli consilium uno die, spei quoque non audacis modo, sed etiam impudentis, ceperunt, Demetriadem, Chalcidem et Lacedæmonem occupandi. Singuli in singulas missi sunt principes; Thoas Chalcidem, Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem. Hunc exsul Eurylochus, de cujus fuga causaque fugæ ante dictum est[4], quia reditus in patriam nulla spes alia erat, adjuvit. Literis Eurylochi admoniti propinqui amicique, et qui ejusdem factionis erant, liberos et conjugem ejus cum sordida veste[5], tenentes velamenta supplicum, concionem frequentem adire jubent, singulos universosque obtestantes, ne insontem, indemnatum consenescere in exsilio sinerent. Et simplices homines misericordia, et improbos seditiososque immiscendi res tumultu ætolico spes movit: pro se quisque revo-

XXI, 3, n. 2. *Apocleti* delecti ordinum proceres ad concilium, *der enge Auschuss;* Bauer. Pro *consilium* alii *concilium*, a quo illud h. l. distinguitur. Cf. ad I, 54, n. 1, et XXXVIII, 1, n. 3. — *Res novarentur;* vide ad I, 52, n. 1.

3. *Principes, optimum quemque, romanæ societatis esse* (vide ad III, 36, n. 4), *et præsenti statu gaudere, multitudinem... omnia novare velle;* vide ad XXXVI, 6, n. 2. Ante *optimum* recte forsan *et* inseruit MS Mogunt. Conf. tamen ad I, 7, n. 6. *Principes* sunt nobilissimi ordinis senatorii (vid. Wessel. Obss. I, 8), et *optimus quisque*, qui optimatium partibus favebant, qui reipublicæ utilitati consulebant; qui non semper principes, sed interdum ex plebe erant; Drak. *Novari* malebat Sigon. Sed ipsi etiam auctores rerum novarum esse cupiebant.

4. *Eurylochus, de cujus fuga causaque fugæ ante dictum est*, etc. vide cap. 31, 32.

5. *Cum sordida veste;* vide ad II, 54, n. 5. — *Tenentes velamenta supplicum;* vide ad II, 54, n. 6. — *Consenescere;* vide ad I, 22, n. 3. — *Tumultu ætolico*, dum esset tumultus ætolicus, concitatus per Eurylochum; nisi potius, inquit Doering., *tumultu*, ut plura passim quartæ declinationis nomina, antique pro *tumultui* positum est. Ed.

Digitized by Google

care jubebant. His præparatis, Diocles, cum omni equitatu (et erat tunc præfectus equitum) specie reducentis exsulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, quum millia sex ab urbe abesset, luce prima tribus electis turmis, cætera multitudine equitum subsequi jussa, præcessit. Postquam portæ appropinquabat, desilire omnes ex equis jussit, et loris ducere equos, itineris maxime modo, solutis ordinibus; ut comitatus magis præfecti videretur, quam præsidium. Ibi una ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media urbe ac per forum, manu Eurylochum tenens, multis occurrentibus gratulantibusque, domum deduxit. Mox equitum plena urbs erat, et loca opportuna occupabantur. Tum in domos missi, qui principes adversæ factionis interficerent. Ita Demetrias Ætolorum facta est.

XXXV. Lacedæmone[1] non urbi vis afferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat; quem, spoliatum maritimis oppidis a Romanis, tunc intra mœnia etiam Lacedæmonis ab Achæis compulsum, qui occupasset occidere, eum totius gratiam rei apud Lacedæmonios laturum. Causam mittendi ad eum habuerunt, quod fatigabat precibus, ut auxilia sibi, quum illis auctoribus rebellasset, mitterentur. Mille pedites Alexameno dati sunt, et triginta delecti ex juventute equi-

Cap. XXXV. 1. *Lacedæmone*, plerique MSS *Lacedæmoni;* vide ad XXVIII, 26, n. 1. — *Qui occupasset occidere;* vide ad I, 14, n. 3. Sensus hoc loco est: licet Romani Nabin oppidis maritimis spoliarint, ejusque copias intra urbem Achæi compulerint, nihilominus ei uni Lacedæmonios universum sublatæ tyrannidis beneficium acceptum relaturos, qui tyrannum non fregisset, sed interfecisset; Drak. — *Eum totius gratiam rei*, etc. verum *potius gratiam rei* (sc. quam odium et pœnam) omnes MSS præter Mogunt. — Ipse quoque Doering. τὸ *totius* defendit, et ad *eum laturum* supplet: appareat, certum vel manifestum sit. Ed.

Digitized by Google

tes. Iis a prætore [2] Damocrito in consilio arcano gentis, de quo ante dictum est, denuntiatum, *ne se ad bellum Achaicum, aut rem ullam, quam sua quisque opinione præcipere posset, crederent missos esse. Quidquid Alexamenum res monuisset subiti consilii capere, ad id, quamvis inopinatum, temerarium, audax, obedienter exsequendum parati essent, ac pro eo acciperent, tanquam ad id unum agendum missos ab domo se scirent.* Cum his ita præparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem adveniens extemplo spei implevit: *Antiochum jam in Europam transisse, mox in Græcia fore; terras, maria, armis, viris completurum* [3]. *Non cum Philippo rem esse credituros Romanos. Numerum iniri peditum equitumque ac navium non posse: elephantorum aciem conspectu ipso debellaturam. Ætolos toto suo exercitu paratos esse venire Lacedæmonem, quum res poscat: sed frequentes armatos ostendere advenienti regi voluisse. Nabidi quoque et ipsi faciendum esse, ut, quas haberet copias, non sineret sub tectis marcescere otio* [4], *sed educeret; et in armis decurrere cogeret, simul animos acueret, et corpora exerceret. Consuetudine leviorem laborem fore; et comitate ac benignitate ducis etiam non injucundum fieri posse.* Educi inde frequenter ante urbem in campum ad Eurotam amnem cœpere. Satellites tyranni media fere in acie consistebant; tyrannus cum tribus summum

2. *Iis a prætore*, etc. cod. Victor. et Gaertn. *His*, sc. XXX equitibus, prob. Crev. — *Opinione præcipere*; vide ad VII, 26, n. 5.

3. *Terras, maria, armis, viris completurum*: verba *armis, viris* fortasse etiam referri possunt ad *maria*, quæ tamen magis *navibus* et *classibus* compleri dicuntur; unde alterutrum post *viris* forte excidit; Duk. — Nimis argutam hanc Dukeri observationem putat Doering.; nam per *arma* et *viros* copiæ tam terrestres quam navales designantur. Ed.

4. *Sub tectis marcescere otio*; vide ad XXIII, 45, n. 1. — *In armis de-*

Digitized by Google

pis[2] erat puer admodum, educatus cum liberis tyranni. Eum in equum imponunt, et, armis adreptis, Ætolos vagos per urbem cædunt. Tum regiam invadunt. Ibi Alexamenum cum paucis resistentem obtruncant. Ætoli circa Chalciœcon (Minervæ est templum æreum[3]) congregati cæduntur. Pauci, armis abjectis, pars Tegeam, pars Megalopolim perfugiunt. Ibi, comprehensi a magistratibus, sub corona venierunt[4].

XXXVII. Philopœmen, audita cæde tyranni, profectus Lacedæmonem, quum omnia turbata metu invenisset, evocatis principibus, et oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, societati Achæorum Lacedæmonios adjunxit[1]; eo etiam facilius, quod forte ad idem tempus A. Atilius cum quatuor et viginti quinqueremibus ad Gythium accessit. Iisdem diebus circa Chalcidem Thoas, per Euthymidam principem, pulsum opibus eorum, qui romanæ societatis erant post T. Quintii legatorumque[2] adventum, et Herodorum Cianum mercatorem, sed potentem Chalcide propter divitias, præparatis ad proditionem iis, qui Euthymidæ factionis erant, nequaquam eamdem fortunam, qua Demetrias per Eurylochum occupata erat, habuit. Euthymidas ab Athenis (eum domicilio delegerat locum) Thebas primum, hinc Salganea pro-

2. *Laconicus ejus stirpis*, etc. forte *Laonicus;* Gron.

3. *Circa Chalciœcon, Minervæ templum æreum*, unde ipsa Minerva ἡ Χαλκίοικος, scil. Ἀθηνᾶ. Confer. Pausan. III, 17, X, 5; Polyb. IV, 22 et 35; Thucyd. I, 134; Diodor. XI, 45; Suidas et Intpp. Corn. Nep. Pausan. V; Meurs. Misc. Lacon. I, 3; Periz. ad Æliani V. H. IX, 41; Leopard. Emend. XV, 8.

4. *Sub corona venierunt;* vide ad II, 17, n. 3.

Cap. XXXVII. 1. *Societati Achæorum Lacedæmonios adjunxit Philopœmen;* conf. Plut. Philop. p. 364 sq. et Pausan. VIII, 51. Polybiana hujus rei narratio intercidit.

2. *T. Quintii legatorumque;* vide ad III, 25, n. 4. — *Hinc Salg. processit; Her. ad Thronium. Inde*, etc. sic locum bene interpunxit Crev. pro-

Digitized by Google

cessit; Herodorus ad Thronium. Inde haud procul in Maliaco sinu duo millia peditum Thoas et ducentos equites, onerarias leves[3] ad triginta habebat. Eas cum sexcentis peditibus Herodorus trajicere in insulam Atalantam jussus; ut inde, quum pedestres copias appropinquare jam Aulidi atque Euripo[4] sensisset, Chalcidem trajiceret. Ipse cæteras copias, nocturnis maxime itineribus, quanta poterat celeritate, Chalcidem ducebat.

XXXVIII. Mictio[1] et Xenoclides, penes quos tum summa rerum, pulso Euthymida, Chalcide erat, seu ipsi per se suspicati, seu indicata re, primo pavidi, nihil usquam spei, nisi in fuga, ponebant: deinde, postquam resedit terror, et prodi et deseri non patriam modo, sed etiam Romanorum societatem, cernebant, consilio tali animum adjecerunt[2]. Sacrum anniversarium eo forte tempore Eretriæ Amarynthidis Dianæ[3] erat, quod non popularium modo, sed Ca-

bantibus Drak. et Doer. Antea enim sic distinguebant, *hinc Salg. processit Her. ad Thron. inde*, etc. Cæterum, ut notat Glar. Σαλγανεῦς portus est Bœotiæ ad Euripum; Thronium autem triginta stadiis a Scarphia, quæ urbs est ad Maliacum sinum, ut ait Strabo, lib. IX, p. 426. Ed.

3. *Onerarias leves;* vide ad XXV, 27, n. 5.

4. *Aulidi atque Euripo;* confer. XLV, 27, et ad XXVIII, 6, n. 3.

Cap. XXXVIII. 1. *Mictio* cod. Mogunt. Alii MSS et vett. edd. *Micion* (quod probat Victor. var. lect. I, 7; et notum est Græcorum nomen, de quo vid. Drak. ad XLIII, 7, ubi *Micion* est in ed. pr.), *Mittylo*, *Mittilio*, *Mictilo*, etc. et Appian. Syr. 12. Μικιθίων, ut videatur verum nomen esse *Micythio:* nam *Micythus* nomen notum est ejus, qui Anaxilai Rhegini tyranni liberorum tutor fuit (vid. Holsten. ad Steph. voc. Πυξοῦς, et de alio Nep. Epam. 4, de alio Ptolem. Hephæst. 4); unde Μικυθίων, ut *Eurytus*, *Eurytion;* Gron. Cf. Schweigh. ad Appian. l. l.

2. *Consilio tali animum adjecerunt*, Bened. conj. *objecerunt*. Sed τὸ *tali* refer ad seqq., quæ vulgato favent.

3. *Amarynthis Diana*, seu *Amarynthia* et *Amarysia*, sic dicta (ut et certamina ac festum) ab Amaryntho, Euboeæ vico, eoque nomine et ibi, et Athenis, Eretriæ, atque Carysti culta; vid. Pausan. I, 31; Strab. X, 448; Schol. Pind. Olymp. XIII, 159; *Montfauc. Antiq. expl.* t. I, p. 150; Meurs. Græc. fer. lib. I; Hesych. et

Digitized by Google

rystiorum etiam cœtu celebratur. Eo miserunt, qui orarent Eretrienses Carystiosque, *ut et suarum fortunarum in eadem insula geniti misererentur, et romanam societatem respicerent. Ne sinerent Ætolorum Chalcidem fieri. Eubœam habituros, si Chalcidem habuissent. Graves fuisse Macedonas dominos; multo minus tolerabiles futuros Ætolos.* Romanorum maxime respectus civitates movit, et virtutem nuper in bello, et in victoria justitiam benignitatemque expertas. Itaque, quod roboris in juventute erat, utraque civitas armavit misitque. His tuenda mœnia Chalcidis oppidani quum tradidissent, ipsi omnibus copiis transgressi Euripum, ad Salganea posuerunt castra. Inde caduceator primum, deinde legati ad Ætolos missi percunctatum, quo suo dicto factove socii atque amici ad se oppugnandos venirent? Respondit Thoas dux Ætolorum, *Non ad oppugnandos, sed ad liberandos ab Romanis, venire sese. Splendidiore nunc eos*[4] *catena, sed multo graviore, vinctos esse, quam quum præsidium Macedonum in arce habuissent. Se vero*, negare Chalcidenses, *aut servire ulli, aut præsidio cujusquam egere.* Ita digressi ex colloquio legati ad suos. Thoas et Ætoli, ut qui spem omnem in eo, ut improviso opprimerent, habuissent, ad justum bellum oppugnationemque urbis mari ac terra munitæ haudquaquam pares, domum rediere. Euthymidas, postquam castra popularium ad Salganea esse profectosque

Steph. Byz. — *Ne sinerent*, forte *neu s.*; Duk.

4. *Splendidiore catena*, speciosiore servitute, *sed multo graviore*, aliis *et m. g.*; vide ad XXIII, 44, n. 4.— *Justum bellum* Doering. interpretatur apertum, quod solenni more et indicitur, et omni, quem bellum aliquod requirit, apparatu geritur. Apud Cic. in Cat. sæpius *justum bellum* opponitur *latrocinio;* nunc quidem opponitur facto ab Ætolis Chalcidem improviso opprimendi et occupandi periculo. Ed.

Digitized by Google

Ætolos audivit, et ipse a Thebis Athenas rediit. Et Herodorus, quum per aliquot dies intentus ab Atalanta signum nequidquam exspectasset, missa speculatoria nave, ut, quid moræ esset, sciret, postquam rem omissam a sociis vidit, Thronium, unde venerat, repetit.

XXXIX. Quintius quoque, his auditis, ab Corintho veniens navibus, in Chalcidis Euripo[1] Eumeni regi occurrit. Placuit, quingentos milites præsidii causa relinqui Chalcide ab Eumene rege; ipsum Athenas ire. Quintius, quo profectus erat, Demetriadem contendit; ratus Chalcidem liberatam momenti aliquid apud Magnetas ad repetendam societatem romanam facturam: et, ut præsidii aliquid esset suæ partis hominibus, Eunomo prætori Thessalorum scripsit, ut armaret juventutem, et Villium ad Demetriadem præmisit ad tentandos animos; non aliter, nisi pars aliqua inclinaret ad respectum pristinæ societatis, rem aggressurus. Villius quinqueremi nave ad ostium portus[2] est invectus. Eo multitudo Magnetum omnis quum se effudisset, quæsivit Villius, utrum ad amicos, an ad hostes, sese venisse mallent? Respondit Magnetarches Eurylochus[3], *Ad amicos venisse eum: sed abstineret portu, et sineret Magnetas in concordia et libertate esse, nec per colloquii speciem multitudinem sollicitaret.* Altercatio inde, non sermo, fuit,

Cap. XXXIX. 1. *In Chalcidis Euripo;* vide ad XXVIII, 6, n. 3. — Hanc lectionem primus edidit Gelen. quum antea legeretur *Chalcidem in Euripo;* quidam codd. apud Drak. exhibent *Chalcide in Euripo.* Quare, ut notat Glareanus, in incerto relinquitur, veneritne per Euripum Chalcidem Quintius, an in Euripo occurrerit Eumeni regi. Sed id perexiguum. Ed.

2. *Ad ostium portus*, quod non intravit, jussus *abstinere portu;* unde Curio et alii τὸ *ad* male deleverunt; Gron.—*Ad ostium*, est, ante ostium, sub portus aditu substitit. Ed.

3. *Magnetarches Eurylochus;* vide ad cap. 31, n. 5.

Digitized by Google

quum Romanus ut ingratos increparet Magnetas, imminentesque prædiceret clades; multitudo obstreperet, nunc senatum, nunc Quintium accusando. Ita irrito incepto Villius ad Quintium sese recepit. At Quintius, nuntio ad prætorem misso[4], ut reduceret domum copias, ipse navibus Corinthum rediit.

XL. Abstulerunt me velut de spatio[1] Græciæ res immixtæ Romanis; non quia ipsas operæ pretium esset prescribere, sed quia causæ fuerunt cum Antiocho belli. Consulibus designatis (inde namque deverteram)[2], L. Quintius et Cn. Domitius consules in provincias profecti sunt; Quintius in Ligures, Domitius adversus Boios[3]. Boii quieverunt; atque etiam senatus eorum cum liberis et præfecti cum equitatu (summa omnium mille et quingenti) consuli dediderunt sese. Ab altero consule ager Ligurum late est vastatus, castellaque aliquot capta; unde non præda modo omnis generis cum captivis parta, sed recepti quoque aliquot cives sociique, qui in hostium potestate fuerant. Eodem hoc anno Vibonem colonia deducta est ex senatusconsulto plebeique scito. Tria millia et septingenti pedites ierunt, trecenti equites. Triumviri

4. *Nuntio ad prætorem misso, ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10.

Cap. XL. 1. *Abstulerunt me velut de spatio*, effecerunt, ut quasi de spatio et curriculo deflecterem in circo.

2. *Inde namque deverteram;* vide ad I, 51, n. 2.

3. *Quintius in Ligures, Domitius adversus Boios*, etc. a quibus non discrepant, quæ cap. 22 leguntur, utrumque consules in Boios venisse, et late agrum hostium pervastasse: sed hinc intelligimus, Quintium potissimum rem gessisse in Liguria, inde eam adeo penetrasse, ut ad collegam in Boios pervenerit; hinc Boios Domitio, cujus ea provincia erat, se dedidisse, inde factum id, postquam jam castris vicinis in confinio provinciarum coiissent consules; Gron. Sed cap. 22 diserte Livius narrat, ambos consules in provincias profectos; cap. 24, Quintium ex provincia revocatum esse, ut novorum consulum comitia haberet: hic vero tradit, L. Quintium et Cn. Domitium consules in provincias profectos esse, consulibus designatis; Crev.

Digitized by Google

deduxerunt eos, Q. Nævius, M. Minucius, M. Furius Crassipes. Quina dena jugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equiti[4]. Bruttiorum proxime fuerat ager: Bruttii ceperant de Græcis. Romæ per idem tempus duo maximi fuerunt terrores; diutinus alter, sed segnior. Terra dies duodequadraginta movit. Per totidem dies feriæ in sollicitudine ac metu fuere. In triduum ejus rei causa supplicatio habita est. Ille non pavor vanus[5], sed vera multorum clades fuit. Incendio a foro Boario orto, diem noctemque ædificia in Tiberim versa arsere, tabernæque omnes cum magni pretii mercibus conflagraverunt.

XLI. Jam fere in exitu annus erat; et in dies magis fama de Antiochi bello, et cura Patribus crescebat. Itaque de provinciis magistratuum designatorum, quo intentiores essent omnes, agitari cœptum est. Decrevere; ut consulibus Italia, et quo senatus censuisset (jam esse bellum adversus Antiochum regem omnes sciebant), provinciæ essent. Cujus ea sors[1] esset, quatuor millia peditum civium romanorum, et trecenti equites, sex millia socium latini nominis cum quadringentis equitibus sunt decreta. Eorum delectum habere L. Quintius consul jussus, ne quid moraretur, quo minus consul novus, quo senatus censuisset, extemplo proficisci posset. Item de provinciis prætorum decretum est: prima ut sors duæ[2], urbanaque et in-

4. *Duplex equiti* omnes MSS præter Mogunt. et edd. ante Ald. qui dedit *equitibus*. — *Diutinus alter*. Multi *diutius*, et sic legebat Sigonius; sed plures *diutinus*, ipsa structuræ ratione flagitante. Sensus est: alter diu quidem duravit, sed non tam luctuosus, et minorem cladem intulit. Ed. — *Terra movit* se, mota est, ut XL, 59. Conf. ad II, 3, n. 2.

5. *Ille non pavor v.*, ed. Ascens. et al. *alter* pro *ille*. Sed elegantius *ille* et *hic* pro *alter* poni, docet Gron.

Cap. XLI. 1. *Cujus ea sors esset*, provincia, sorte accepta, sc. bellum adversus Antiochum. Conf. ad X, 26, n. 4.

2. *Prima ut sors duæ* provinciæ essent, vel duas contineret, urbanam et peregrinam præturam. Confer. ad X,

Digitized by Google

ter cives ac peregrinos jurisdictio esset; secunda, Bruttii; tertia, classis, ut navigaret, quo senatus censuisset; quarta, Sicilia; quinta, Sardinia; sexta, Hispania ulterior. Imperatum prætérea L. Quintio consuli est, ut duas legiones civium romanorum novas conscriberet, et socium ac latini nominis viginti millia peditum, et octingentos equites. Eum exercitum prætori, cui Bruttii provincia evenisset, decreverunt. Ædes duæ Jovi eo anno in Capitolio dedicatæ sunt. Voverat L. Furius[3] Purpureo prætor gallico bello unam, alteram consul. Dedicavit Q. Marcius Ralla duumvir. Judicia in feneratores eo anno multa severe sunt facta, accusantibus privatos ædilibus curulibus, M. Tuccio et P. Junio Bruto. De mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Jovis supra fastigium ædiculæ[4], et duodecim clypea inaurata; et iidem porticum extra portam Trigeminam inter lignarios[5] fecerunt.

XLII. Intentis in apparatum novi belli Romanis,

26, n. 4; XXV, 3, n. 1; XXV, 41, n. 8. — Sensum sic Doering. exponit: ita ut, cui sors prima cecidisset, ei essent duæ jurisdictiones conjunctim, scil. tam urbana, quam inter cives ac peregrinos. In veteribus editionibus et quibusdam codicibus vox *peregrina*, ante *urbana* intrusa est, aperte ex interpretatione verborum *int. civ. et per.* ab inepto quodam homine in textum importata est. Ed.

3. *Voverat L. Furius*, etc. vide ad XXXIV, 35, n. 5. — *Dedicavit Q. Marcius R. duumvir;* vide ad I, 53, n. 3, et XXIII, 30, n. 8.

4. *In cella Jovis supra fastigium ædiculæ;* vide ad III, 19, n. 11. *Ædicula* Lipsio videbatur esse ipsa templi cella; Ryckio de Capit. cap. 23, minor cella seu ædicula (capellam vulgo vocant), quales in ipsa cella aut in cellæ alis fuerint, in quibus minora deorum simulacra ponerentur (in qua ædicula hic memorata consecratam fuisse putabat Victoriam auream, ab Hierone missam, de qua vid. XXII, 37); Crev. capsula aliqua, quæ forsan signum Jovis aut sacra incluserit. *Positæ in cella Jovis et supra f. æd. duod. cl.*, vel *positæ supra fastigium æd. et in cella Jovis duod. cl.* conj. Drak. — *Clypea inaurata;* vide ad XXV, 39, n. 7.

5. *Inter lignarios*, loco sic dicto ab ejusmodi opificibus lignariis (ita Crever. et Marlian. in topograph. IV, 1), vel potius negotiatoribus ejus generis, ut *inter falcarios* apud Cic. Sull. 18,

Digitized by Google

ne ab Antiocho quidem[1] cessabatur. Tres eum civitates tenebant, Smyrna et Alexandria Troas et Lampsacus; quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere, neque a tergo relinquere, trajiciens ipse in Europam, volebat. Tenuit eum et de Hannibale deliberatio. Et primo naves apertæ, quas cum eo missurus in Africam fuerat, moratæ sunt; deinde, an omnino mittendus esset, consultatio mota est, maxime a Thoanta Ætolo, qui, omnibus in Græcia tumultu completis, Demetriadem afferebat in potestate esse, et, quibus mendaciis de rege, multiplicando verbis copias ejus, erexerat multorum in Græcia animos, iisdem et regis spem inflabat: *omnium votis eum arcessi. Concursum ad litora futurum, unde classem regiam prospexissent.* Hic idem ausus de Hannibale est movere[2] sententiam prope jam certam regis. Nam *neque dimittendam partem navium a classe regia* censebat; *neque, si mittendæ naves forent, minus quempiam ei classi, quam Hannibalem, præficiendum. Exsulem illum et Pœ-*

et Catil. I, 4. Ita Ernesti in clav. Cic. voc. *falcarius.*

Cap. XLII. 1. *Ne ab Ant. quidem.* Doer. suspecta est particula *ne;* qui si *ne* cessavit *quidem*, quidnam tandem fecit? et cur *ne... quidem?* num præter opinionem nunc *haud* cessasse visus est? nam ad ejusmodi sententiam referri omnino debent particulæ *ne quidem.* « Atqui, adjicit Doering., Antiochum in belli Romanis inferendi apparatu vere cessasse et cessare coactum fuisse, satis docent sequentia. Nam primum tres civitates quas frustra adhuc expugnare tentaverat, deinde deliberatio de Hannibale; denique apertæ naves eum remorabantur, et, ut cessaret, in causa erant. Huc accedit quod ipse Antiochus, cap. 44, se *non ulla re satis* ad bellum *paratum* esse fatetur. » Quare particula *ne*, quæ sententiarum nexum plane turbare videtur, delendam existimat. Ed. — *Alexandria Troas*, Ἀλεξάνδρεια ἡ ἐπὶ Τρωάδος apud auctorem Chron. Alex. p. 171; ἡ Τρωὰς Ἀλεξάνδρεια apud Polyb. V, 78, 111; XXI, 10, 11; quæ etiam simpl. *Troas* et *Antogonia Troas* dicebatur; vid. Petit. Var. Lect. I, 12; Cuper. Monum. ant. post Harpocr. p. 210, et Spanhem. ad Callim. H. in Cer. 135.—*Naves apertæ;* vide ad XXII, 19, n. 4.

2. *Movere sententiam;* vid. XXV, 16, n. 3.

Digitized by Google

num esse, cui mille in dies nova consilia vel fortuna sua, vel ingenium possit facere. Et ipsam eam gloriam belli, qua velut dote Hannibal concilietur, nimiam in præfecto regio esse. Regem conspici, regem unum ducem, unum imperatorem videri debere. Si classem, si exercitum amittat Hannibal, idem damni fore, ac si per alium ducem amittantur. Si quid prospere eveniat, Hannibalis eam, non Antiochi, gloriam fore. Si vero universo bello vincendi Romanos fortuna detur, quam spem esse, sub rege victurum Hannibalem uni subjectum, qui patriam prope non tulerit? Non ita se a juventa eum gessisse, spe animoque complexum orbis terrarum imperium, ut in senectute dominum laturus videatur. Nihil opus esse regi Hannibale duce; comite et consiliario eodem ad bellum uti posse. Modicum fructum ex ingenio tali neque gravem, neque inutilem fore. Si summa petantur, et dantem, et accipientem prægravatura[3].

XLIII. Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quam eorum, qui genus ac fortunam suam animis non æquant; quia virtutem et bonum alienum oderunt[1]. Extemplo consilium mittendi Hannibalis, quod unum in principio belli utiliter cogitatum erat, abjectum est. Demetriadis maxime defectione ab Romanis ad Ætolos elatus, non ultra differre profectionem

3. *Accipientem prægravatura*, ei incommoda et noxia futura; Ern. *Prægravare* proprie dicitur onus nimis grave, deinde numerus nimis crescens, ut V, 34, et XXXVIII, 25.

Cap. XLIII. 1. *Quia virtutem et bon. al. oderunt.* Creverius malit *virtutem ut bon.* hoc est, oderunt virtutem, tanquam bonum alienum, quod quum ad se nihil pertinere intelligant, in aliis reperiri moleste ferunt. Sed eodem fere redit vulgata, quam sic exponunt: ægre ferunt, alios homines instructos et ornatos esse virtute et bono, quod ipsi assequi nequeant. Cæterum, ut observat Doering., quod Noster in universum de hominum, ad invidiam proclivium, ingeniis dicit, id ad Antiochum nunc transferendum esse facile apparet. Ed. — *Ilium a*

Digitized by Google

in Græciam constituit. Prius quam solveret naves, Ilium a mari adscendit, ut Minervæ sacrificaret. Inde ad classem regressus, proficiscitur quadraginta tectis navibus, apertis sexaginta[2]; et ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu bellicoque alio apparatu sequebantur. Imbrum primo insulam tenuit[3]: inde Sciathum trajecit; ubi, collectis in alto, quæ dissipatæ erant, navibus, ad Pteleum primum continentis venit. Ibi Eurylochus ei Magnetarches principesque Magnetum ab Demetriade occurrerunt. Quorum frequentia lætus, die postero in urbis portum navibus est invectus. Copias haud procul inde exposuit. Decem millia peditum fuere et quingenti equites, sex elephanti; vix ad Græciam nudam[4] occupandam satis copiarum, nedum ad sustinendum romanum bellum. Ætoli, postquam Demetriadem venisse Antiochum allatum est, concilio indicto, decretum, quo arcesserent eum, fecerunt. Jam profectus ab Demetriade rex, quia ita decreturos sciebat, Phalara in sinum Maliacum processerat[5]. Inde, decreto accepto, Lamiam venit, exceptus ingenti favore multitudinis, cum plausibus

mari (vide ad VIII, 17, n. 7) *adscendit, ut Minervæ sacrificaret,* cui præsidi arcis inclytum in ea fuit templum. Cf. XXXVII, 9 et 37, ad XLV, 28, n. 1; Heyn. Excurs. IX ad Virg. Æn. II, 293 seq. Appian. B. Mithrid. 53; Aurel. Vict. de Viris ill. 70; Strab. 13, pag. 591, 593, 597; unde etiam patebit, Ilium recentius a prisco diversum et *mari* propius fuisse. *Adscendit Ilium*, ut XXXVII, 9, 37, et apud Herodot. VII, 43, ἐς τὸ τοῦ Πριάμου Πέργαμον ἀνέβη, Drak. *Descendit* multi MSS, unde *escendit* conj. Jac. Gron.

2. *XL tectis navibus, apertis LX;* videndum supra ad librum XXII, cap. 19, n. 4.

3. *Imbrum insulam tenuit;* vide ad I, 1, n. 8. — *Sciathum;* vid. XXXI, 45, n. 7. — *Pteleum primum* opp. *continentis* vel primam terram continentem; conf. XLII, 67. — *Magnetarches;* videndum supra ad caput 31, n. 5.

4. *Græciam nudam,* solam; vel inermem, sine copiis et auxiliis, ut XXXVI, 5, n. 4; et *nudus Antonius* apud Cic. ad Div. X, 11.

5. *Phalara in sinum Maliacum processerat;* vide tamen ad librum XXVII, cap. 30, n. 3.

Digitized by Google

clamoribusque, et quibus aliis lætitia effusa vulgi significatur[6].

XLIV. In concilium ut ventum est, ægre[1] a Phænea prætore principibusque introductus, inde facto silentio, rex dicere orsus. Prima ejus oratio fuit excusantis, *quod tanto minoribus spe atque opinione omnium copiis venisset. Id suæ impensæ erga eos voluntatis*[2] *maximum debere indicium esse, quod nec paratus satis ulla re, et tempore ad navigandum immaturo, vocantibus legatis eorum, haud gravate obsequutus esset, credidissetque, quum se vidissent Ætoli, omnia vel in se uno posita præsidia existimaturos esse. Cæterum eorum quoque se, quorum exspectatio destituta*[3] *in præsentia videatur, spem abunde expleturum. Nam simul primum anni tempus navigabile præbuisset mare, omnem se Græciam armis, viris, equis, omnem oram maritimam classibus completurum. Nec impensæ, nec labori, nec periculo parsurum, donec, depulso cervicibus eorum imperio romano, liberam vere Græciam atque in ea principes Ætolos fecisset. Cum exercitibus commeatus quoque omnis generis ex Asia venturos. In præsentia curæ*

6. *Exceptus ingenti favore multitudinis cum plausibus clamoribusque et quibus aliis lætitia effusa vulgi significatur;* vide ad XXXI, 15, n. 1.

Cap. XLIV. 1. *Ægre.* Scilicet ob ingentem hominum, regem videre gestientium, turbam difficilis in concilium aditus fuit. Ed. — *A Phænea prætore principibusque;* vide ad III, 25, n. 4. Mox verba *inde* et *rex* suspecta Drak.

2. *Impensæ voluntatis*, magnæ, valde propensæ.

3. *Exspectatio destituta;* vide ad I, 51, n. 4. — *Simul primum;* vide ad VI, 1, n. 4. — *Simul* ac *primum anni tempus.* Omnes hactenus intpp. videntur *simul primum* ita junxisse, ut τὸ *primum*, quod putide abundat, ejiciendum vellent. Ego tamen, licet repugnantibus doctt. viris Duk. et Drak. facile conjungerem *primum tempus;* neque me movet illud objectum: « Non primum anni tempus, sed tempus veris mare navigabile præbet ». Immo unum et idem est, quum a mense Martio annus romanus inciperet. Hic igitur *primum tempus* (unde nos fecimus voc. *printemps*) pro vere dicitur, et sic nihil redundat. Ed.

Digitized by Google

esse Ætolis debere, ut copia frumenti suis et annona tolerabilis rerum aliarum suppeditetur[4].

XLV. In hanc sententiam rex cum magno omnium adsensu loquutus discessit. Post discessum regis inter duos principes Ætolorum, Phæneam et Thoantem, contentio fuit. Phæneas, reconciliatore pacis et disceptatore de iis, quæ in controversia cum populo romano essent, utendum potius Antiocho, censebat, quam duce belli. *Adventum ejus et majestatem ad verecundiam faciendam Romanis vim majorem habituram, quam arma. Multa homines, ne bellare necesse sit*[1], *voluntate remittere, quæ bello et armis cogi non possint.* Thoas negare, *paci studere Phæneam; sed discutere apparatum belli velle, ut tædio et impetus relanguescat regis, et Romani tempus ad comparandum habeant*[2]. *Nihil enim æqui ab Romanis impetrari posse, toties legationibus missis Romam, toties cum ipso Quintio disceptando, satis expertum*[3] *esse: nec, nisi abscissa omni spe, auxilium Antiochi imploraturos fuisse. Quo celerius spe omnium oblato, non esse elanguescendum, sed orandum potius regem,*

4. *Copia frumenti et annona tolerabilis rerum aliarum* (conf. XXIX, 37, n. 3) *suppeditetur*, in MS Gaertn. *suppeditet* probb. Duk. et Drâk. Conf. ad VI, 24, n. 1.

Cap. XLV. 1. *Multa homines, ne bellare*, etc. Dant omnes MSS præter Mogunt. *ne bellarent* non improb. Gron. Conf. ad lib. XXVII, 17, n. 4. — *Voluntate remittere;* vide supra ad XXXII, 2, n. 3.

2. *Et Romani tempus habeant ad comparandum*, sc. se, vel necessaria ad bellum. Ita hoc verbum absolute dici, intellecto ex proximis quid comparetur, jam monuit Gronovius ad XXXVI, 3, n. 1 (ubi voc. *classem* ab indocto quodam appositum putabat), et XXXVIII, 12, n. 2 (ubi τὸ *copias*, post *comparandum* ab editoribus nonnullis adjectum, a MSS abesse monet). Conf. ad XLII, 52, n. 4; Nep. Thrasyb. 2, et supra XXXIV, 34, n. 2, ubi *ad comportandum* simili modo dicitur, Ern. Clav. Cic.

3. *Satis expertum esse;* vide ad II, 29, n. 1. — J. Fr. Gronovius malebat: *expertos* esse; sed quum Noster sæpius *expertum* passive (pro: experientia cognitum) posuerit, non temere sollicitandam esse nostram lectionem putat Doering. Ed.

Digitized by Google

ut, quoniam, quod maximum fuerit, ipse vindex Græciæ venerit, copias quoque terrestres navalesque arcessat. Armatum regem aliquid impetraturum; inermem non pro Ætolis modo, sed ne pro se quidem ipso, momenti ullius futurum apud Romanos. Hæc vicit sententia, imperatoremque regem appellandum[4] censuerunt; et triginta principes, cum quibus, si qua vellet, consultaret, delegerunt.

XLVI. Ita, dimisso concilio, multitudo omnis in suas civitates dilapsa est. Rex postero die cum apocletis eorum[1], unde bellum ordiretur, consultabat. Optimum visum est, Chalcidem[2], frustra nuper ab Ætolis tentatam, primum aggredi; et celeritate in eam rem magis, quam magno conatu et apparatu, opus esse. Itaque cum mille peditibus rex, qui ab Demetriade sequuti erant, profectus per Phocidem est; et alio itinere principes ætoli, juniorum paucis evocatis, ad Chæroneam occurrerunt, et decem constratis navibus[3] sequuti sunt. Rex, ad Salganea castris positis, navibus ipse cum principibus Ætolorum Euripum trajecit, et, quum haud procul portu egressus esset, ma-

4. *Imperatoremque regem appellandum:* Spanhem. ad Juliani orat. 1, pag. 150, et in diss. 7, de usu et pr. num. pag. 443, *imperatorem* hic esse putat, quem Græci στρατηγὸν αὐτοκράτορα dicunt, imperatorem, qui administrationem belli cum summo imperio ac potestate habet, ita ut ad alios referre non cogatur, ut θασιλεῖς αὐτοκράτορες et πρέσθεις αὐτοκράτορες, qui plenam et liberam omnia agendi et de omnibus tractandi potestatem habent. Hoc eo confirmari videtur, quod Livius dicit, *XXX principes delectos fuisse, cum quibus rex, si qua vellet, consultaret;* Duk.

Cap. XLVI. 1. *Cum apocletis eorum;* conf. ad cap. 34, n. 2, et Polyb. XX, n. 1.

2. *Ab Ætolis tentatam Chalcidem;* vide ad IX, 35, n. 1.

3. *Decem constratis navibus;* vide ad XXII, 19, n. 4. — Pro *constratis* male in quibusdam codd. legi *rostratis*, monet Doering.; profecta enim est sine dubio hæc lectio ab indoctis librariis, quibus naves *rostratæ* notiores essent, quam *constratæ*. Cæterum nisi forte *cum* ante *decem* excidit, certe subaudiendum est. Ed. — *Ab utriusque inj. tutam.* Non tam ad præcedens *Græciæ* quam ad *civitates*

Digitized by Google

gistratus quoque Chalcidensium et principes ante portam processerunt. Pauci utrimque ad colloquium congressi sunt. Ætoli magnopere suadere, *ut, salva Romanorum amicitia, regem quoque adsumerent socium atque amicum: neque enim eum inferendi belli, sed liberandæ Græciæ causa in Europam trajecisse; et liberandæ re, non verbis et simulatione, quod fecissent Romani. Nihil autem utilius Græciæ civitatibus esse, quam utramque complecti amicitiam. Ita enim ab utriusque injuria tutam alterius semper præsidio et fiducia fore. Nam si non recepissent regem, viderent, quid patiendum iis extemplo foret, quum Romanorum procul auxilium, hostis Antiochus, cui resistere viribus suis non possent, ante portas esset.* Ad hæc Mictio, unus ex principibus, *Mirari se*, dixit, *ad quos liberandos Antiochus, relicto regno suo, in Europam trajecisset. Nullam enim civitatem se in Græcia nosse, quæ aut præsidium Romanis habeat, aut stipendium Romanis pendat, aut fœdere iniquo alligata*[4], *quas nolit, leges patiatur. Itaque Chalci-*

respici, ideoque *tutas* potius legendum esse putat Duk. non improb. Doering. Ed.

4. *Fœdere iniquo alligata;* Gron. conj. *illigata*, coll. XLI, 24; XLII, 23; XLV, 25, al. Sed *alligari* etiam hoc sensu adhiberi XXXIV, 3, et XXXVII, 26, monet Drak. Spanhemius in Orbe Rom. II, 10, pag. 303, scribit, Chalcidenses quidem hoc verbis præ se ferre, sed tamen *impar* seu *iniquum* eorum aliorumque Græcorum cum Romanis fœdus fuisse, eo quod *nullam pacisci societatem, nisi ex auctoritate Romanorum*, et quod nulla bella injussu Romanorum suscipere potuerint; quod colligit ex iis, quæ cap. 50 pr. de Achæis leguntur. « Forte vera hæc sententia, sed certioribus argumentis confirmanda. Nam qui dicit, Certum est mihi hoc non facere, non statim dicit, Non possum hoc facere; nec, qui cap. 50 pr. dicuntur *eosdem hostes et amicos, quos populus rom.* sibi hostes et amicos esse *censuisset, judicaturi*, dicuntur injussu Romanorum bellum suscipere non potuisse. Jus et natura fœderis non patiebatur, ut socii Romanorum cum hostibus eorum arma conjungerent. Nec tamen ideo hoc fœdus *magis impar* seu *iniquum* Chalcidensibus et Achæis, quam Romanis, qui non minus legibus illius illigabantur. Nec

Digitized by Google

denses neque vindice libertatis ullo egere, quum liberi sint, neque præsidio, quum pacem ejusdem populi romani beneficio et libertatem habeant. Amicitiam regis non adspernari, neque ipsorum Ætolorum. Id primum eos pro amicis[5] *facturos, si insula excedant, atque abeant. Nam ipsis certum esse, non modo non recipere mœnibus, sed ne societatem quidem ullam pacisci, nisi ex auctoritate Romanorum.*

XLVII. Hæc renuntiata regi ad naves, ubi restiterat, quum essent, in præsentia (neque enim iis venerat copiis, ut vi agere quidquam posset) reverti Demetriadem placuit. Ibi, quoniam primum vanum inceptum[1] evasisset, consultare cum Ætolis rex, quid deinde fieret. Placuit, Achæos et Amynandrum, regem Athamanum, tentare. Bœotorum gentem aversam ab Romanis jam inde a Brachyllæ morte, et quæ sequuta eam fuerant, censebant. Achæorum Philopœmenem principem, æmulatione gloriæ in bello Laconum, infestum invisumque esse Quintio credebant. Amynander uxorem Apamiam[2], filiam Alexandri cujusdam Megalopolitani, habebat, qui, se oriundum

verosimile est, eo tempore vel Græcos iniquas societatis conditiones accepturos fuisse, vel Romanos eas hominibus liberis proponendas judicasse, quorum favorem tum omnibus rebus captabant ». Duker. — *Ullo egere.* Crev. sicut omnes post Aldum editores, *indigere* receperat, sed Drak. ex optimorum codd. auctoritate revocavit *egere.* Ed.

5. *Id eos pro amicis facturos;* vide ad II, 7, n. 4.

Cap. XLVII. 1. *Vanum inceptum.* Pro *vanum* quidam codd. et editt. veteres exhibent *inane;* sed quum lectio *vanum* non solum codicis Mogunt. auctoritate stabiliatur, verum ipsa quoque locutio *vanum inceptum* passim a Nostro adhibita sit (X, 32; XXXVII, 17), τὸ *inane* pro interpretamento τοῦ *vanum* habendum esse judicat Doer. Ed. — *Placuit, Achæos et Amynandrum, regem Athamanum tentare;* vide ad IX, 35, n. 1. Ante *Achæos* excidit *Bœotos:* nam de tribus his in seqq. distincte agitur; Jac. Periz.

2. *Apamiam, filiam Alexandri,* etc. conf. Appian. Syr. 13, ex quo forte cum Sigon. leg. *Apamam.* Confer. ad XXXVIII, 13, n. 5. — *Ferens;* vide ad IV, 45, n. 5.

Digitized by Google

a Magno Alexandro ferens, filiis duobus Philippum atque Alexandrum, et filiæ Apamiam nomina imposuerat: quam, regiis inclytam nuptiis, major ex fratribus Philippus sequutus in Athamaniam fuerat. Hunc, forte ingenio vanum, Ætoli et Antiochus impulerant in spem, quod is vere regum stirpis[3] esset, regni Macedoniæ, si Amynandrum Athamanesque Antiocho conjunxisset: et ea vanitas promissorum non apud Philippum modo, sed etiam apud Amynandrum, valuit.

XLVIII. In Achaia legatis Antiochi Ætolorumque, coram T. Quintio, Ægii datum est concilium[1]. Antiochi legatus prior, quam Ætoli, est auditus. Is, ut plerique, quos opes regiæ alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum complevit[2]: *Equitum innumerabilem vim trajici Hellesponto in Europam, partim loricatos, quos cataphractos vocant; partim sagittis ex equo utentes, et, a quo nihil satis tecti sit, aversos refugiente equo certius figentes.* His

3. *Quod is vere regum s. e.*, potius *quasi is*; Gron. Si hoc ita intelligatur, Antiochum et Ætolos eo aluisse vanitatem ingenii illius, quod dicerent, eum vere regiæ stirpis esse, retineri potest *quod;* Duk. et Crev. — Ipse quoque Doering. Gronovii conjecturam rejicit, sensu ita exposito: quod eum vere regum stirpis esse simulanter affirmabant. Ed.

Cap. XLVIII. 1. *Ægii datum concilium;* vide ad XXVII, 30, n. 8.— *Quam Ætoli*, forte *Ætolorum;* Glar. Conf. ad cap. 49, n. 1.

2. *Maria terrasque inani sonitu verborum complevit*, sc. navibus copiisque. Confer. ad cap. 49, n. 2. — *Loricatos, quos cataphractos vocant*, gall. *cuirassiers;* vide ad Tacit. Ann. III, 43, n. 6, et Spanhem. ad Juliani Orat. I, pag. 243. *Vocent* conj. Bauer. Sed forte Livii verba sunt *quos cat. vocant*, parenthesi includenda. Conf. XXXVII, 40.—*Loricatos.* Ratio grammatica postulabat *loricatorum*, ut ad *equitum* referretur; sed hic dici *loricatos* quasi *innumerabiles equites* præcesserit, monet Doering. qui elegantem *equitis cataphracti* descriptionem laudat Claudian. in Rufin. II, 357. Ed.—*A quo*, ab qua re. Spectant hæc ad seqq. nec est quod legas *a quis* seu *queis.* — Doer. ad *a quo* subaud. *equite*, nisi quis malit supplere: sagittandi ex equo usu; vel, sagittas ex equo jaciendi modo. Ed. — *Aversos refugiente equo.* Parthi scil. melius in fuga quam in acie pu-

Digitized by Google

equestribus copiis quanquam vel totius Europæ exercitus in unum coacti obrui possent, adjiciebat multiplices copias peditum et nominibus quoque gentium vix fando auditis terrebat; Dahas, Medos, Elymæosque et Caddusios appellans[3]: *Navalium vero copiarum, quas nulli portus capere in Græcia possent, dextrum cornu Sidonios et Tyrios, sinistrum Aradios, et ex Pamphylia Sidetas*[4] *tenere; quas gentes nullæ unquam nec arte, nec virtute navali æquassent. Jam pecuniam, jam alios belli apparatus referre, supervacaneum esse. Scire ipsos, abundasse semper auro regna Asiæ. Itaque non cum Philippo, nec Hannibale rem futuram Romanis, principe altero civitatis, altero Macedoniæ tantum regni finibus incluso; sed cum magno Asiæ totius partisque Europæ rege. Eum tamen, quanquam ab ultimis Orientis terminis ad liberandam Græciam veniat, nihil postulare ab Achæis, in quo fides eorum adversus Romanos, priores socios*

gnabant, ut testantur Horat. Carm. I, 19, 11: « Parthus versis animosus equis »; et Virgil. Georg. III, 31: « Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis »; vid. Virgil. nostræ editionis, t. V, pag. 517. Nonnulli quidem Persas cum Parthis confundunt; sed eos e Curtio refellit *Snakenburg*, quem vide. « Scriptores enim, ut ait Sylvius in Asiæ cap. 30, non tam gentem, quæ imperaret, quam locum cui imperabatur, intuiti sunt ». Conf. Strab. lib. XI, pag. 514, et lib. XV, pag. 736 fin.; Herodianus, VI, 6 et 7; Philo in libro: Quod Deus sit immutab. sub fin. pag. 248, et lib. de Joseph. pag. 425; Justinus, XI, 15, 2; XLI, 4, 1, al. Ed.

3. *Dahas, Medos*, etc. male *Dacas* vett. edd. vide ad Sil. XIII, 764, et Intpp. Virgil. Æn. VIII, 728. *Dahæ* Nomades et Scythæ, ultra Hyrcaniam et mare Caspium. *Elymæi*, Ἐλυμαῖοι et Ἐλαμῖται, in Elymaide, a meridie Mediæ, parte australi ejus regionis, quæ nunc *Chusistan* dicitur; et *Caddusii*, rectius forte *Cadusii*, in ora Mediæ montana. Confer. Strab. XI, pag. 508, 542; Ptol. VI, 2; Polyb. V, 44; Hard. ad Plin. VI, 13 et 27 seu 15 et 31.

4. *Ex Pamphylia Sidetas;* vide ad cap. 13, n. 3. — *Altero Macedoniæ*, scil. principe. Voc. *rege*, quæ post *altero* in quibusdam codd. et editt. additur, rectius in Mogunt. et cæteris apud Drak. abesse judicat Doering. quippe quia vaniloquus iste Ant. legatus *regis* nomine, quasi illud in Magnum Antiochum tantummodo cadat,

Digitized by Google

atque amicos, lædatur. Non enim, ut secum adversus eos arma capiant, sed ut neutri parti sese conjungant, petere. Pacem utrique parti, quod medios deceat amicos[5], *optent: bello se non interponant.* Idem ferme et Ætolorum legatus Archidamus petiit, ut, quæ facillima et tutissima esset, quietem præstarent, spectatoresque belli fortunarum alienarum eventum sine ullo discrimine rerum suarum opperirentur. Provectus deinde est intemperantia linguæ in maledicta[6], nunc communiter Romanorum, nunc proprie ipsius Quintii: *ingratos* appellans, et exprobrans *non victoriam modo de Philippo virtute Ætolorum partam, sed etiam salutem; ipsumque et exercitum sua opera servatos. Quo enim illum unquam imperatoris functum officio esse? Auspicantem immolantemque et vota nuncupantem sacrificuli vatis modo in acie vidisse, quum ipse corpus suum pro eo telis hostium objiceret.*

XLIX. Ad ea Quintius, *Coram quibus*[1] *magis quam apud quos, verba faceret*, dicere, *Archidamum rationem habuisse. Achæos enim prope scire, Ætolorum omnem ferociam in verbis, non in factis esse, et in conciliis magis concionibusque, quam in acie, apparere. Itaque parvi Achæorum existimationem, quibus notos esse se scirent, fecisse: legatis re-*

consulto et invidiose in Philippi commemoratione abstinuisse videtur. Ed.

5. *Medios deceat amicos;* vide ad I, 32, n. 5. — *Bello se non interponant,* immisceant, ut c. 49, et XLII, cap. 58.

6. *Provectus est in maledicta Romanorum,* in Romanos; vide ad XLI, 20, n. 4. — *Proprie ipsius Quintii,* solius, in solum, *persönlich, individuell;* Bauer.

Cap. XLIX. 1. *Coram quibus,* scil. Quintio et legatis Antiochi, casu præsentibus et tantum audientibus, *magis, quam apud quos,* scil. Achæos, judices, arbitros et disceptatores, ad rem non tam audiendam, quam disceptandam, vocatos: nam Achæi legatis coram Quintio (confer. cap. 48 pr.) dederant concilium, in quo Archidamus Quintium prosciderat maledictis, et jactaverat ea, quorum veritas legatis quidem regis, non vero Achæis, haud satis perspecta esse poterat. —

Digitized by Google

gis et per eos absenti regi eum se jactasse. Quod si quis antea ignorasset, quæ res Antiochum et Ætolos conjunxisset, ex legatorum sermone potuisse apparere: mentiendo invicem jactandoque vires, quas non haberent, inflasse vana spe atque inflatos esse; « dum « ii ab se Philippum victum, sua virtute protectos Ro- « manos, et quæ modo audiebatis, narrant, vos cæte- « rasque civitates et gentes suam sectam esse sequu- « turos[2]; rex contra peditum equitumque nubes ja- « ctat, et consternit maria suis classibus. Est autem res « simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei[3], hominis « et boni, et sciti convivatoris. Apud quem solsti- « tiali tempore[4] comiter accepti quum miraremur,

Legatis regis, forte *legato*, quia cap. præc. non nisi *legatus Antiochi* memoratur: sed licet plures legati sint missi, unius tamen tantum interdum mentio fit, quia is legationis princeps est: quo et referri potest, quod Livius modo *scirent*, modo *eum* dicat, et cap. 48 pr. *Ætoli*, hoc est, legati Ætolorum, licet unus tantum memoretur legatus Archidamus; Drak.—*Dum ii ab se*, etc. in MS Lov. 6, et Gaertn. *dum hi*, rectius forte, judice etiam Crev. quamvis *ii* non alii esse possunt, quam legati Ætolorum.

2. *Suam sectam esse sequuturos* (vide ad XXIX, 27, n. 2); *rex contra*, propr. regis legatus, *peditum equitumque nubes jactat*, immensam multitudinem (inpr. avium, instar atræ nubis aerem secantium tenebrisque quasi involventium, ut locustarum XLII, 10, hinc et *telorum* XXXVIII, 26; vide ad Sil. I, 311; II, 433; VI, 336; VII, 84), *et consternit maria suis classibus;* conf. ad cap. 48, n. 2. « Nota h. l. accusativum cum infinit. in rectam orationem elapsum: *inflasse... inflatos esse; dum narrant... rex contra... jactat.* Hæc tamen pro conjunctivis acceperis, nisi insertum sit *quæ audiebatis*. Recta ergo oratio incipit, suspensa tamen ab obliqua, paulo durius. Ita pergit: *Est autem*... et tamen deinde: *Hoc dici posse*»; Bauer. Conf. ad I, 13, n. 4, et XXXV, 16, n. 5.

3. *Est autem res simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei;* conf. Plut. Flamin. pag. 378, et Apophthegm. pag. 197; Erasmi Adag. tit. *Arrogantia*, p. m. 159, et qui ex h. l. colligebat, acutum Quintio ingenium lepidumque fuisse, Victor. Var. lect. XVII, 10. Hoc exemplo hospitis duo reprehendit in Antiochi legato, et quod ex una gente multas faciat, et quod ex mansuetis imbellibusque feroces ac truces, quemadmodum ex uno porco hospes multam variamque venationem, et ex mansueto speciem ferinæ carnis fecisse visus erat; Glar. Oratio autem obliqua in rectam mutata, ut passim; vide ad I, 13, n. 4.

4. *Solstitiali tempore*, media æstate:

Digitized by Google

« unde illi eo tempore anni tam multa et varia vena-
« tio; homo non, quam isti sunt, gloriosus, renidens,
« condimentis, ait, varietatem illam et speciem ferinæ
« carnis ex mansueto sue factam ». *Hoc dici apte in copias regis, quæ paulo ante jactatæ sint, posse. Varia enim genera armorum et multa nomina gentium inauditarum, Dahas et Medos et Caddusios et Elymæos Syros omnes esse: haud paulo mancipiorum melius, propter servilia ingenia, quam militum genus.* « Et
« utinam subjicere oculis vestris, Achæi, possem con-
« cursationem regis magni ab Demetriade, nunc La-
« miam in concilium Ætolorum, nunc Chalcidem! Vi-
« deretis vix duarum male plenarum legiuncularum
« instar [5] in castris regis: videretis regem, nunc men-
« dicantem prope frumentum ab Ætolis, quod militi
« admetiatur, nunc mutuas pecunias fenere in stipen-
« dium quærentem, nunc ad portas Chalcidis stantem;
« et mox inde exclusum, nihil aliud quam Aulide atque
« Euripo spectatis [6], in Ætoliam redeuntem. Male credi-
« derunt et Antiochus Ætolis, et Ætoli regiæ vanitati.
« Quo minus vos decipi debetis, sed expertæ toties spe-

nam Antiquis duo tantum solstitia fuisse, nec nisi mediam æstatem dici *solstitium*, mediam hiemem *brumam*, Victor. ad Varr. Re Rust. I, 46, docet; Drak. — Huc Doering. affert locum Cic. de Nat. Deor. II, 7, ubi *solstitio* opponitur *bruma*, et ibi vid. Davis. sic et Cerda ad Virgil. Georg. I, 100; Salmas. ad Solin. pag. 175. Ed. — *Tam multa et varia venatio;* vide ad XXV, 9, n. 9.—*Non, quam isti sunt, gloriosus;* vide ad II, 56, n. 8. — *Renidens.* Doering. interpretatur, *subridens*, et ablegat ad Catull. XXXIX, 2. Ed. —*Dahas et Medos et Caddusios et Elymæos Syros omnes esse;* vide ad c. 48, n. 3. *Syri* latiore sensu dicti. — Plutarchus, qui totum hunc locum in Apophth. pag. 197, expressit: πάντες γάρ εἰσιν οὗτοι Σύροι, ὁπλαρίοις ἀλλήλων διαφέροντες. Ed. — *Concursationem.* Hoc nomine false a Quintio appellari inconditum et concursando male compositum Antiochi agmen, monet Doering. Ed.

5. *Legiuncularum instar;* vide ad XXVIII, 17, n. 1.—*Quod militi admetiatur* tenuiter, parce, *kümmerlich, nothdürftig;* Bauer.

6. *Nihil aliud quam Aulide et Euripo spectatis*, postquam nil egisset, quam quod vel ut spectaret; Bauer.

Digitized by Google

« ctatæque Romanorum fidei credere. Nam quod opti-
« mum esse dicunt [7], non interponi vos bello, nihil
« immo tam alienum rebus vestris est. Quippe sine
« gratia, sine dignitate, præmium victoris eritis. »

L. Nec absurde adversus utrosque [1] respondisse visus est; et facile erat orationem apud faventes æquis auribus accipi. Nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit, quin omnes, eosdem genti Achæorum hostes et amicos, quos populus romanus censuisset, judicarent, bellumque et Antiocho, et Ætolis nuntiari juberent. Auxilia etiam, quo censuit

Vide ad II, 8, n. 9. — *Expertæ toties spectatæque R. f.*; alii, etiam Drak., *potius*; quod languere videtur: at *toties* excitat orationem et firmat: ac sane sæpius jam cognorant Achæi fidem Romanorum, utut in uno bello Philippi; Bauer. *Potius* codd. Mog. Victor. et Lov. 6. *Toties* reliqui MSS et edd. ante Ald.

7. *Nam quod optimum esse dicunt* (id recepi ex MS Lov. 3, pro vulg. *dicant*), suadentibus Crev. et Bauero: nam vere dixerant, *non interponi vos bello* (videndum tamen ad cap. 48, not. 5). *Interponendi* plerique MSS et editiones ante Mogunt. non improb. Gron., si intelligatur *concilium* aut tale quid. Idem monet, similiter inf. XXXVII, 16, extr. in MSS primisque edd. legi *omisso Patara amplius tentandi*, et in recentt. demum edd. *omisso conatu P. a. t.* et *omissa P. a. t. spe.* Conf. ad Tacit. Ann. II, 43, n. 10. — *Nihil immo*, contra, potius. Inter has voces in cod. Harl. et Sigon. insertum *tam vanum* ab iis, qui nesciebant, τὸ *immo* alii voc. postponi, ut XXXVIII, 43, et XXXIX, 40. — Doering. putat alterum orationis membrum, *nihil immo tam al.*, etc. quamvis τὸ *immo* non semper ab initio poni facile concedat, parum apte tamen cum priore membro cohærere. Proponit igitur, una tantum litera et distinctione mutata, multo concinniorem locum sic reddendum: *nam quod... bello, nihil, immo jam al. reb. vestris, est.* Sequentia, *quippe sine gratia*, etc. respondent τῷ *jam*; et inter particulas *jam* et *tam* sæpe allatam esse a librariis confusionem docuit Drak. ad XXI, 11, § 12, et ad Silium Ital. XIV, 427. Ed. — *Præmium victoris eritis*; videndum tamen ad XXXII, cap. 21, not. 16.

Cap. L. 1. *Adversus utrosque*, utrisque. — *Et facile erat* suppleri *intellectu* vult Doering. nisi forte ejusmodi aliquid exciderit, vel scribendum sit: *et facile intelligi poterat, orat.*, etc. Equidem nihil supplendum arbitror, et *facile erat* dictum pro: facile accipienda erat oratio; vel: plane accipi debebat. Ed. — *Nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit*, etc. Vera est horum et sequentium verborum lectio, quæ vulgo circumfertur, et ab Aldo ex cod. Mogunt. primum recepta est. Omnes autem priores edd. cum codd. nostris præferunt, *nulla*

Digitized by Google

Quintius, quingentorum militum Chalcidem, quingentorum Piræeum extemplo miserunt. Erat enim haud procul seditione Athenis res, trahentibus ad Antiochum quibusdam spe largitionum venalem pretio multitudinem; donec ab iis, qui romanæ partis erant [2], Quintius est accitus, et, accusante Leonte quodam, Apollodorus auctor defectionis damnatus atque in exsilium est ejectus. Et ab Achæis quidem cum tristi responso legatio ad regem rediit. Bœoti nihil certi responderunt : *quum Antiochus in Bœotiam venisset, tum, quid sibi faciundum esset, se deliberaturos esse.* Antiochus, quum ad Chalcidis præsidium et Achæos et Eumenem regem misisse audisset, maturandum ratus, ut et prævenirent sui, et venientes, si possent, exciperent, Menippum cum tribus ferme millibus militum, et cum omni classe Polyxenidam mittit. Ipse paucos post dies sex millia suorum militum, et ex ea copia, quæ Lamiæ repente colligi potuit, non ita multos Ætolos ducit. Achæi quingenti et ab Eumene rege modicum auxilium missum, duce Xenoclide Chalcidensi, nondum obsessis

enim disceptatio fuit, quin omnes gentes fidos et amicos, etc. reliquis omissis. Ed.

2. *Qui romanæ partis erant;* vide ad III, 36, n. 4; III, 62, n. 5, et XXIV, 42, n. 4. *Romanorum partis* recte, puto, emend. Duk. quia *pars* genitivo plur. jungi solet. Conf. tamen et ad cap. 51, n. 3. — *Accusante Leonte quodam, Apollodorus, ... damnatus, atque in exsilium est ejectus.* Ita recte Moguntini ex codice suo ediderunt. Codd. nostri cum primis edd. præferunt *Leone quodam.* Non tantum enim Græci a recto Λέων efferunt Λέοντος, sed eorum exemplo etiam Latini *Leontis;* locum *Leonta* ex fide optimi cod. Livio restituit Gron. supra, XXIV, XXXIX. *Leontem Megarensem* memorat Cic. V. in Verr. § 6. *Leontem principem Phliasiorum,* l. V. Tuscul. c. 3. An huc etiam pertinet inscriptio comœdiæ *Leontis*, a Nævio in carcerem conjecto compositæ? cujus meminit Gell. III, Noct. cap. 3. Ed. — *Bœoti nihil certi responderunt*, etc. conf. Polyb. XX, 2. — *Et Eumenem regem misisse*, scilicet auxilia. — Τὸ *regem*, quod deest in Lov. 5, et in antiquioribus excusis, ab Aldo ex cod. Mog. adscitum est. Idem autem reliqui nostri agnoscunt.

Digitized by Google

itineribus, tuto transgressi Euripum [3], Chalcidem pervenerunt. Romani milites, quingenti ferme et ipsi, quum jam Menippus castra ante Salganea ad Hermæum, qua transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet, venerunt. Mictio erat cum iis, legatus a Chalcide ad Quintium, ad id ipsum præsidium petendum, missus. Qui postquam obsessas ab hostibus fauces [4] vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium convertit, ut inde in Eubœam transmissurus.

LI. Templum est Apollinis Delium, imminens mari [1] : quinque millia passuum a Tanagra abest. Minus quatuor millium inde in proximo Eubœæ est mari trajectus. Ubi et in fano lucoque, ea religione et eo jure sancto, quo sunt templa, quæ asyla Græci appellant [2], et nondum aut indicto bello, aut ita com-

Achæos auxilium quingentorum militum eo *misisse* supra dixit hoc cap. et, ab Eumene modicum auxilium *missum*, mox infra. Ed.

3. *Transgressi Euripum*, etc. vide ad XXVIII, 6, n. 3. — *Ante Salganea ad Hermæum.* Sic emendavit Gronovius; Voss. prætulerat *Herineum*, quod est oppidum Doridis : alii ad *Euripum*, quia ad finem hujus libri dicturus est, *pertinacius Romani Euripum tuebantur*, ut Aulis intelligatur. Ed. — *Mictio erat cum iis, legatus a Chalcide ad Quintium.* Lov. 5 et ed. Camp. exhibet *cum iis legatis. Tum ad Chalcidem* Voss. Lov. 2, 3, 4, 6, a manu prim. Mead. uterque, et Gaertn. *Ab Chalcide* Lov. 6 a manu secund. hinc paulo post ad ipsum præsidium Voss. Lov. 4, 5, et editi ante Aldum, qui *id* ex codice Mog. interposuit, consentientibus reliquis scriptis. Vide ad V, 43. Ed.

4. *Obsessas ab hostibus fauces*, etc. vide ad XXVIII, 6, n. 3. — *Omisso ad Aulidem itinere, Delium convertit.* Voss. et Lov. 1, *emisso. Tum bellum convertit* Voss. et Lov. 1, ac 4. *Delum convertit* Lov. 6, et Harl. Ed.—*Delium convertit.* Livius, sup. XXXI, 45, *Delium Bœotiæ* memorat, quod, ut docet Pausanias in Bœot. cap. 20, ἐπὶ θαλάσσῃ situm fuit. Mox *ut inde* pro, *quasi inde;* sed, particula *ut* deleta, lenius fluere orationem putat Doering. Ed.

Cap. LI. 1. *Templum est Apollinis Delium* (an *Delii?*) *imminens mari*, etc. vide ad III, 51, n. 3, et XXXI, 45, n. 5. — *Mari trajectus:* nam insula etiam adiri potest ex continenti, quia angustiæ maris inter Bœotiam et Eubœam adeo arctæ sunt, ut Euripus ille ponto stratus fuerit, quo insula continenti annexa est; Drak. Confer. Plin. IV, 12, et Strab. IX, 401, 403.

2. *In fano lucoque ea religione eoque jure sancto, quo sunt templa, quæ*

Digitized by Google

misso, ut strictos gladios, aut sanguinem usquam factum audissent, quum per magnum otium milites, alii ad spectaculum templi lucique versi, alii in litore inermes vagarentur, magna pars per agros lignatum pabulatumque dilapsa esset; repente Menippus, palatos passim aggressus, eos cecidit, ad quinquaginta vivos cepit. Perpauci effugerunt, in quibus Mictio, parva oneraria nave exceptus. Ea res Quintio Romanisque, sicut jactura militum molesta, ita ad jus inferendi Antiocho belli adjecisse aliquantum videbatur. Antiochus, admoto ad Aulidem exercitu, quum rursus oratores, partim ex suis, partim Ætolos, Chalcidem misisset, qui eadem illa, quæ nuper, cum minis gravioribus agerent, nequidquam contra Mictione et Xenoclide tendentibus, facile tenuit, ut portæ sibi aperirentur. Qui romanæ partis erant[3], sub adventum regis urbe excesserunt. Achæorum et Eumenis milites Salganea tenebant. Et in Euripo castellum romani milites pauci custodiæ causa loci communiebant. Salganea Menippus, rex ipse castellum Euripi

asyla Græci appellant; vide ad I, 8, n. 6. — Milites ob hoc securi erant, primo quod in loco sanctissimo et inviolabili versarentur, deinde quod bellum nondum palam indictum fuisset. Ed. — *Quæ asyla.* Τὸ *quæ*, quod plurimi codd. et cum multis editionibus Creverius omittunt, ex cod. Mog. auctoritate revocavit Drak. Certe, inquit Doering. Livius modo omittere, modo addere solet pronomina; vid. Drak. ad XL, 57, § 3. Ed. — *Sanguinem usquam factum;* vide ad II, 30, n. 8. — *Ad spectaculum*, spectationem, *templi*, ut XXXIX, 43, et XLV, 27, n. 4. — *Eos cecidit;* vox *eos* exsulat a Lov. 5, et edd. ante Frob. a. 1535. In ea latere numerum cæsorum suspicabatur Crev.

3. *Qui romanæ partis erant;* vide ad cap. 50, n. 2. — *Achæorum et Eumenis milites Salganea tenebant*, etc. Quum Chalcis et Salganeus, illa in Eubœa, hæc in Bœotia, ad Euripum sitæ fuerint, milites Achæorum et Eumenis Chalcide discedentes navibus Salganea, ante quam urbem ad Hermæum Menippus castra habebat, trajicere Euripo potuerunt; Drakenb. — *Custodiæ causa locum communiebant.* Antiquior lectio quam prætulimus, *Custodiæ causa loci communiebant*, id est, ad custodiendum locum. *Communire* Livio in hac re frequens esse

Digitized by Google

oppugnare est adortus. Priores Achæi et Eumenis milites pacti, ut sine fraude liceret abire, præsidio excesserunt. Pertinacius Romani Euripum tuebantur. Hi quoque tamen, quum terra marique obsiderentur, et jam machinas tormentaque comportari viderent, non tulere obsidionem. Quum id, quod caput erat Euboeæ [4], teneret rex, ne cæteræ quidem ejus insulæ urbes imperium abnuerunt: magnoque principio sibi orsus bellum videbatur, quod tanta insula et tot opportunæ urbes in suam deditionem venissent.

vidimus ad XXX, 7. Lipsius, Epist. V, quæst. XVII, *custodiæ loci communiebant*, scribebat, ejecta voce *causa*, quam pro glossa habebat. Ed. — *Oppugnare est adortus*. Drak. leg. putat *adorsus*, id est, incepit. Videntur enim voces diversæ originis et significationis esse *adorsus* et *adortus*: illud est ab *adordior*, incipio; hoc ab *adorior*, invado, aggredior. Et ibi vir doctissimus multa congerit exempla, quæ ex operibus Virgilii, Nepotis, Q. Curtii et Apuleii diligenter excerpsit. Sed animadvertendum est totam ex variis lectionibus oriri difficultatem; nam optimi grammatici docent servandum esse semper accurata religione discrimen inter vocab. *orsus* et *ortus*, ut integritas genuini et veri sensus servetur: prius ab *ordior*; alterum ab *orior* venit; prius dat aliquando *orditus*, teste Prisciano; verum nemo adhibuit, nisi Vulg. Interp. Esai. cap. 25, 7; et Diomedes in præfatione sui libri, quanquam affirmet τὸ *orsus* solum esse usitatum: de Bapt. Mantuano et Julio Scaligero *orditum* agnoscentibus non liquet. In nostra Editione Virgilii, vol. III, pag. 143, Variant. Lect. 397, multa de his indicantur. Ed.

4. *Quod caput erat Euboeæ*, Chalcidem. — *Magnoque principio*, magni momenti, ut exponit Doering., id est, fausto et secundo; ex illa apud Veteres auspiciorum et ominum opinione. Ed.

Digitized by Google

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER tricesimus : breviarium..... Pag. 1
Liber tricesimus primus : breviarium 93
Liber tricesimus secundus : breviarium 175
Liber tricesimus tertius : breviarium 247
Liber tricesimus quartus : breviarium..... 333
Liber tricesimus quintus : breviarium..... 437

FINIS SEXTI VOLUMINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google